

IDAD
CCION



S. AUGUSTINI
PUSCULA



BR65


A5

1800

7.4

c.1

135850



1080046203

UNIVERSITY OF

BRITISH COLUMBIA

Ep# 6#33

SANCTI AURELII AUGUSTINI
 HIPPONENSIS EPISCOPI
 OPUSCULA,
 QUIBUS INSTITUTIO
 UNIVERSE THEOLOGIE
 COMPREHENDITUR
 IN USUM CANDIDATORUM
 THEOLOGIE:
 COLLECTA EX EDITIONE
 PATRUM CONGREGATIONIS S. MAURI.
 EDITIO ALTERA.

*Quam in gratiam Alumnorum Collegii Matritensis
 Domine Marie de Aragon majori ex parte auxit,
 novoque ordine digessit*

*Frat. Antoninus Merino Ord. S. Augustini, sacr.
 Theolog. Magister, ac ejusdem Collegii Rector.*

TOMUS IV.



MATRITI.
 APUD VIDUAM DE IBARRA.

ANN. DOM. M. DCCC.



38547

278



UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
 CAPILLA AURELIANA BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
 Folio 44 MICROFILMADO 11/3/83

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
 DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECA

BR 65

A 5

1800

V. 4

Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vitâ sua, atque pro meritis, in nostra semper communione habuimus; nec umquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor adpersit: quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam à meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt; utpote qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori.

Contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem, audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere, & perspicuæ sincerissimæque sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere?

S. Cælestinus I. Papa Epist. ad Galliarum episcopos cap. 2. Et S. Prosper contra Collat. cap. 21. n. 59.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

FONDO BIBLIOTECA PÚBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEÓN

133850

MONITUM

IN TOMUM QUARTUM.

CUM ex Augustino præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ sit ipse Salvator, ipse Mediator Dei & hominum Christus Jesus, recta methodo procedet Candidatus à mysteriis Christi Domini, ad Gratiæ & Prædestinationis mysteria. His intimè connexa sunt, quæ de libero hominis Arbitrio, & de Peccato originali excellentissimus divinæ gratiæ Doctor disseruit. Itaque ejusdem selecta Opuscula non alio à nobis proponuntur ordine, quàm quo ab ipso fuerunt scripta. Primò quidem liber, sive epistola de Gratiâ novi Testamenti: in qua tota Religionis christianæ summa & œconomia exhibetur. Deinde libri duo de Gratiâ Christi, & de Peccato originali; duæque epistolæ ad Sixtum, & ad Vitalem. Tum libri de Gratiâ & libero Arbitrio, de Correptione & Gratiâ, de Prædestinatione sanctorum, & de Dono Perseverantiæ. Atque in his Opusculis legendis id unum à Candidatis peto, caveant scilicet nonnullorum imperitiam, ne dicam, perversitatem, qui pelagianorum, aut semipelagianorum objectationes pro ipsius Augustini inconcussis ac tutissimis dogmatibus venditare non verentur.

IN-

INDEX OPUSCULORUM,
QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

	PAG.
<i>Epistola CXL. seu liber ad Honoratum, de Gratia novi Testamenti.....</i>	2.
<i>De Gratia Christi, liber primus.....</i>	75.
<i>De Peccato originali, liber secundus. 121.</i>	121.
<i>Epistola CXCIV. ad Sixtum.....</i>	165.
<i>Epistola CCXVII. ad Vitalem.....</i>	197.
<i>Epistola CCXIV. ad Valentinum....</i>	220.
<i>Epistola CCXV. ad eundem.....</i>	225.
<i>De Gratia & libero Arbitrio lib.....</i>	231.
<i>Epistola CCXVI. Valentini ad August.</i>	286.
<i>De Correctione & Gratia lib.....</i>	294.
<i>Epistola CCXXXV. Prosperi ad August.</i>	353.
<i>Epist. CCXXXVI. Hilarii ad August.</i>	364.
<i>De Prædestinatione sanctorum lib....</i>	375.
<i>De Dono Perseverantiæ lib.....</i>	438.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag.		Lege.
117. in marg.	<i>arbitri.....</i>	arbitrii.
161. in marg.	<i>baptismis ceremoni</i>	baptismi ceremoniis.
244. lin. 22.	<i>suspiciatis.....</i>	susciptatis.
247. in marg.	<i>cundum.....</i>	secundum.
280. lin. 28.	<i>declinavit.....</i>	declinabit.
364. 21.	<i>avelanensi.....</i>	arelatensi.
388. 3.	<i>dixi.....</i>	dixit.
457. 2.	<i>terrene.....</i>	terrena.

DE SEQUENTE EPISTOLA,

LIB. II. RETRACT. CAP. XXXVI.

EO ipso tempore, quo contra donatistas vehementer exercebamur, & contra pelagianos a exerceri jam cœperamus, amicus quidam mihi misit quinque à Carthagine quæstiones, & rogavit ut eas illi scribendo exponerem; quæ sunt: Quid sibi velit vox illa Domini: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Et quid sit quod ait Apostolus: *Ut in caritate radicati et fundati, prævaleatis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum.* Et quæ sint quinque virgines stultæ, quæve sapientes. Et quæ sint tenebræ exteriores. Et quomodo intelligendum sit: *Verbum caro factum est.* Ego autem intuens supradictam hæresim novam inimicam gratiæ Dei, sextam mihi proposui quæstionem de *Gratia Testamenti novi.* De qua disputans interposita expositione Psalmi vigesimi primi, in cuius capite scriptum est, quod Dominus exclamavit in cruce, quod ille amicus in primis mihi proposuit exponendum; omnia illa quinque dissolvi, non hoc ordine, quo erant proposita, sed sicut mihi disserenti de *Gratia novi Testamenti*, tanquam suis locis congruenter occurrere potuerunt. Hic liber sic incipit: *Quinque mihi proposuisti tractandas quæstiones.*

TOM. IV.

A S.

a Adversus pelagianos exerceri cœperunt africani Episcopi anno 411. aut 412. quo jam tempore Pelagii discipulum Cælestium in carthaginensi Concilio judicatum fuisse produunt Patres Synodi alterius carthaginensis anni 416. in epistola, quæ hinc edita est 175.

a
Psal. 21. 2.
Matth. 27.
46.
Ephes. 3.
17.
Matth. 25.
2.
Id. 22. 13.
Joan. 1. 14.

S. AURELI AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE GRATIA NOVI TESTAMENTI
LIBER *seu*
EPISTOLA CXL. *

* *Alias*
CXX.
que autem
140. erat,
nunc 260.

Augustinus Honorato respondet ad illius quinque questiones; præter quas sextam sibi ipse proponit, de Gratia novi Testamenti, adversus pelagianos tractandam: & Psalmum vicesimum primum ad eam rem totum interpretatur.

Scripta
an. 412.
PRÆFATIO.

I. **QUINQUE** mihi proposuisti pertractandas questiones atque solvendas, dilectissime mi frater ^a Honorate, hinc inde raptas, sicut te vel legentem movere, vel cogitanti tibi in mentem venire potuerunt, & in conspectum meum fusas quodam modo. Quarum solutionem si velim disserendo ordinare, non ut carptim, sicut propositæ sunt, de singulis disseram, sed uno quodam tenore sermonis eas inter se connectam atque contexam, difficile opus videtur: & tamen puto facilius eas solvi, si hoc fecero. Invicem quippe adjuvabunt, si altera pendebit ex altera, donec omnes veniant in seriem disputationis, non singillatim separatis locis, quasi unaquæque in sua privata intentione habitet; sed unum aliquid

^a Honoratus baptismo initiatus nondum erat, ut liquet ex libri hujus c. 19. n. 48. Postea vero ad presbyterii munus evectus est: nisi forte fallitur Cassiodorus, qui in lib. de div. lect. c. 16. ait, opus istud scriptum fuisse ad Honoratum presbyterum.

quid intuentes, & unum collaborantes sociali ratione, & individua veritate.

2. **VOLUISTI** ergo, & scripto commouisti exponi atque aperiri tibi: *Quid sibi velit vox illa Domini: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Et quid sit quod Apostolus ait: Ut in caritate radicati & fundati, prævaleatis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, altitudo, & profundum. Et quæ sint virgines quinque stultæ, quæve sapientes. Et quæ sint tenebræ exteriores. Et quomodo intelligendum sit: Verbum caro factum est.* Hæ sunt certè quinque tam breviter à me commemoratæ, quam abs te propositæ questiones. Proinde si placet, addamus & sextam, & illud potissimum requiramus: *Quæ sit Gratia novi Testamenti.* Hanc omnes illæ intueantur, & in hanc, ut opportunè quæque potuerit, opus suum conferat nobis, non eo scilicet ordine, quo eas & tu proposuisti, & ego recolui, sed unaquæque cum fuerit necessaria, velut vocata respondeat, & officium sui operis impleat. Ergo ita nascatur exordium.

3. **EST** quædam vita hominis carnalibus sensibus implicata, gaudiis carnalibus dedita, carnalem fugitans offensionem, voluptatemque consecrans. Hujus vitæ felicitas temporalis est: ab hac vita incipere necessitatis est: in ea persistere voluntatis. In hac quippe ex utero matris infans funditur, hujus offensiones quantum potest refugit, hujus appetit voluptates, nihil amplius valet. Sed posteaquam venerit in ætatem, qua in eo rationis usus evigilet, poterit adjuncta divinitus, voluntate eligere alteram vitam, cujus in mente gaudium

CAPUT I.

Psal. 21. 2.
Eph. 3. 17.

Matt. 25.

2.

Matt. 22.

13.

Joan. 1. 14.

CAP. II.

S. AURELI AUGUSTINI
HIPONENSIS EPISCOPI
DE GRATIA NOVI TESTAMENTI
LIBER *seu*
EPISTOLA CXL. *

* *Alias*
CXX.
que autem
140. erat,
nunc 260.

Augustinus Honorato respondet ad illius quinque questiones; præter quas sextam sibi ipse proponit, de Gratia novi Testamenti, adversus pelagianos tractandam: & Psalmum vicesimum primum ad eam rem totum interpretatur.

Scripta
an. 412.
PRÆFATIO.

I. **QUINQUE** mihi proposuisti pertractandas questiones atque solvendas, dilectissime mi frater ^a Honorate, hinc inde raptas, sicut te vel legentem movere, vel cogitanti tibi in mentem venire potuerunt, & in conspectum meum fusas quodam modo. Quarum solutionem si velim disserendo ordinare, non ut carptim, sicut propositæ sunt, de singulis disseram, sed uno quodam tenore sermonis eas inter se connectam atque contexam, difficile opus videtur: & tamen puto facilius eas solvi, si hoc fecero. Invicem quippe adjuvabunt, si altera pendebit ex altera, donec omnes veniant in seriem disputationis, non singillatim separatis locis, quasi unaquæque in sua privata intentione habitet; sed unum ali-

^a Honoratus baptismo initiatus nondum erat, ut liquet ex libri hujus c. 19. n. 48. Postea vero ad presbyterii munus evehctus est: nisi forte fallitur Cassiodorus, qui in lib. de div. lect. c. 16. ait, opus istud scriptum fuisse ad Honoratum presbyterum.

quid intuentes, & unum collaborantes sociali ratione, & individua veritate.

2. **VOLUISTI** ergo, & scripto commouisti exponi atque aperiri tibi: *Quid sibi velit vox illa Domini: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Et quid sit quod Apostolus ait: Ut in caritate radicati & fundati, prævaleatis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, altitudo, & profundum. Et quæ sint virgines quinque stultæ, quæve sapientes. Et quæ sint tenebræ exteriores. Et quomodo intelligendum sit: Verbum caro factum est.* Hæ sunt certè quinque tam breviter à me commemoratæ, quam abs te propositæ questiones. Proinde si placet, addamus & sextam, & illud potissimum requiramus: *Quæ sit Gratia novi Testamenti.* Hanc omnes illæ intueantur, & in hanc, ut opportunè quæque potuerit, opus suum conferat nobis, non eo scilicet ordine, quo eas & tu proposuisti, & ego recolui, sed unaquæque cum fuerit necessaria, velut vocata respondeat, & officium sui operis impleat. Ergo ita nascatur exordium.

3. **EST** quædam vita hominis carnalibus sensibus implicata, gaudiis carnalibus dedita, carnalem fugitans offensionem, voluptatemque consecrans. Hujus vitæ felicitas temporalis est: ab hac vita incipere necessitatis est: in ea persistere voluntatis. In hac quippe ex utero matris infans funditur, hujus offensiones quantum potest refugit, hujus appetit voluptates, nihil amplius valet. Sed posteaquam venerit in ætatem, qua in eo rationis usus evigilet, poterit adjuncta divinitus, voluntate eligere alteram vitam, cujus in mente gaudium

CAPUT I.

Psal. 21. 2.
Eph. 3. 17.

Matt. 25.

2.

Matt. 22.

13.

Joan. 1. 14.

CAP. II.

est, cujus interna atque æterna felicitas. In-
est quippe homini anima rationalis, sed in-
terest ejusdem rationis a usu, quoniam potius
voluntatem convertat, utrum ad bona exte-
rioris, & inferioris, an ad bona interioris su-
periorisque naturæ: id est, utrum ut fruatur
corpore, & tempore, an ut fruatur divinitate
atque æternitate. In quadam quippe medie-
tate posita est, infra se habens corporalem
creaturam, supra se autem sui & corporis
Creatorem.

4. Potest igitur anima rationalis etiam tem-
porali & corporali felicitate bene uti, si non
se dederit creaturæ, Creatore neglecto, sed
eam potius felicitatem fecerit servire Crea-
tori, qui & ipsam suæ bonitatis abundantissima
largitate donavit. Sicut enim bona sunt om-
nia, quæ creavit Deus, ab ipsa rationali crea-
tura usque ad infimum corpus; ita bene agit
in his anima rationalis, si ordinem servet, &
distinguendo, eligendo, pendendo subdat mi-
nora majoribus, corporalia spiritalibus, infe-
riora superioribus, temporalia sempiternis, ne
superiorum neglectu, & appetitu inferiorum
(quoniam hinc fit ipsa deterior) & se, & cor-
pus suum b mittat in pejus, sed potius ordi-
nata caritate se, & corpus suum convertat in
melius. Cum enim sint omnes substantiæ natu-
raliter bonæ, ordo in eis laudatus honora-
tur, perversitas culpata damnatur. Nec effi-
cit anima perversè utens creaturis, ut ordina-
tionem effugiat Creatoris; quoniam si illa ma-
lè utitur bonis, ille bene utitur etiam malis:

a MSS. plerique, ejusdem rationis usum quoniam po-
tius voluntate convertat.

b Unus è Vatic. MSS. mutat in pejus.

ac per hoc illa perversè bonis utendo fit ma-
la, ille ordinatè etiam malis utendo permanet
bonus. QUI ENIM injustè se ordinat in pec-
catis, justè ordinatur in poenis.

5. Volens itaque Deus ostendere etiam
terrenam temporalemque felicitatem suum do-
num esse, nec aliunde nisi ab ipso sperari
oportere, prioribus sæculi temporibus dispen-
sandum judicavit Testamentum vetus, quod
pertineret ad hominem veterem, à quo ista
vita necesse est incipiat. Sed illæ felicitates
Patrum Dei beneficio concessæ prædicantur,
quàmvis ad istam vitam transitoriam pertinen-
tes. Illa quippe terrena munera in manifesto
promittebantur & tribuebantur: in occulto au-
tem illis omnibus rebus novum Testamentum
figuratè prænuntiabatur, & capiebatur intelli-
gentia paucorum, quos eadem gratia proph-
etico munere dignos fecerat. Dispensabant ergo
illi sancti pro congruentia temporis Testa-
mentum vetus, pertinebant verò ad Testa-
mentum novum. Nam & quando temporalem
felicitatem agebant, æternam veram, & præ-
ferendam intelligebant, & istam ministrabant
in mysterio, ut illam consequerentur in præ-
mio. Et si quando patiebantur adversa, ad
hoc patiebantur, ut evidentissimo divino ad-
jutorio liberati, glorificarent Deum omnium
bonorum largitorem, non solum sempiterno-
rum, quæ pie sperabant, verùm etiam tempo-
ralium, quæ prophetice gubernabant.

6. CUM autem venit plenitudo tempo-
ris, ut gratia, quæ occultabatur in veteri
Testamento, jam revelaretur in novo, misit
Deus Filium suum, factum ex muliere: quo
nomine proprietate hebraicæ linguæ omnis fe-
mina nuncupatur, sive viro intacta, sive jam

CAP. III.
Gal. 4. 4.

mixta. Quem autem Filium miserit, fierique ex muliere voluerit, quantus ille Deus sit, qui hanc humilitatem pro salute fidelium suscipere dignatus fuerit, ut agnoscas, nunc adtende Evangelium: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehenderunt.* Hic ergo Deus Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, Filius Dei est, incommutabiliter manens, ubique praesens, nullo clausus loco, nec partiliter per cuncta diffusus, tamquam minorem partem habeat in minori loco, & in majori majorem, sed ubique totus, atque ita non absens etiam mentibus impiorum, quamvis eum non videant, sicut nec ista lux videtur oculis praesentata caecorum. Lucet ergo & in tenebris talibus, quales Apostolus significat, ubi dicit: *Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino;* sed eam tales tenebrae non comprehenderunt.

Eph. 5. 8.

7. Suscepit itaque hominem, quem videre homines poterant, ut sanati per fidem postea viderent, quod tunc videre non poterant. Sed ne homo Christus eo ipso, quo visibiliter apparebat, non crederetur & Deus, tantumque illi tribueretur, quantum homini excellentissimae gratiae atque sapientiae, ideo fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Tantus enim homo debuit perhibere testimonium de illo, qui non tantum homo,

Joan. 1. 6.

VC-

verum etiam Deus erat, ut de illo diceretur, *Matt. 11. quod in natis mulierum nemo exsurgeret major* 11.
Joanne Baptista: sic enim ille cui majori Joannes testimonium perhibebat, intelligeretur hoc esse major, quo non tantum homo, sed etiam Deus erat. Lumen ergo & Joannes, sed tale lumen, quali testimonium perhibet ipse Dominus, dicens: *Ille erat lucerna ardens & lucens;* quod & discipulis suis dixit: *Vos estis lumen mundi:* atque ut ostenderet quale lumen, secutus adjunxit: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt: sic luceat lumen vestrum coram hominibus.* Ista similitudines datae sunt, ut quantum possumus intelligamus, vel si hoc nondum possumus, sine ulla dubitatione credamus, animam rationalem non esse naturam Dei (illa quippe incommutabilis est) sed tamen eam posse participando illuminari; lucernae quippe accendi indigent, & exstingui possunt. Ideo quod dicitur de Joanne: *Non erat ille lumen,* ad illud respicit lumen, quod non participando illuminatur, sed ejus participatione illuminantur quae ab illo illuminantur.

Joan. 5. 35.
Matt. 5. 14.

Ibidem 15.

8. Denique sequitur: *Erat lumen verum:* Joan. 1. 9. & tamquam quaereremus, quomodo discerneretur lumen verum a lumine illuminato, id est, Christus a Joanne, *Erat, inquit, lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Si omnem hominem, ergo & Joannem. Atque ut magis ostendat hujus divinitatem longe praestantiore distantia: *In hoc mundo, inquit, erat, & mundus per eum factus est, & mundus eum non cognovit.* Non mundus, qui per eum factus est, eum non cognovit: neque enim habet vim cognoscendi eum

A 4

ni-

nisi rationalis creatura; quamvis etiam mundus iste visibilis per eum factus sit, hoc est, cælum & terra: sed mundum non cognoscentem increpando, significavit infideles constitutos in mundo.

Ibid. 12.

9. Deinde adjungit: *In sua propria venit, & sui eum non receperunt*; sive quia & ipsi infideles in quantum homines sunt, ejus sunt per quem creati sunt; sive suos propriè judæos intelligi voluit, ex quibus naturam carnis assumpsit, nec tamen omnes eum non receperunt. Sequitur enim & dicit: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Hæc est Gratia novi Testamenti, quod in veterè latuit, nec tamen figuris obumbrantibus prophetari prænuntiarique cessavit, ut intelligat anima Deum suum, & gratiâ ejus renascatur illi. Hæc quippe nativitas spiritalis est, idè non ex sanguinibus, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo.

CAPUT IV.

10. HÆC etiam adoptio vocatur. Eramus enim aliquid antequam essemus filii Dei, & accepimus beneficium, ut fieremus quod non eramus: sicut qui adoptatur, antequam adoptaretur, nondum erat filius ejus à quo adoptatur, jam tamen erat qui adoptaretur. Et ab hac generatione gratiâ discernitur ille Filius, qui cum esset Filius Dei, venit ut fieret filius hominis, donaretque nobis, qui eramus filii hominum, filios Dei fieri. Factus est quippe ille quod non erat, sed tamen aliquid aliud erat; & hoc ipsum aliquid Verbum Dei erat, per quod facta sunt omnia, & lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & Deus apud Deum.

Nos

Nos quoque per ejus gratiam facti sumus quod non eramus, id est, filii Dei: sed tamen aliquid eramus, & hoc ipsum aliquid multò inferius, hoc est, filii hominum. Descendit ergo ille ut nos adscenderemus, & manens in natura sua factus est particeps naturæ nostræ, ut nos manentes in natura nostra efficeremur participes naturæ ipsius. Non tamen sic: nam illum naturæ nostræ participatio non fecit deteriorem; nos autem facit naturæ illius participatio meliores.

11. *Misit, itaque, Deus Filium suum* Gal. 4. 4. *factum ex muliere, factum sub lege.* Nam legis sacramenta percepit, ut eos qui sub lege erant, redimeret: id est, quos lex reos tenebat occidente littera, dum præceptum non impleretur, antequam vivificaret spiritus: quia caritas Dei, quæ præceptum implet, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Proinde cum dixisset: *Ut eos qui sub lege erant redimeret*, continuò subjunxit, *ut adoptionem filiorum reciperemus*; ut videlicet hujus gratiam beneficii discerneret ab illa Filii natura, qui missus est Filius, non per adoptionem factus, sed semper genitus Filius, ut participatâ naturâ filiorum hominum, ad participandam etiam suam naturam adoptaret filios hominum. Quapropter etiam cum dixisset: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*; modumque adjunxisset, ne carnalis intelligeretur nativitas, quod scilicet eis id præstiterit, *qui credunt in nomine ejus*, & per gratiam renascuntur spiritali, *non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo*; mox commendavit quasi hujus a vicissitu-

^a Ita editi. At Corbeiensis MS. alique probæ notæ habent, necessitudinis sacramentum.

tudinis sacramentum. Tamquam enim mirati tantum bonum non auderemus optare, statim subjunxit: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*; quod unum est ex quinque illis, quæ tibi exponi voluisti. Tamquam diceret: O homines, nolite desperare vos fieri posse filios Dei, quia & ipse Filius Dei, hoc est, Verbum Dei caro factum est, & habitavit in nobis. Reddite vicem, efficiamini spiritus, & habitate in illo qui caro factus est, & habitabit in vobis. Neque enim jam desperandum est, participatione Verbi fieri posse homines filios Dei, quando Filius Dei participatione carnis factus est filius hominis.

12. Nos itaque mutabiles in melius commutati, participes efficiamur Verbi: Verbum autem incommutabile nihil in deterius commutatum, particeps carnis effectum est rationali anima mediante. Neque enim homo Christus, ut apollinaristæ hæretici putaverunt, aut non habuit animam, aut non habuit rationalem: sed more suo Scriptura ut Christi humilitatem magis ostenderet, ne carnis nomen quasi indignum aliquid refugisse videretur, carnem pro homine posuit. Neque enim quia scriptum est: *Videbit omnis caro salutare Dei*; animæ ibi non sunt intelligendæ. Nihil proinde aliud dictum est: *Verbum caro factum est*, quam si diceretur: Filius Dei filius hominis factus est: *Qui cum in forma Dei esset, sicut dicit Apostolus, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo*. Neque enim usurpationis erat, ut rapina diceretur: sed naturæ inerat, ut esset æqualis. *Semetipsum tamen exinanivit, non formam Dei amittens, sed formam servi suscipiens; humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem,*

mor-

mortem autem crucis. Vides quemadmodum eundem hominem quem Deum commendat, ut persona una sit^a, ne non Trinitas, sed quaternitas inducatur. Sicut enim non augetur numerus personarum, cum accedit caro animæ, ut sit unus homo: sic non augetur numerus personarum, cum accedit homo Verbo, ut sit unus Christus. Legitur itaque: *Verbum caro factum est*; ut intelligamus hujus personæ singularitatem, non ut suspicemur in carnem mutatam divinitatem.

13. ITAQUE Christus homo, ut per eum revelaretur novi gratia Testamenti, quæ non ad temporalem, sed ad æternam vitam pertinet, non utique terrena felicitate commendandus fuit. Inde subjectio, inde passio, inde flagella, sputa, contumeliæ, crux, vulnera, & tamquam superato subjectoque mors ipsa; ut fideles ejus discerent quale pietatis præmium ab illo, cujus filii facti essent, petere atque sperare deberent; ne ad hoc pro magno serviretur Deo, ut terrenam felicitatem adipisci quærerent qui servirent ipsi, abjicientes & conculcantes fidem suam, æstimando eam mercede vilissima. Unde BENEFICENTISSIMA PROVIDENTIA omnipotens Deus terrenam felicitatem concessit & impiis, ne pro magno quæreretur à bonis. Hinc ille Psalmus septuagesimus & secundus inducit hominem poenitentem, quòd aliquando corde non recto Deo pro hac mercede servierit, quæ cum pollere atque excellere impios videret, turbatus coeperat cogitare, quòd Deus humana non curet. Et cum ab ista cogitatione cum

sanc-

^a In editis post *una sit*, hæc adduntur, *etiam Alium hominis prætetur*: quæ verba absunt à MSS.

Joan. I. 14.

Isa. 52. 10.

Joan. I. 14.

Philip. 2. 6.

3. Sentent.
dist. 6. c.
Ne autem.

Joan. I. 14.

CAPUT V.

sanctorum ad Deum pertinentium revocaret auctoritas, suscepit, atque intendit agnoscere tam grande secretum, quod ei laboranti non patefactum est, donec intraret sanctuarium Dei, & intelligeret in novissima: hoc est, donec accepto Spiritu sancto disceret desiderare potiora, & prospiceret quæ poena futura sit impiis, etiam qui fœnea quadam felicitate temporaliter floruisent. Hunc Psalmum septuagesimum secundum, nocte qua illucescebat sollemnitatis beatissimi Cypriani, per ministerium nostrum expositum, lege, & diligenter adverte.

14. Proinde homo Christus idemque Deus Christus, cuius misericordissima humanitate, atque in cuius forma servili discere deberemus, quid in hac vita contemnendum, & quid in alia sperandum esset, in ipsa passione, in qua sibi ejus inimici magni, victoresque videbantur, suscepit vocem infirmitatis nostræ, qua simul crucifigebatur vetus homo noster, ut evacuaretur corpus peccati, & dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Et hoc unum de quinque propositis tuis. Sic incipit Psalmus vicesimus primus, qui de passione ipsius & revelatione gratiæ, quam fidelibus faciendis liberandisque adtulit, in prophetia tanto ante cantatus est.

CAPUT VI.

15. PROINDE eundem Psalmum, cuius prophetiam Dominus ad se pertinere demonstrans, ejus primum versum exclamavit, cum penderet in ligno, commemorando exponendoque percurram, ut ex hoc intelligas quemadmodum Gratia Testamenti novi nec eo tempore tacebatur, quando in veterè velabatur. Dicitur enim ex persona Christi, quod ad formam servi adinet, in qua portabatur

nos-

nostra infirmitas. Dixit enim & de illo Isaias: *Isai. 53. 4. Ille infirmitates nostras portat, & pro nobis in doloribus est.* Ex hujus igitur infirmitatis voce, de qua Paulus in eo quod petebat non exauditus, & ideo quodam modo derelictus, audit tamen à Domino: *Sufficit 2. Cor. 12. tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur:* ex voce ergo hujus infirmitatis nostræ, quam in se transfiguravit caput nostrum, dicitur in hoc Psalmo: *Deus meus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* In eo quippe derelinquitur deprecans, in quo non exauditur. Hanc in se vocem transfiguravit Jesus, vocem scilicet corporis sui, hoc est, Ecclesiæ suæ à veterè homine in novum reformandæ, vocem scilicet infirmitatis suæ humanæ, cui deneganda fuerant bona veteris Testamenti, ut bona novi Testamenti optare atque sperare jam disceret.

16. In illis autem veteris Testamenti bonis ad veterem hominem pertinentibus, præcipue concupiscitur vitæ hujus productio temporalis, ut aliquanto diutius teneatur, quia semper non potest. Ideo diem mortis omnes quidem affuturum sciunt, & eum tamen omnes aut penè omnes differre conantur, etiam qui post mortem se beatius credunt esse victuros: tantam habet vim carnis & animæ dulcè consortium. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: & propterea non vult anima vel ad tempus ab ejus etiam infirmitate discedere, quamvis eam se in fine sine infirmitate in æternum recepturam esse confidat. Proinde mente serviens legi Dei, carne autem trahens desideria peccati, quibus obedire vetat Apostolus, mentis quidem ratione concupiscit homo pius dissolvi, & esse cum

Chris-

Christo : sed id sensu carnis recusat & refugit , & si fieri possit , non vult exspoliari , sed supervestiri , ut absorbeat quod mortale est à vita , id est , ut ab infirmitate ad immortalitatem etiam ipsum corpus sine morte media transferatur.

17. Sed hæc verba , quibus humanus dies & vitæ hujus prolixitas concupiscitur , verba sunt delictorum , & longè sunt ab ea salute , cujus nondum rem sed jam spem gerimus , de qua scriptum est : *Quia spe salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur non est spes.* Ideoque & in isto Psalmo cum dixisset : *Deus meus , Deus meus , respice in me , quare me dereliquisti ?* continuo subiungit : *Longè à salute mea verba delictorum meorum sunt* ; & longè ab illa salute mea sunt , quam mihi non veteris , sed novi Testamenti gratia pollicetur. Quamquam etiam sic distingui potest : *Deus meus , Deus meus , respice in me , quare me dereliquisti longè à salute mea ?* Tamquam diceret : Relinquendo me , hoc est , non me exaudiendo , longè factus es à salute mea , præsentis scilicet salute hujus vitæ ; ut alius sensus sit , *verba delictorum meorum* , id est , ista quæ dixi , verba sunt delictorum meorum , quia verba sunt carnalium desideriorum.

18. Hæc ex persona sui corporis Christus dicit , quod est Ecclesia. Hæc ex persona dicit infirmitatis carnis peccati , quam transfiguravit in eam , quam sumpsit ex Virgine , similitudinem carnis peccati. Hæc Sponsus ex persona sponsæ loquitur , quia univit eam sibi quodam modo. Et apud Isaiam , ubi dicit : *Sicut sponso adligavit mihi mitram ; & sicut sponsam ornavit me ornamento : adli-*
ga-

gavit mihi , & ornavit me , tamquam unius vox est , & tamen sponsum & sponsam , Christum intelligimus & Ecclesiam. Sed erunt duo in carne una , *sacramentum magnum* , dicit Apostolus , *in Christo & in Ecclesia* : igitur non jam duo , sed una caro. Si ergo caro una , profectò competenter etiam vox una. Quid hîc quæris , humana infirmitas , vocem Verbi , per quod facta sunt omnia ? Audi potiùs vocem carnis , quæ facta est inter omnia : quoniam Verbum caro factum est , & habitavit in nobis. Audi potiùs medicinæ vocem , qua sanaris ut videas Deum , quem tibi videndum distulit , hominem autem videndum adtulit , occidendum obtulit , imitandum contulit , erendum transtulit , ut ista fide ad videndum Deum mentis oculus sanaretur. Quid ergo dedignamur audire vocem corporis ex ore capitis ? Ecclesia in illo patiebatur , quando pro Ecclesia patiebatur. Sicut etiam in Ecclesia patiebatur ipse , quando pro illo Ecclesia patiebatur. Nam sicut audivimus Ecclesiæ vocem in Christo patientis ; *Deus , Deus meus* , *respice* &c. sic etiam audivimus Christi vocem in Ecclesiæ patientis , *Saule , Saule* , *quid me persequeris ?*

19. CUM itaque non exaudimur ad temporalia bona retinenda vel adipiscenda , quando pro his deprecamur Deum ; in eo quod nos non exaudit , derelinquit nos : sed ad potiora , quæ vult ut intelligamus , & præferamus , & concupiscamus , non nos derelinquit. Unde sequitur Psalmus , & dicit : *Clamavi ad te per diem , nec exaudies ; & nocte , etiam hîc subauditur , nec exaudies.* Sed vide quid adjungit : *Et non ad insipientiam mihi.* Hoc ergo dicit : Non me quidem exaudies clamantem

per

per diem, id est, in rebus prosperis, ut eas non amittam; & nocte, id est, in rebus adversis, ut prospera quæ amissa sunt, redeant: verum hoc mihi non ad insipientiam facies, sed potius ut sapiam, quid jam per novi Testamenti gratiam à te spectare, quid desiderare, quid poscere debeam. Clamo quippe ego, ut mihi bona temporalia non auferantur: *Tu autem in sancto habitas laus Israël.* Nolo ut derelinquas concupiscentiam meam, qua carnalem felicitatem requiro. Verum hæc est in sordibus vetustatis, tu autem quæris munditiam novitatis: non exaudiendo istam cupiditatem relinquis; quia caritatem in qua habitas, requiris. Caritas autem Dei diffunditur in cordibus nostris, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ideo *in sancto habitas laus Israël*: laus videntium te, quia non in se laudantur, sed in te. Quid enim habent quod non acceperunt? Ut qui gloriatur, in Domino gloriatur.

20. Hæc est Gratia novi Testamenti: nam in veteri Testamento, quando commendabas, non nisi à te peti sperarique debere etiam ipsam terrenam temporalemque felicitatem: *In te speraverunt patres nostri, speraverunt, & eruisti eos. Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt: in te speraverunt, & non sunt confusi.* Illos quippe patres inter inimicos suos viventes, & divitiis implesti, & ab hostibus eruisti, gloriosasque victorias reportare fecisti, & de diversis eos mortibus liberasti. Pro alio subiecisti, ne feriretur, arctem. Alium de putredine sanum, & ei dupla quæ amiserat reddidisti. Alium inter leones esurientes illæsum integrumque servasti. Aliorum inter flammam deambulantium grata voce laudatus

es.

es. Tale aliquid in Christo expectabant fieri judæi, unde probarent si verè Filius Dei esset. Ex eorum persona & in libro Sapientiæ dicitur: *Morte turpissima condemnemus illum: erit enim respectus in sermonibus ipsius. Si enim verus Dei Filius est, suscipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum.* Hæc, inquit, cogitaverunt & erraverunt: *excæcavit enim eos malitia eorum.* Adtendentes quippe tempus veteris Testamenti, & illam patrum etiam temporalem felicitatem, in qua illis exhibenda demonstravit Deus etiam talia dona sua esse, non viderunt jam esse tempus, quo revelaretur in Christo, bona æterna propriè Deum præstare justis, qui bona temporalia præstat & impiis.

21. DENIQUE cum dixisset: *In te speraverunt patres nostri, speraverunt, & erusti eos: Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt: in te speraverunt, & non sunt confusi;* vide quid adjunxerit: *Ego autem sum vermis, & non homo.* Quod videtur quidem ad commendandam humilitatem simpliciter dictum, ut se in oculis persequentium, abjectissimum quiddam & contentissimum demonstraret: sed non est contemnenda altitudo secreti profunditasque mysterii, præsertim in eis verbis, quæ tanto Salvatore in prædicatione prophetiæ coaptantur. Dictus est hinc sensus elegantissimus à * prioribus, ideo se hoc nomine Christum prænuntiari voluisse, quia vermis de carne sine concubitu nascitur, sicut ille natus est de Virgine. Sed in libro suo Job, cum de creaturis cælestibus loqueretur, quod in Dei conspectu etiam vix ipsæ mundæ sint: *Quanto magis, inquit, homo putredo, & filius hominis vermis?* Putredinem pro mortalitate posuit.

TOM. IV.

B

suis,

Ibid. 4.

Rom. 5. 5.

I. Cor. 4.

7.

I. Cor. 1.

31.

Psal. 21. 5.

& 6.

Gen. 22. 13.

Job. 42. 10.

Dan. 14.

30.

Dan. 3. 51.

Sap. 20.

CAP. VIII.

Psal. 21. 5.

6. v. 7.

* Orig.

hom. 15.

in Lucam

& Ambros.

in hunc

Psalm.

Job 25. 6.

suit, quæ jam velut conceptam gerit moriendi necessitatem, in quam peccando contrusus est homo; & filium hominis vermem natum de putredine quasi putrem, hoc est, de mortalitate mortalem. Ac per hoc in his verbis Psalmi, alium sensum nos quærere admonuit, illo quidem salvo neque reprobato: ut non solum scrutemur quod ait: *Ego autem sum vermis*; sed etiam illud quod addidit, *et non homo*; secundum illud quod de libro Job commemoravi, tamquam diceret: Ego autem sum filius hominis, & non homo. Non quod homo non sit Christus, de quo dicit Apostolus: *Unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*; omnis enim filius hominis homo est: sed ad quemdam respicit sensus iste, qui sic homo fuerit, ut non esset filius hominis, id est, Adam. Fortè ergo sic est dictum: *Ego autem sum vermis, & non homo*; id est, ego autem sum filius hominis, & non homo, tamquam diceretur: Ego autem sum Christus, in quo omnes vivificantur; non Adam, in quo omnes moriuntur.

22. Ac per hoc, homines, discite per gratiam novi Testamenti jam vitam concupiscere sempiternam. Quid pro magno ita vos vultis à Domino de morte liberari, sicut liberati sunt patres vestri, quando commendabat Deus etiam terrenæ felicitatis præter se non esse alium largitorem? Illa felicitas ad veterem hominem pertinet, quæ vetustas ab Adam cœpit. *Ego autem sum vermis, & non homo*, Christus, non Adam. A veteri veteres fuistis, à novo novi estote: ab Adam homines, à Christo filii hominum. Non enim sine caussa familiarissimè Dominus in Evangelio se filium hominis dicit magis quàm hominem, nec sine caussa in alio

Psal-

Psalmo: *Homines, inquit, & jumenta salvos facies, Domine, sicut multiplicata est misericordia tua, Deus*. Abs te quippe etiam ista salus hominibus jumentisque communis. Sed habent aliam homines novi propriam quamdam & à jumentorum consortio separatam, quæ ad novum pertinet Testamentum. Habent omnino: nam de illa ibidem sequitur & dicit: *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. Certè & hîc cum superius dixisset, *homines*, posterius dixit, *filii autem hominum*, tamquam distinguens ab hominibus filios hominum. In illa quippe felicitate ejus salutis, quæ communis est hominibus & jumentis, eo nomine illos appellare voluit, quo demonstrarentur ad illum primum hominem pertinere, quo vetustas cœpit & mors, qui sic fuit homo, ut non esset filius hominis. Istis autem posterioribus, qui sperant aliam felicitatem, & fontis vitæ ineffabilem voluptatem, & sempiterni luminis lumen, hoc nomen imposuit, quo se familiarius appellari voluit Dominus eorum, in quos talis gratia revelata est, eosque filios hominum potius quàm homines appellavit.

23. Non autem existimes quasi locutionis regulam figi perpetua lege servandam, ut ubicumque legeris, *homines* aut *filios hominum*, secundum hanc distinctionem semper intelligas: sed ut se habuerit circumstantia lectionis, unde sensus si patet, hauritur; si latet, eruitur. Sicut in hoc loco Psalmi hujus, quem non moveat distinctionis intentio? Cum ille qui dixerat: *In te speraverunt patres nostri, &*

B 2

eruis-

Psalm. 21.
7.1. Tim. 2.
5.Matt. 17.
9. &c.

eruisti eos: ad te clamaverunt, & salvi facti sunt: in te speraverunt, & non sunt confusi; subjungit, *Ego autem*: non enim ait sic, Et ego, sed *ego autem*. Quid ergo iste, qui se ita distinguit? *Ego autem sum vermis*, inquit, & non homo; tamquam illis quos exaudisti & eruisti, eam commendares felicitatem, quæ ad vetus pertinens Testamentum, homini veteri tribuenda esset, qui cœpit ab Adam. *Ego autem sum vermis*, hoc est, filius hominis, non homo, sicut ille homo qui non fuit filius hominis.

CAPUT IX.
Psal. 21. 7.
8. & 9.

24. AC per hoc & quod sequitur: *Opprobrium hominum, & abjectio plebis: Omnes qui conspiciebant me, subsannabant me, & locuti sunt labiis, & moverunt caput: Speravit in Deum, eruat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum*. Hoc in labiis, non in corde dixerunt, insultando quod non fieret, non credendo quod futurum esset. Factum est autem & hoc, sed sicut fieri oportebat in filio hominis, in quo spes æternæ vitæ fuerat revelanda, ad novum pertinens Testamentum: non sicut illi expectabant, & quia fieri non videbant, tamquam superato insultabant, pertinentes ad Testamentum vetus, & hominem in quo omnes moriuntur, non ad filium hominis, in quo omnes vivificabuntur. Mortem quippe intulit homo sibi filioque hominis: vitam verò adtulit homini moriens & resurgens filius hominis, opprobrium hominum, & abjectio plebis usque ad mortem. Hoc enim voluit pati in conspectu inimicorum, quo eum tamquam derelictum putarent, ut gratia commendaretur novi Testamenti, qua disceremus aliam quærere felicitatem, quæ nunc est in fide, postea verò erit
in

in specie. *Quamdiu enim sumus in corpore*, ait Apostolus, *peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, non per speciem; & ideo nunc in spe, tunc in re.*

25. Denique resurrectionem suam, quam non sicut nostram in longum differri oportebat, ut in exemplo carnis ejus disceremus, quid in nostra sperare deberemus, noluit alienis demonstrare, sed suis: alienis, dico, non natura, sed vitio, quod semper est contra naturam. Mortuus est ergo in conspectu hominum, resurrexit autem in conspectu filiorum hominum: quia mors ad hominem pertinebat, resurrectio ad filium hominis. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur*. Ut igitur exemplo suæ carnis exhortaretur fideles suos temporalem pro æterna felicitatem contemnere, usque ad mortem pertulit persequentes atque sævientes, & quasi victo, & oppresso superbe illudentes. Quòd autem carnem resuscitavit, & discipulorum conspectibus, & contactibus reddidit, eisque videntibus ascendit in cælum; ipsos ædificavit, & quid expectare, quid prædicare deberent, evidentissima veritate demonstravit. Illos autem à quibus tanta mala usque ad mortem pertulerat, quasi de illo superato & extincto gloriantes, in ea opinione dereliquit; ut quisquis eorum salute æterna salvus fieri vellet, hoc de illius mortui resurrectione crederet, quod ii, qui viderunt, signis contestantibus prædicaverunt, & pro ea prædicatione similia perpeti non dubitaverunt.

I. Cor. 15.
22.

26. QUAPROPTER etiam Jacobus unus ex Apostolis ejus, in epistola sua, cum hortaretur fideles, qui post passionem & resur-

CAPUT X.

reccionem Christi adhuc in ista vita teneban-
Jas. 5. 11. tur, dispensationem veteris Testamenti novi-
 que distinguens: *Sustinentiam*, inquit, *Job*
audistis, & *finem Domini vidistis*; ne ideo
 patienter sustinerent temporalia mala, ut sibi
 hoc restitueretur quod recepisse legimus *Job*.
Job. 42. 10. Nam & ab illo vulnere atque putredine sal-
 vus factus est, & ei cuncta, quæ amiserat,
 duplicia sunt restituta: ubi etiam commenda-
 ta est resurrectionis fides. Nam filii non du-
 pli, sed totidem redditi, etiam illos quos ami-
 serat resurrecturos significarunt; ut sic ipsi
 quoque illis prioribus juncti à restitutione du-
 pli non invenirentur alieni. Ut ergo non ta-
 lem remunerationem speraremus, quando ma-
 la temporalia pateremur, non ait: *Sustinen-*
tiam & finem Job audistis; sed ait: *Sustinen-*
tiam Job audistis, & finem Domini vidis-
tis. Tamquam diceret: Mala temporalia sicut
Job sustinete, sed pro hac sustinentia non
 temporalia bona sperate, quæ illi aucta re-
 dierunt, sed æterna potius, quæ in Domino
 præcesserunt. *Job* ergo de illis patribus erat,
 qui exclamaverunt, & salvi facti sunt. Cum
 enim dicit, *ego autem*, satis insinuat qua sa-
 lute illos salvos esse factos velit intelligi, in
 qua ipse utique derelictus est: non quod
 illi à salute æterna fuerint alieni, sed in oc-
 culto tunc erat quod in Christo fuerat reve-
 landum. In veteri quippe Testamento velamen
 est, quod tunc auferetur, cum ad Christum
 quisque inde transierit. Quo crucifixo vela-
 men etiam templi scissum est, ut significa-
 retur quod Apostolus de velamine veteris Tes-
 tamenti dixit: *Quoniam in Christo evacuatur*.
27. Nam & in illis patribus, quamvis rari-
 rissima, tamen fuerunt, & usque ad mortem
 exem-

Matt. 27.
51.

2. Cor. 3.
14.

exempla patientiæ, à sanguine Abel usque ad
 sanguinem Zachariæ: quorum sanguinem di-
 cit Dominus Jesus & ab eis exigendum, qui
 in patrum suorum, à quibus illi occisi sunt,
 iniquitate persisterent; & in novo Testamen-
 to nec defuit, nec deest bonorum fidelium
 multitudo, qui etiam ista temporali felicitate
 præpolleant, & in ea largitoris Dei bonitatem
 misericordiamque experiantur: tenentes tamen
 quod dispensator novi Testamenti divitibus hu-
 jus sæculi Apostolus præcepit: *Non superbe*
sapere, neque sperare in incerto divitiarum,
sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia
abundanter ad fruendum, ut bene faciant, di-
 vites sint in operibus bonis, facile tribuant,
 communicent, thesaurizent sibi fundamentum
 bonum in futurum, ut apprehendant veram
 vitam: qualis in Christi non tantum spiritu,
 verum etiam carne manifestata est, cum re-
 surrexit à mortuis; non qualem judæi in illo
 peremerunt, quando eum de manibus eorum
 Deus non eruit, eumque dereliquisse visus
 est exclamantem: *Deus meus, Deus meus,*
ut quid me dereliquisti? Ut eo modo in se
 transfiguraret martyres suos, qui etsi mori nol-
 lent, quod etiam Petro dixit: *Alter te cin-*
get, & feret quod tu non vis, significans
qua morte clarificaturus erat Deum; & ob
 hoc à Deo suo derelicti viderentur ad tem-
 pus, cum eis præstare nollet quod vellent; il-
 lam vocem cordis emitterent, illumque adhi-
 berent pietatis affectum, quem passione im-
 pendente ore proprio Dominus expressit, eos
 in se identidem transfigurans: *Verum non quod*
ego volo, sed quod tu vis, Pater.
 18. IN quo enim primitus nisi in ipso
 capite nostro apparere debuit, propter quam
 B 4 vi-

Luca 11.

51.

1. Tim. 6.

17.

Joan. 21.

18.

Matt. 26.

39.

CAPUT XL

vitam christiani sumus? Propterea non ait: Deus meus, Deus meus, dereliquisti me; sed causam commonuit requirendam, cum addidit: *Ut quid dereliquisti me?* id est, quare, propter quid, quam ob causam? Profecto enim erat aliqua causa, eaque non parva, ut Noe liberaret de diluvio, Loth de cælesti incendio, Isaâc de imminente gladio, Joseph de calumnia mulieris & custodia carceris, Moysen ab Ægyptiis, Raab ab excidio civitatis, Susannam à testibus falsis, Daniele à leonibus, tres viros ab ignibus, aliosque patres qui exclamaverunt, & salvi facti sunt; & Christum de manibus Judæorum non liberaret, eumque in potestate sævientium usque ad mortis exitum dereliqueret. Ut quid hoc? Propter quid hoc? Nisi propter illud, quod paulo post in eodem Psalmo dicit: *Non ad insipientiam mihi*: hoc est, corpori meo, Ecclesiæ meæ, minimis meis. Nam & in Evangelio: *Quando uni ex minimis meis fecistis*, inquit, *michi fecistis*. Sic itaque dictum est, & *non ad insipientiam mihi*, quomodo dictum est, *michi fecistis*. Et sic dictum est, *quare me dereliquisti*, quomodo dictum est, *Qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, & me spernit*. Non ergo ad insipientiam nobis, sed ut sapiamus, non propter istam vitam, in qua nos Deus aliquando usque ad mortem persequentium manibus derelinquit, sed propter illam sempiternam nos debere esse christianos; quia hoc in illo præcessisse intuemur, ex cuius nomine sic vocamur.

29 Ecce ita factum est; tamen tam mul-
ti non ob aliud volunt esse christiani, nisi ut
hujus vitæ felicitate perfruantur, ideoque illa de-

deficiente deficiunt. Quid si non in ipso nostro capite tam insigne constitueretur exemplum, quo disceremus pro cælestibus terrena contemnere, non respicientes quæ videntur, sed quæ non videntur? Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Quos in se vocibus illis transfigurare dignatus est. Nam quantum ad ipsum adinet, quomodo vellet liberari ab illa hora, qui propterea venerat in illam horam? Aut quomodo sic loquebatur, quasi quod nollet ei accideret, cum potestatem habuerit ponendi animam suam, & iterum sumendi eam, nec eam quisquam tolleret ab illo, sed eam ipse poneret & resumeret, sicut in Evangelio dicit? Sed proculdubio nos in illis vocibus eramus, & caput pro suo corpore loquebatur, non disjuncta significatione vocis, ubi connexio non disjungitur unitatis.

30. DENIQUE in Psalmo sequitur, & orans adverte quid dicat: *Quoniam*, inquit, *extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ. In te jactatus sum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu*; tamquam diceret: De alia re, & ab alia re in aliam rem me trajecisti, ut tu sis mihi bonum, pro terrenis bonis mortalitatis hujus, quam in matris ventre sortitus sum, cujus ubera suxi. Hæc enim vetustas est, de qua me tu extraxisti; & illa carnalis nativitatis bona sunt, à quibus tu spes mea es; inde enim ad te conversus sum. Et *ex utero*, id est, qui ex his in utero inchoavi, *in te jactatus sum*, ad te scilicet transiens, totum me tibi committens. Ideoque *de ventre matris meæ*, id est, de bonis carnis, quam sumsi in ventre matris meæ, *Deus meus es tu*, ut de his
tu

2. Cor. 4.
18.Joan. 10.
18.

CAP. XII.

Pr. 21. 10.

11.

tu sis bonum meum: ea locutione dictum est, ac si diceretur, verbi gratia: De terra cælum habito, hoc est, hinc illo emigravi: & ista nostra in illum transfiguratio est, qui per gratiam Testamenti novi mutamus vitam, trans-euntes de vetere ad novam. Nam ille hanc rem sacramento suæ passionis resurrectionisque significans, carnem mutavit de mortalitate ad immortalitatem: vitam verò non mutavit de vetustate in novitatem, qui numquam fuit in impietate, unde transiret ad pietatem.

* Ambros.
lib. 1. de Fi-
de c. 6.

31. Quamquam non defuerunt * qui hoc quod dictum est, *de ventre matris meæ Deus meus es tu*, ideo ad ipsum caput nostrum pertinere sentirent, quoniam Pater in tantum est Deus ejus, in quantum homo est in forma servi, non in quantum illi æqualis in forma Dei est. Ideo *de ventre matris meæ Deus meus es tu*, ac si diceret: Ex eo quòd homo factus sum, Deus meus es tu. Sed quid est: *Tu extraxisti me de ventre*, si ad ipsum Jesum de Virgine procreatum refertur? Quasi alios Deus non extrahat, in cuius providentia est omnis ordo nascendi. An inde significare voluit partum Virginis servata virginitatis integritate mirabili, cum ait: *Tu extraxisti me de ventre matris meæ*; ut quod illic mirabiliter factum est, cum Deus fecisse dicitur, nemini incredibile videatur? Quid ergo est & illud: *Spes mea ab uberibus matris meæ*? Quomodo & hoc ad ipsum caput Ecclesiæ referri potest? quasi spes ejus quæ in Deo est, à matris uberibus ei coeperit, non & ante in ipso utero. Neque enim spes alia intelligenda est, nisi qua futurum erat ut Deus eum exaltaret à mortuis. Totum hoc quippe, secundum id quod ho-

mo

mo factus est, dicitur. An forte quia ubera feminarum ab ipso conceptu in ubertatem promoveri perhibentur, sic intelligi voluit, *ab uberibus*, tanquam diceret, ex quo carnem sumsi, cui carni fuerat speranda immortalitas: ut non ante spes ei esset, cum in forma Dei esset, in qua nihil in melius mutandum esset; sed *ab uberibus matris*, id est, ab ipsa susceptione carnis, quæ concipiebatur in spe, cujus spei res futura erat, cum ad immortalitatem de morte transiret?

32. Sed quod dictum est: *In te jactatus sum ex utero*; quomodo coaptari capiti possit, ignoro: quasi in utero cum esset, non in Deo fuerit, in quo vivimus, movemur, & sumus; aut illius infantis anima rationalis, ex quo caro processit ex utero, Deum sperare coeperit. Nisi forte credendum est, jam nato animam rationalem accessisse, quæ intra viscera matris adhuc ei defuisset: & quoniam eadem anima, quæ carni jam nata addita est, Deo inhærebat, ideo secundum eandem carnem dictum esse existimandum est, *in te jactatus sum ex utero*, tanquam diceret: Eam sortitus sum animam ex utero, quæ tibi cohæreret. Sed quis audeat in hanc se temerè præcipitare sententiam? Cum ratio de adventu vel exortu animæ in tanto naturæ profundo sic lateat, ut satius sit eam semper quærere quamdiu in hac vita sumus, quàm aliquando invenisse præsumere. Ex illa verò in seipsum transfiguratione nostra quemadmodum possent hæc accipi, dictum est. Si quid autem dici potuit convenientius, vel potuerit, nullius præjudicamus ingenio, doctrinæ nullius invidemus.

33. JAM illud quod sequitur: *Ne discas* CAP. XIII.
das

Pr. 21. 12.

*das à me, quoniam tribulatio proxima est; vide ut illuminet, quemadmodum dictum sit, quare me dereliquisti. Quomodo enim dereliquit, cui dicitur, ne discedas à me, nisi quia dereliquit vitæ veteris temporalem felicitatem? Rogatur autem ne discedat, & deserat spem vitæ æternæ. Sed quid est, quoniam tribulatio proxima est? Quasi ei passio adhuc immineret, cum in ipsa media passione ista dicere intelligatur, quæ de illo in hoc Psalmo prophetata sunt. Hic enim dicitur etiam, quæ in Evangelio apertissime scripta sunt: *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*; quod factum est cum jam penderet in ligno. Quid est ergo, *tribulatio proxima est*, in qua media loquebatur? Sed nimirum illud vult intelligi, quia cum caro in doloribus est & in pœnis, profectò anima tunc habet magnum agonem patientiæ, in quo ne deficiat, laborandum & orandum est. Nihil est autem animæ sua carne propinquius: ideo mundi hujus quilibet magnus perfectusque contentor, cum alibi patitur, nihil patitur. Potest enim adhibere vigilem rationem, cum amittit bona quæ extrinsecus sunt, & ab animo sapientis, qui ex cupiditate non hæret, sine dubio longè sunt; & non curare quod patitur, quia nec patitur. Cum verò amittit præcipua corporis bona, id est, corporis vitam ac salutem, jam tribulatio proxima est animi bonis, quibus ipse intus tamquam corporis dominus est. Quid faciet qualibet ratione, ut non doleat cum corpus vulneratur aut uritur, cui tanto implicatur consortio, ut pati possit, non dolere non possit?*

Matt. 27.
35.

34. Ideo & diabolus hunc nocendi ordinem

nem tenens, illius magni viri, quem postulerat tentandum, prius externa bona accepit in potestatem: quibus ablatis & perditis, cum illum inconcussus videret (dixerat enim: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum*) etiam carnem cruciandam vulnere postulavit, tali cum eo confingens certamine, ut bona proxima invaderet, hoc est, corporis bona: quibus ille perditis si fortè succumberet, atque ad impietatem cor inclinaret, etiam bona animi deperirent, quibus perdendis jam in corpore sæviens viciniùs tentator instabat. Denique ille vir in tanta tentatione, ubi erat animi bonis proxima tribulatio, quamvis multa propheticè loquatur, longè tamen loquitur aliter, quàm cum illa externa bona deperissent, in quibus filios non amiserat, sed præmiserat.

35. Clamat ergo martyris anima transfigurata in Christum, cum jam in carne tribulari cœperit, & dicit Deo, à quo derelicta est in terrena felicitate, sed quæ cum illo est in spe vitæ æternæ: *Ne discedas à me, quoniam tribulatio proxima est*; non est in agro meo, non in auro, non in pecore, non in tectis atque parietibus, non in meorum orbitibus; sed in carne mea est, cui copulor, cui connector, cujus sensum non habere non possum; unde me de proximo urget, ut à patientiæ virtute deficiam. *Ne discedas à me: quoniam non est qui adjuvet, neque amicus, neque propinquus, neque humana laus, neque præteritæ recordatio voluptatis, neque aliquid eorum, quo terrenæ felicitatis ruina fulcitur, neque ipsa quæ in animo est meo humana virtus. Quia SI TU DE-*

SE-

*CAPUT
XIV.

SERIS, quæ hominis virtus? * QUID est enim homo, nisi quod memor es ejus?

Pr. 21. 13.

36. *Circumdederunt me vituli multi*, hoc est, minores in plebe. *Tauri pingues obsederunt me*, hoc est, superbi ac divites, principes plebis. *Aperuerunt in me os suum*,v. 14.
Luc. 23. 21.clamantes, crucifige, crucifige: *quasi leo rapiens & rugiens*: rapuerunt enim comprehensum adducentes ad præsidem, & rugierunt petendo ejus mortem. *Sicut aqua effusus sum*, tamquam ut in me lapsi caderent persecutores mei. *Dispersa sunt omnia ossa mea*. Quid sunt ossa, nisi corporis firmamenta? Corpus autem Christi, Ecclesia.

Pr. 21. 15.

Firmamenta autem Ecclesiæ qui, nisi Apostoli, qui etiam columnæ alibi nuncupantur? Hi utique dispersi sunt, cum ad passionem ipse duceretur, vel cum esset passus & mortuus. *Factum est ergo cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei*. Hoc sanè quemadmodum capiti nostro ipsius corporis salvatori coaptetur, invenire difficile est. Neque enim nisi magno pavore contingit, ut cor velut cera liquescat humanum: quod unde in illo fieri posset, qui potestatem habebat ponendi & recipiendi animam suam? Sed profectò aut infirmorum suorum in se transtulit causam, sive illorum qui metu mortis pavescent, sicut ipse Petrus ex egregio præsumptore tam creber negator effectus; sive illorum, qui tristitia salubri contabescunt, sicut idem ipse Petrus cum amare flevit. Nam & tristitia quasi solvit cor: unde dicitur etiam græcè quod appellata sit *λύπη*. Aut certè profundum sacramentum nos intelligere voluit, ut cordis sui nomine significaret Scripturas suas, ubi ejus utique latebat consilium, quod tuncJoan. 10.
18.

tunc apertum est, cum ea quæ de illo prophetata fuerunt, passus implevit. Solutæ sunt ergo Scripturæ ejus in iis, quæ perfecta sunt adventu ejus, nativitate, passione, resurrectione, glorificatione. Quis enim jam ea non intelligit in Prophetis, quando usque ad intellectum etiam carnalis multitudinis pervenerunt? Quam fortassè significavit medio ventris sui, ut in ejus corpore, quod est Ecclesia, quasi ventris locum habeat carnalis & infirmior multitudo. Aut si ventris nomen magis interioribus competit, ad eos potius, qui perfectiores sunt, Scripturarum intellectum pertinere monstratum est; cum cor ejus, id est, Scripturæ ejus, quæ continent consilium ejus, in medio eorum, hoc est, in cogitatione eorum, tamquam cera dissolvitur, hoc est, fervore spiritus aperitur, disputatur, exponitur.

37. *EXARUIT velut testa virtus mea*. CAP. XV.
Testa igne firmata est: sic & virtus corporis Christi non sicut foenum igne consumitur, sed sicut testa passione velut igne firmatur. *Vasa enim figuli probat fornax*, sicut alio loco Scriptura dicit, *et homines justos tentatio tribulationis. Et lingua mea adhesit faucibus meis*. Potest quidem silentium ejus significatum videri, quod & alius Propheta commendat, cum dicit: *Sicut agnus coram ton-* Isaia 53. 7.
dente fuit sine voce. Sed si linguam ejus, eos in ejus corpore, quod est Ecclesia, intelligamus, per quos suum loquitur Evangelium, tunc ejus faucibus adhærent, cum à præceptis ejus non recedunt.

38. Quod verò sequitur: *Et in pulverem mortis deduxisti me*; quomodo capiti coaptabitur? Quandoquidem corpus ejus, quod tertia die resurrexit, non est utique in pulverem

rem

Act. 2. 27. rem dissolutum. Nec aliter exposuerunt Apostoli, quod in alio Psalmo positum est: *Ne-*

que dabis sanctum tuum videre corruptionem; nisi quia ejus caro non est corrupta, quæ tam celeriter resurrexit. Unde item in

alio Psalmo dicit: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Num-*

quid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam? Hoc scilicet dicens, quod si eo modo, quo & ceteri, mortuus dimitteretur in pulverem, & caro ejus resurrectioni ultimæ servaretur, nulla esset utilitas in sanguine ejus: quia nihil prodesset mors ejus, nec annuntiaretur veritas Dei, quæ illum continuo resurrecturum esse prædixerat. Quid sibi vult ergo quod hoc loco ait:

Et in pulverem mortis deduxisti me? Nisi corpus ejus accipiamus Ecclesiam, in qua illi, qui pro ejus nomine passi sunt, vel patiuntur, non ita ut ipse citò resurgunt, sed in mortis pulverem deducuntur, tum resurrecturi, cum illud tempus venerit, de quo

in Evangelio dicit: *Veniet hora, quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & procedent.* Aut certè tropicè pulverem mortis ipsos judæos intelligi voluit, in quorum manus deductus est. Scriptum est enim: *Non sic impii, non sic; sed tamquam pulvis quem projecit ventus à facie terræ.*

Psal. I. 4.

CAPIT
XVI.

Psal. 21.

17.

39. DENIQUE sequitur: *Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me*; tamquam ipsos dixerit pulverem mortis in quem deductus est, quos dixit canes multos, & concilium malignantium: canes eos videlicet appellans, qui plerumque contra innocentes latrant, cum quibus non habent consuetudinem. Jam verò in

iis

illis quæ subjungit, tamquam Evangelium recitatur. Crucifixio quippe ejus exprimitur in eo quod dicit: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.*

Ipsi verò consideraverunt, & conspexerunt me. Fossæ sunt enim clavis manus & pedes ejus, & cum extenderetur in ligno, quodammodo numerata sunt ossa ejus. Consideratus est autem atque conspectus, quid illi futurum esset, & utrum veniret Elias, & liberaret eum.

40. Jam illud quod sequitur, nullius expositionis indiget: *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Verba deinde quæ subtexuntur, orantis sunt, tam ex persona capitis, id est, hominis mediatoris, quam ex persona corporis, quod est Ecclesia, quam dicit etiam unicum suam. *Tu autem, Domine, inquit, ne longè*

facias auxilium tuum. Hoc ad ejus carnem pertinet, cujus resurrectio non in longum est missa, ut aliorum. *In defensionem meam adspice*; ne quid noceant inimici, qui sibi videntur aliquid potuisse carnem perimendo mortalem. Non autem nocent, si defendente gratia Dei, non eis ad malum anima superata consentiat. Sic enim & alibi prophetatum est: *Terra tradita est in manus impii*; hoc est, caro terrena.

41. *Erue à framea animam meam.* Framea gladius est; nec utique tali ferro Christus occisus est, sed cruce; nec latus ejus gladio, sed lancea percusserunt. Translato ergo verbo, frameam linguam dixit persequentium, sicut in alio Psalmo dicitur: *Et lingua*

eorum gladius acutus. Unde quia in ejus carne lingua prævaluit malignorum, orat ut animæ nihil noceat, cum dicit, *erue à framea*

TOM. IV.

G

mea

Pr. 21. 18.

Matt. 27.

49.

Ps. 21. 20.

Ibid. 21.

Psal. 56. 5.

mea animam meam: ut hæc in prophetia oratio; si ad caput corporis referas, non videatur velut indigentis petitio, sed potius rei futuræ figurata prædictio. Aut certè, quia corpus ejus, hoc est, Ecclesia, graves persecutiones fuerat perpessura, frameam dixit, qua maximè trucidati sunt martyres, undè vult eorum animas erui, ne timeant eos qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt, & consentiant ad illicita. Aut etiam in ipsorum passionibus inimicorum linguam frameam dicit, undè animam suam, hoc est, animam corporis sui, animam sanctorum suorum vult erui.

42. Quod autem sequitur: *Et de manu canis unicam meam*; nihil aptius quàm unica Ecclesia mihi videtur intelligi. Canem verò appellavit mundum, non ratione sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantem. Hæc est enim canum natura, ut eum quibus habent consuetudinem, sive illi boni, sive mali sint, non ad eos latrent; insolitorum autem personis visis, etiam innocentibus irriterentur. Manu autem canis potestatem mundi significavit. Cujus etiam regnum infestum futurum corpori suo, id est, Ecclesiæ suæ, leonis nomine figuravit in eo quod adjunxit: *Salvum me fac de ore leonis*. Unde est scriptum: *Nihil interest inter minas regis & iram leonis*; quamquàm & diabolum Apostolus Petrus leoni comparet rugienti, & quærenti circumendo quem devoret. Superbosque hujus mundi christianis humilibus adversaturos ostendens, consequenter dicit: *Et à cornibus unicornium humilitatem meam*. Ideo quippe in unicornibus superbi intelliguntur; quia superbia odit consortium, & quan-

Pr. 21. 22.
Prov. 19.
II.
I. Pet. 5. 8.

tum in ipso est, solus cupit eminere omnis superbus.

43. JAM nunc adtende ubi sit fructus, vel quòd derelictus est, ne exaudiretur pro terrena felicitate, non ad insipientiam, sed ut saperemus quid novi gratia Testamenti desiderare debeamus: vel quòd non est derelictus, sed exauditus in eo quod ait, *ne derelictas à me*, qui dixerat, *quare me dereliquisti?* quod utique contrarium est, nisi illud ad aliud, hoc ad aliud referatur. Adtende & audi quantum sapis, hauri quantum capis, quantumque ipse rem tantam eloqui valeo, imò quantum tribuit ille, qui nos exaudit, & in Christo in quantum homo mediator est inter nos & Deum, & cum Christo in quantum Deus est æqualis Deo, & potens est facere, ut ait Apostolus, *supra quàm petimus, aut intelligimus*: vide in hoc Psalmo Testamenti novi gratiam, vide illius derelictionis, tribulationis, deprecationis fructu quid agatur, quid insinuetur, quid commendetur, quid illustretur. Intuere quid legamus tanto ante prophetatum, quid jam certamus impletum. Narrabo nomen tuum, inquit, *fratribus meis, in medio Ecclesiæ cantabo te*. Fratres illi sunt, de quibus in Evangelio ait: *Vade, & dic fratribus meis*. Ecclesia illa est, quam modo dixit unicam suam: hæc est unica Catholica, quæ toto orbe copiosa diffunditur, quæ usque ad ultimas gentes crescendo porrigitur. Unde in Evangelio dicit: *Et prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis*.

44. Quod autem ait, *cantabo*, hoc est illud canticum novum, de quo in alio Psalmo

CAPUT
XVII.

I. Tim. 2.
5.

Eph. 3. 20.

Psal. 21.

23.

Joan. 20.

17.

Matt. 24.

14.

Pr. 95. 1. mo dicitur: *Cantate Domino canticum novum; cantate Domino omnis terra.* Habes hic utraque, & quo cantico cantaturum se dixerit, & in cujus Ecclesie medio; illud pertinet ad novum canticum, hæc ad omnem terram. Ipse quippe cantat in nobis, cujus gratia cantamus, sicut dicit Apostolus: *An vultis experimentum ejus accipere, qui in me loquitur Christus?* Medium verò Ecclesie ad eminentiam scilicet referas, & ad ipsam manifestationem; quia omnia quanto clarius nota sunt, tanto magis in medio esse dicuntur: vel certè ad interiores Ecclesie, quia interiora sunt media. Neque enim omnis, qui labiis personat, cantat canticum novum; sed qui eo modo cantat, ut Apostolus admonet dicens: *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.* Intus enim est hoc gaudium, ubi vox laudis, & canitur, & auditur; qua voce laudatur, qui gratis amandus est toto corde, tota anima, tota mente, amatoremque suum accendit in se gratia Spiritus sui sancti. Quid enim aliud est canticum novum, quam laus Dei?

CAPUT
XVIII.

Pr. 21. 23.

Joan. I. 18.

Pr. 21. 24.

45. DENIQUE sequitur, & hoc evidentius demonstrat. Cum enim dixisset: *Narrabo nomen tuum fratribus meis;* quia Deum nemo vidit umquam, sed unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit; atque adjunxisset: *In medio Ecclesie cantabo te;* quomodo cantavit, id est, quia in nobis cantavit, cum proficimus in nomine, quod narravit fratribus suis; & quia laudem Dei cantavit in nobis, continuò manifestavit dicens: *Qui timetis Dominum, laudate eum.* QUIS autem VERACITER LAUDAT, nisi qui sinceriter amat? Tantumdem ergo est ac si diceret,

ret, qui timetis Dominum, amate eum. *Dixit enim homini, sicut scriptum est, ecce pietas est sapientia.* Porrò pietas cultus Dei est, **NEC COLITUR ILLE NISI AMANDO.** Summa igitur & vera sapientia est in præcepto illo primo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Ac per hoc sapientia est caritas Dei; nec diffunditur in cordibus nostris, nisi per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Initium autem sapientie timor Domini. Et timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem. Proinde præmissus timor in cor nostrum pellit inde consuetudinem malorum operum, & servat caritati locum, qua tamquam domina veniente, ut illa insidat, abscedit.

46. Ergo qui timetis Dominum, laudate eum; ut Deum non serviliter, sed liberè colatis, eum amare discite quem timetis, & poteritis laudare quod amatis. Timentes enim Deum homines veteris Testamenti, propter litteram terrentem & occidentem, nondum habentes Spiritum vivificantem, currebant cum sacrificiis ad templum: & quamvis in figuram futuri sanguinis quo redempti sumus, tamen nescientes quid per eas præfiguraretur, cruentas victimas immolabant. Nunc verò in gratia novi Testamenti, qui timetis Dominum, laudate eum. Ipse quippe in alio Psalmo, illa mutanda prænuntians, quæ tunc in umbra futuri offerebantur: *Non accipiam, inquit, de manu tua vitulos, neque de gregebus tuis hircos.* Et paulò post, ut ostenderet sacrificium novi Testamenti, quando illa fuerant cessatura: *Immola, inquit, Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.*

Job. 28. 28.
Sec. LXX.

Matt. 22.
37.

Rom. 5. 5.
Ps. 110. 10.

Joan. 4. 1.
18.

Pr. 21. 24.

Pr. 49. 9.

Ibid. 23. Et in fine ejusdem Psalmi: *Sacrificium*, inquit, *laudis glorificabit me: & illic via est, qua ostendam illi salutare meum.* Salutare Dei Christus est, quem infantem Simeon senex cum agnovisset in spiritu, eumque sumpsisset in manus: *Nunc dimittis*, inquit, *Domine, servum tuum, secundum verbum tuum in pace: quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.*

CAPUT XIX.

47. QUI *timetis ergo Dominum, laudate eum, universum semen Jacob magnificate eum.* Non vacat quod ei non sufficit dicere *semen Jacob*, nisi adderet *universum*; ne in solis eis intelligeretur, qui ex Israelitis fuerant credituri. Semen enim Jacob ipsum est semen Abraham: omnibus autem in Christum creditibus, non solis qui ex Israel fideles erant, Apostolus dicit: *Ergo Abraham semen estis secundum promissionem heredes.* Ibi namque commemoravit præfigurationem novi Testamenti; in eo quod scriptum est: *In Isaac vocabitur tibi semen*; non utique in Ismael ancillæ filio. In quibus duobus filiis Abraham servo & libero, & duabus mulieribus ancilla & libera, scribens ad Galatas, duo Testamenta dicit in allegoria præfigurata. Unde dicit: *Non qui filii carnis, ii sunt filii Dei; sed filii promissionis deputantur in semine. Promissionis enim verbum hoc est: Ad hoc tempus veniam, & erit Sara filius.*

Beda vulgatus Gal. 3.

48. Multum est & nimis longum diligenter enucleare, cur filii promissionis pertinentes ad Isaac, novi Testamenti gratiæ deputentur. Brevis tamen attingam; unde tanto fructuosius cogitabis, quanto magis piè cogitaveris. Non omnia Deus quæ prædicat, promittit; prædicat enim etiam illa, quæ non ipse facit; quia est omnium præsciis futurorum. Prædicat ergo &

peccata hominum, quæ potuit præscire, non facere. Promittit autem quæ ipse facturus est, nec ea mala, sed bona. Quis enim promittit mala? Quamvis itaque mala inferat malis, non peccata, sed supplicia, minatur tamen ea potius quam promittit. Omnia largitur & præscit; sed peccata prædicat, supplicia minatur, beneficia pollicetur. Filii ergo promissionis, filii sunt beneficii. Hæc est gratia, quæ gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis. Hinc gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum sacramentum in sacrificio novi Testamenti, quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, invenies.

49. DEINDE sequitur & dicit: *Timeat eum omne semen Israel.* Qui Jacob, ipse & Israel, unus homo erat, habens duo nomina, non in parvo sacramento: sed uno libro non possunt dici omnia, in quo jam multum progressi sumus, & nondum de aliis tribus questionibus aliquid diximus, hoc est, de tenebris exterioribus; & latitudine, & longitudine, altitudine, & profundo; & de quinque, & quinque virginibus. Quod ergo dixit supra, *universum semen Jacob*, hic consequenter ait, *omne semen Israel.* Sed quare superius, *magnificate eum*, & posterius, *timeat eum*? Magnificatio laudi congruit, de qua dixerat, *qui timetis Dominum, laudate eum*: unde jam multa disserui. Ibi quippe amor vel caritas Dei, quæ perfecta foras mittit timorem. Cur ergo iterum, *timeat eum omne semen Israel*? Non enim accepistis, inquit Apostolus, *spiritum servitutis verum in timore.* Sed idem Apostolus oleastro inserto in olivam timorem præcipit, hoc est, gentibus additis radici Abraham, Isaac, Jacob, ut & ipsæ fierent Is-

CAP. XX.

Ps. 21. 25.

I. Joan. 4. 18.

Rom. 8. 15.

Rom. 12. 17.

raël, id est, pertinerent ad semen Abrahæ.

50. Quam insertionem oleastri, jam amputatis propter infidelitatis superbiam naturalibus ramis, etiam ipse Dominus in Evangelio prædixit occasione illius Centurionis, qui in eum ex gentibus credidit. Tunc enim ait: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël. Et adjunxit: Ideo dico vobis, quia multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cælorum: filii autem regni ibunt in tenebras exteriores; illic erit ploratio & stridor dentium:* ita significans inseri oleastrum propter humilitatem (dixerat quippe ille Centurio: *Non sum dignus ut sub tectum meum intres, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus*) confractionem autem ramorum naturalium, propter superbiam scilicet eorum qui ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. De iis quippe vana elatione tumens dictum est, quod ibunt in tenebras exteriores, qui jactantes se de semine Abrahæ, semen Abrahæ fieri noluerunt, ut essent filii promissionis; quia fidem novi Testamenti non receperunt, ubi Dei justitia commendatur, suam constituere volentes; id est, tamquam de suis meritis & operibus præfidentes spreverunt esse filii promissionis, hoc est, filii gratiæ, filii misericordiæ, ut qui gloriatur, in Domino gloriatur; credens in eum qui justificat impium, hoc est, qui ex impio facit pium; ut deputetur fides ejus ad justitiam, & impleatur in eo, non quod postulabat ejus meritum, sed quod à Domino promissum est beneficium.

51. Cum iis igitur agens Apostolus, qui olivæ per gratiam inserebantur: *Dicis, inquit, fracti sunt rami, ut ego inserar. Bened: propter*

Matth. 8.
10.
Ibid. 11.

Matth. 8.8.

Rom. 10.3.

Rom. 11.
19.

ter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide sta: noli altum sapere, sed time. Dei est enim beneficium, non meritum tuum; quod & alibi dicit: *Gratia salvi facti estis per fidem; & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur.* Ipsius enim sumus figmentum creati in Jesu Christo in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. In hoc itaque intellectu gratiæ inest timor, de quo dicitur: *Noli altum sapere, sed time.* Timor autem iste alius est, non est ille servilis, quem caritas foras mittit. Illo enim timetur ne incidatur in tormentum supplicii, isto autem ne amittatur gratia beneficii.

52. QUAPROPTER quàmvis fidelibus ad novum Testamentum pertinentibus dicat Apostolus quod paulò ante commemoravi: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater;* id est, ut fides in nobis sit, quæ per dilectionem operatur, non tam timendo poenam quàm amando justitiam: tamen quia non fit anima justa nisi participatione melioris, qui justificat impium (quid enim habet quod non accepit?) non debet sibi tribuendo quòd Dei est, ita gloriari tamquam non accepit. Ob hoc ei dictum est: *Noli altum sapere, sed time.* Et timor iste præcipitur iis etiam, qui ex fide viventes, hæredes sunt novi Testamenti, atque in libertatem vocati. Altum enim sapere, dictum est, superbire. Quod alio loco è contrario satis ostendit, ubi ait: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Ex hoc quòd ait, *humilibus consentientes,* utique aperuit nihil aliud se dixisse, *alta sapientes,* quàm superbientes.

Eph. 2.8.

Rom. 11.
20.

I. Jasn. 4.
18.

CAP. XXI.

Rom. 8. 15.

Gal. 5. 6.

I. Cor. 4. 7.

Rom. 11.
20.

Rom. 12. 16.

Ti-

I. Joan. 4.
18.

53. Timor ergo non est in caritate, quia perfecta caritas foras mittit timorem; sed illum servilem, illum, quo cum se quisque ab opere malo abstinere, poena terretur, non justitia delectatur: hunc caritas foras mittit, quam non delectat iniquitas, etiamsi proponatur impunitas: non illum quo timet anima, ne amittat ipsam gratiam, qua in illa factum est, ut eam non peccare delectet; quo timet ne Deus eam deserat, etiamsi nullis dolorum cruciatibus puniat. Hic timor castus est, non eum caritas eicit, sed adsciscit. De illo quippe scriptum est: *Timor Domini castus permanens in saeculum saeculi*; nequaquam istum diceret permanentem, nisi sciret alium, qui non permaneret. Et bene istum castum dixit, hoc enim non caret amor, quo anima inhaeret Deo, quae dicit in alio Psalmo: *Perdidisti omnem qui fornicatur abs te, mihi autem adherere Deo bonum est*. Nam & conjunx quae adulterinum animum gerit, etiamsi timore viri non adulterium perpetrat, tamen quod deest operi, inest voluntati. Casta vero aliter timet: nam & ipsa timet virum, sed castè. Denique timet illa, ne vir infestus adveniat; ista, ne offensus abscedat. Non amanti enim praesentia viri molesta est; amanti autem absentia. Timore itaque casto permanenti in saeculum saeculi timeat Deum omne semen Israël. Timeant quem diligunt, non alta sapiendo, sed humilibus consentiendo: cum timore & tremore suam ipsorum salutem operentur. Deus est enim qui operatur in eis & velle, & operari pro bona voluntate.

CAPUT
XXII.
Rom. 10. 3.

54. HÆC est justitia Dei, hoc est quod Deus donat homini, cum justificat impium. Hanc Dei justitiam ignorantibus superbi judæi, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt

sunt subjecti; a hac superbia deiciuntur, ut humilis inseratur oleaster. Et illi ibunt in tenebras exteriores, de quibus inter alia requisisti, venientibus ab oriente & occidente multis qui recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno caelorum. Sunt enim modò in exteris tenebris, unde correctio desperanda non est; quam si contemserint, ibunt in tenebras exteriores, ubi correctionis locus non erit: quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ; sed lux cordis, non istorum qui in carne sunt oculorum; nec omnino talis, qualis hujus lucis visibilis phantasia cogitatur; quamquam & ibi est videre, sed longe aliter, longe dissimiliter. Qualis enim lux est ipsa caritas, quis verbis explicet? Quis earum rerum, quæ sensibus carnis adjacent, ullo demonstrat exemplo? An forte lux non est caritas? Audi Apostolum Joannem: ipse quippe dixit, quod modò commemoravi: *Quoniam Deus lux est, & tenebræ non sunt in eo ullæ*; qui rursus dicit: *Deus caritas est*. Ac per hoc si Deus lux est, & Deus caritas est, profectò caritas lux ipsa est, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Item dicit: *Qui odit fratrem suum, in tenebris est usque adhuc*. Istæ sunt tenebræ, in quas diabolus & Angeli ejus multum superbiendo progressi sunt. Caritas enim non æmulatur, non inflatur. Ideo non æmulatur, quia non inflatur. Ubi enim præcedit inflatio, continuò sequitur æmulatio; quoniam SUPERBIA mater est invidentiæ.

55. Diabolus igitur & Angeli ejus à luce

a Editi, ac superbia. MSS. Vatic. & è nostris duo: Hac superbia. Alii Gallicani plures: Hac superbi.

Matt. 8. 12.

I. Joan. 1.
5.

Ibid.

I. Joan. 4.
8.

Rom. 5. 5.

I. Joan. 2.
11.

I. Cor. 13. 4.

atque fervore caritatis aversi, & nimis in superbiam invidiamque progressi, velut glaciali duritia torpuerunt. Et ideo per figuram tamquam in aquilone ponuntur: undè cum generi humano diabolus incubaret, ventura gratia Salvatoris dicitur in Cantico canticorum: *Exsurge, aquilo, & veni, auster, perfla hortum meum, & fluent aromata.* Exsurge, qui irruisti, qui subditis incumbis, qui possessos premis. Exsurge, ut à tuo pondere relevati erigantur, quorum animas premendo curvastis. *Et veni, auster,* inquit, spiritum invocans gratiæ, flantem de meridie velut à parte fervida & luminosa, ut fluant aromata. Undè

Cant. 4. 16.

2. Cor. 2. 15.
Pr. 12. 5. 4.Matt. 24.
12.

Ecol. 3. 17.

CAPUT
XXIII.

56. PROINDE rationalis creatura, sive in angelico spiritu, sive in anima humana, ita facta est, ut sibi ipsa bonum quo beata fiat, esse non possit; sed mutabilitas ejus si convertatur ad incommutabile bonum, fiat beata: unde si avertatur, misera est. Aversio ejus vitium ejus, & conversio ejus virtus ejus est. Natura ergo non est mala, quia creatura spi-

ritus a vita est rationalis, quæ etiam privata bono, cujus participatione beatificatur, id est, etiam vitiosa, melior est eo corpore, quod summum est in corporibus, id est, hac luce quæ sentitur oculis carnis, quia & ipsa est corpus. Omni autem corpore quælibet incorporea natura præstantior est, non mole, quia non nisi corporum est moles, sed vi quadam qua supergreditur omnem phantasiam, quam volutat animus haustam de sensibus corporis. Sed quemadmodum in ipsis corporibus ea quæ inferiora sunt, sicut terra & aqua & ipse aër, meliora fiunt participatione melioris, id est, cum luce illuminantur, & fervore vegetantur: sic incorporeæ creaturæ rationales ipsius Creatoris fiunt participatione meliores, cum ei cohererent purissima & sanctissima caritate: qua omni modo si caruerint, tenebescunt, & obdurescunt quodammodo.

57. Proinde infideles homines tenebræ sunt, qui per fidem conversi ad Deum, quadam præmissa illuminatione lux fiunt. In qua proficiendo si ex fide ad speciem pervenerint, ut id quod credunt etiam conspiciere, sicut tantum bonum potest conspici, mereantur, perfectam recipient imaginem Dei. Talibus enim dicit Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Porrò diabolus & angeli ejus tenebræ sunt infidelibus hominibus ^b exteriores. Plus enim ab illa caritate aversi, & in suum fastum obstinationemque progressi sunt. Et quoniam extremo judicio

^a Ita MSS. At excusi hebet, *spiritus vitæ est rationalis.*

^b Editi, *infidelibus hominibus deteriores.* At melioris notæ MSS. habent, *exteriores.* Sic etiam Eugypii codices duo manu exarati.

Matt. 25. Christus dicitur est eis, quos ad sinistram discernet: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*: his malignis spiritibus conjungendos, simulque damnandos, dicit ituros in tenebras exteriores, id est, in societatem pœnalem diaboli & angelorum ejus.

Matt. 25. Huius pœnæ contrarium est quod bono servo dicitur: *Intra in gaudium Domini tui*; ut quanto sunt istæ tenebræ exteriores, tanto sit lumen illud interius. Non hæc per locorum intervalla inani phantasmate cogitanda sunt: localia spatia non occupant nisi corporum moles. Non est hoc spiritus vitæ, non est hoc anima rationalis, multo minus Deus omnium benignissimus conditor, & justissimus ordinator. Voluntatibus & affectibus ista vel propinquare vel longè fieri, vel intrare vel exire dicuntur.

Matt. 8. 12. Sed quia malo opere, id est, tenebroso delectantur facientes, secutura est autem pœna quæ torqueat, ideo Dominus ubi dixit, *tenebras exteriores*, addidit etiam, *ibi erit fletus & stridor dentium*; ne talibus delectationibus, qualibus hic iniqui perfrauntur, quando infidelitate atque injustitia tenebrescunt, etiam in illo supplicio se usuros dementer existiment: quia enim volentes injustè utuntur bonis, justè nolentes cruciabuntur malis. Undè possunt etiam tenebræ exteriores intelligi pœnæ corporales: corpus quippe est animæ exterius: ut sint animæ mala, quibus à caritatis luce aversa mens in peccatis oblectatur, exteræ tenebræ; corporis autem mala, quibus æternis in finem torquebitur, exteriores tenebræ, quas solas timent, qui servili adhuc timore detinentur. Nam si eis liceret in illis exteris, quæ sunt in peccatis, impunè semper volvi & involvi, profectò numquam vellent accedere ad Deum, & il-

illuminari, & inhære illi per caritatem, ubi est timor castus permanens in sæculum sæculi: qui timor non cruciat, sed tenaciorem facit animam boni illius, quod si dimiserit, cadet.

59. TIMEAT eum omne semen Israël. Et vide caussam quam conjungit: *Quoniam non sprevit, inquit, neque despexit precem pauperis*. Pauperem humilem dicit. Hinc est: *Noli altum sapere, sed time*. Timeat ergo eum omne semen Israël, quoniam non despexit ejus precem, qui non altum sapuit, sed timuit. Potest & hoc capiti coaptari; quia ipse Salvator corporis propter nos pauper factus est cum dives esset, ut ejus paupertate ditaremur. Ex forma enim servi pauper factus est, ex qua & precem fudit: in ea quippe semetipsum humiliavit factus obediens usque ad mortem. Vide ergo quid dicat: *Quoniam non sprevit, neque despexit precem pauperis, neque avertit faciem suam à me*. Ubi est illud, *quare me dereliquisti*, si nec faciem avertit ab eo? nisi quia & DERELINQUENS non derelinquit, quando in bonis temporalibus non exaudit; & non ad insipientiam nobis, sed ut sapiamus quid auferat, & quid offerat nobis, non, inquit, *sprevit, neque despexit precem pauperis; neque avertit faciem suam à me: & cum clamarem ad eum, exaudivit me*. Fecit ergo quod paulò antè rogatus est, ubi eum deprecans dixit, *ne discedas à me*. Si enim exaudivit, profectò fecit, non utique discessit. Non ergo derelinquit hoc modo, qui alio modo derelinquit, ut saperemus quomodo magis non ab eo derelinqui velle debemus.

60. *Apud te laus mea*. Quid ergo nocent, qui tamquam victo insultant, quòd me in temporalibus dereliqueris? *In ecclesia magna con-*

CAPUT

XXIV.

Ps. 21. 25.

Rom. 11. 20.

2. Cor. 8. 9.

Phil. 2. 8.

Ps. 21. 26.

con-

confitebor tibi; non quanta ista synagoga est, quæ irridet mortem derelicti, sed in Ecclesia magna diffusa per omnes gentes, quæ credit in resurrectionem non derelicti. Hæc est unica illa, quam petit de manu canis erui, de qua etiam paulo antè dixit: *In medio Ecclesie cantabo te*. Et nunc quod ait: *Confitebor tibi*, in eis utique qui confitebuntur, in quibus & loquitur. Confessio autem non tantum peccatorum est, sed & laudis Dei, sicut ipse in Evangelio: *Confitebor tibi*; inquit, *Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis*. Ideo sequitur & dicit: *Vota mea reddam coram timentibus eum. Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum*. Ipsi sunt parvuli de quibus dixit, *et revelasti ea parvulis*, timentes eum; & pauperes, id est, humiles, qui non alta sapiunt, sed timent timore illo casto, non quo poena formidatur, sed quo gratia^a conservatur.

61. Vota verò sua sacrificium vult intelligi corporis sui, quod est fidelium sacramentum. Ideo cum dixisset: *Vota mea reddam coram timentibus eum*; continuo subiunxit: *Edent pauperes, & saturabuntur*. Ipsi enim saturabuntur pane, qui de cælo descendit, qui ei coherentes, & ejus pacem dilectionemque servantes imitantur ejus humilitatem: ideo *pauperes*. In hac paupertate, & saturitate præcipue Apostoli claruerunt. *Et laudabunt Dominum*, inquit, *qui requirunt eum*; intelligentes non meritorum suorum, sed illius esse gratiæ, quod saturati sunt. Requiritur

^a Bad. Am. & Ec. sed quo gratia commendatur.

runt enim eum, quia non sunt ex eis, qui sua quærunt, non quæ Jesu Christi. Denique etsi caro eorum, qui eum laudant, patitur temporalem tribulationem vel mortem: *Vivent corda eorum in sæculum sæculi*. Hæc vita cordis, non est in sensibus corporis; secreta est in luce quæ intus est, non in tenebris quæ foris sunt; in fine præcepti, non in initio peccati. Finis autem præcepti caritas est de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Caritas quæ non æmulatur, non inflatur, quia non altum sapit, sed timet: & ideo cohæret timore casto permanente in sæculum sæculi. Initium autem omnis peccati superbia, qua diabolus irrevocabiliter in exteriora progressus est, hominemque invidendo & ei simile aliquid suadendo dejecit. Cui homini in quadam Scriptura dicitur: *Quid superbit terra & cinis? Quoniam in vita sua projecit intima sua*. In vita sua, dictum est, tamquam in propria a sua, & quasi privata, qua delectatur omnis superbia.

62. UNDE caritas in commune magis quam in privatum consulens, dicitur non quærere quæ sua sunt. Hac vivunt corda in sæculum sæculi, tamquam saturata pane cælesti. De b qua saturator ipse dicit: *Nisi manducaveritis carnem meam, & sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam in vobis*. Merito ergo istorum, qui saturantur, vivent corda in sæculum sæculi. Vita enim Christus est, qui habitat in cordibus eorum, interim per fidem, post etiam per speciem. Vident enim

TOM. IV.

D

nunc

^a Bad. Am. & Ec. tamquam in propria persona.
^b Bad. Am. Ec. De qua saturitate. MSS. tres: De quo dicit ipse Salvator.

Matth. II.
25.

Ps. 21. 26.
27.

1. Tim. I. 5.

1. Cor. 13. 4.

Ecc. 10. 15.

Ecc. 10. 9.

CAPUT
XXV.

1. Cor. 13. 5.

Joan. 6. 54.

Egyptus
tit. 229.

Merito.
1. Cor. 13.

12.

nunc in ænigmate per speculum, tunc autem facie ad faciem. Unde ipsa caritas nunc in bonis operibus dilectionis exercetur, qua se ad subveniendum quaquaversum potest, porrigit; & hæc latitudo est: nunc longanimitate adversa tolerat, & in eo quod veraciter tenuit, perseverat; & hæc est longitudo: hoc autem totum propter adipiscendam vitam facit æternam, quæ illi promittitur in excelso; & hæc altitudo est. Existit verò ex occulto ista caritas, ubi fundati & radicati quodam modo sumus; ubi causæ voluntatis Dei non investigantur, cujus gratia sumus salvi facti, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum ejus misericordiam. Voluntariè quippe genuit nos verbo veritatis, & hæc voluntas ejus in abdito est. Cujus secreti profunditatem quodam modo expavescens Apostolus clamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini?* Et hoc est profundum. Altitudo quippe commune nomen est excelso & profundo: sed cum in excelso dicitur, sublimitatis eminentia commendatur; cum autem in profundo, difficultas investigationis & cognitionis. Unde & illud Deo dicitur: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Nimis profunda factæ sunt cogitationes tuæ.* Et iterum: *Judicia tua velut abyssus multa.* Hinc igitur est illud Apostoli, quod requirendum inter cetera posuisti: *Hujus rei gratia, inquit, flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur; ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum ejus, in interiori homine*

Eph. 3. 17.

Tit. 3. 5.

Jacobi 1. 18.

Rom. 11. 33.

Psal. 91. 6.

Psal. 36. 7.

Eph. 3. 14.

habitare Christum per fidem in cordibus vestris, ut in caritate radicati & fundati, prævaleatis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, & latitudo, altitudo, & profundum; scire etiam supereminentem scientiam caritatis Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

63. ADTENDE omnia diligenter. *Hujus rei, inquit, gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur.* Quæris cujus rei gratia: hoc supra dixerat: *Propter quod peto non infirmari in tribulationibus meis pro vobis.* Hoc ergo eis optat, ut non infirmantur in tribulationibus Apostoli, quas pro illis sustinebat, & propter hoc genua flectebat ad Patrem. Proinde non infirmari unde illis sit, sequitur & dicit, *ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum ejus.* Hæc sunt divitiæ de quibus dicit: *O altitudo divitiarum!* Abditas enim habent causas, ubi nullis meritis præcedentibus, quid habemus, quod non accepimus? Deinde sequitur, & quid optet adjungit: *In interiori, inquit, homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Hæc est vita cordium, qua vivimus in sæculum sæculi, ab initio fidei usque ad finem speciei. *Ut in caritate, inquit, radicati, & fundati, prævaleatis comprehendere cum omnibus sanctis.* Ista est communio cujusdam divinæ cælestisque reipublicæ; hinc saturantur pauperes, non sua quærentes, sed quæ Jesu Christi: id est, non commoda privata sectantes, sed in commune, ubi salus omnium est, consulentes. Nam de ipso pane, quo tales saturantur, quodam loco Apostolus

CAPUT
XXVI.

Eph. 3. 13

Rom. 11.
33.

176
 2. Cor. 10. dicit: *Unus panis, unum corpus, multi sumus.* Quid ergo comprehendere? *Quæ sit*, inquit, *latitudo*, sicut jam dixi, in bonis operibus, quibus benevolentia porrigitur usque ad diligendos inimicos: & *longitudo*, ut longanimiter pro hac latitudine molestiæ tolerentur: & *altitudo*, ut pro his æternum, quod in supernis est, præmium, non vanum aliquid temporale speretur: & *profundum*, unde gratuita gratia Dei secundum secretum, & abditum voluntatis ejus existit. Ibi enim radicati, ibi sumus fundati: radicati, propter agriculturam, fundati, propter ædificationem: quæ quoniam non est ab homine, dicit alio loco idem Apostolus: *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Hoc totum agitur cum in hac nostra peregrinatione fides per dilectionem operatur. In futuro autem sæculo perfecta & plena caritas sine ulla malorum tolerantia, non fide credit quod non videt, nec spe desiderat quod non tenet; sed in æternum veritatis incommutabilem speciem contemplabitur, cujus sine fine quietum opus erit, laudare quod amat, & amare quod laudat. De hac consequenter dicit: *Scire etiam supereminentem scientiam caritatis Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.*

64. In hoc mysterio figura crucis ostenditur. Qui enim, quia voluit, mortuus est, quomodo voluit mortuus est. Non frustra igitur tale genus mortis elegit, nisi ut in eo quoque latitudinis hujus, & longitudinis, & altitudinis, & profunditatis magister existeret. Nam latitudo est in eo ligno, quod transversum de super figitur: hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. Longitudo in eo quod ab ipso ligno usque ad terram conspicuum est: ibi

ibi enim quodam modo statur, id est, persistitur & perseveratur; quod longanimitati tribuitur. Altitudo est in ea ligni parte, quæ ab illo quod transversum figitur, sursum versus relinquitur, hoc est, ad caput crucifixi; quia bene sperantium superna exspectatio est. Jam verò illud ex ligno quod non apparet, quod fixum occultatur, unde totum illud exurgit, profunditatem significat gratiæ gratiæ: in quo multorum ingenia conteruntur id investigare conantia, ut ad extremum eis dicatur: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?*

Rom. 9. 20.

65. Vident ergo corda saturatorum pauperum in sæculum sæculi, hoc est, humilium caritate flagrantium, non sua quærentium, sed sanctorum societate gaudentium. Hoc primitus in Apostolis factum est. Sed laudando Deum, id est, prædicando gratiam Dei (quoniam dictum est: *Laudabunt Dominum, qui requirunt eum*) quid populorum adquisierint, in eo quod sequitur, vide.

66. *Commemorabuntur*, inquit, & *converterentur ad Dominum universi fines terræ: & adorabunt in conspectu ejus universa patris gentium.* Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Ille irrisus, ille crucifixus, ille derelictus hoc regnum adquisit, & tradet in fine Deo & Patri; non ut ipse amittat, sed quod in fide seminavit, cum venit minor Patre, hoc perducit ad speciem, in qua æqualis non recessit à Patre. *Manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ.* Divites terræ superbos intelligere debemus, si rectè superiùs pauperes humiles intelligebamus, de quibus in Evangelio dicit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: ipsi enim sunt mites, lugen-*

CAPUT
XXVII.
Psal. 21.
28. 29.

Ibid. v. 30.

Matt. 5. 3.

tes, esurientes, & sitientes justitiam, misericordes, mundicordes, pacifici, & qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quibus prædicationibus singillatim beatitudinem adjunxit. Contra ergo divites terræ hoc loco superbi intelligendi sunt. Neque enim frustra ita distincti sunt, ut de pauperibus supra diceretur: *Edent pauperes, & saturabuntur*; hæc verò: *Manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ*. Et ipsi quippe adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine ejus: sed adorant tantum, non etiam saturantur, quoniam non imitantur. Manducantes enim a pauperem, dedignantur esse pauperes: quia Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum ut sequamur vestigia ejus. Verumtamen quod humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, adspernantur divites, & similia perpeti respuunt b, timore, non magnitudine, infirmitate ergo, non sanitate. Sed quia Deus excitavit eum à mortuis, & donavit ei nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu flectatur omne genu, cælestium, terrestrium, & infernorum; famæ celsitudinis ejus & gloria nominis ejus in Ecclesia usquequaque diffusa permoti & ipsi veniunt ad mensam, manducant & adorant: non tamen saturantur, quia non esuriunt & sitiunt justitiam: tales enim saturabuntur. Quamquam perfecta saturitas in illa vita æterna erit, cum ex ista peregrinatione venerimus ex fide ad speciem, ab speculo ad faciem, ab ænigmate ad

a Editi Bad. Am. & Er. omittunt, *pauperem*: quam vocem exhibent omnes inspecti à nobis MSS. & Lov.

b Ita MSS. præstantiores. At excusi habent, *timore non magnitudine*.

1. Petr. 2.
21.

Phil. 2. 9.

Matt. 3. 6.

ad perspicuam veritatem: non tamen inconvenienter saturatus dicitur a paupertate Christi, qui pro justitia ejus, hoc est, pro participatione Verbi æterni, quam inchoavit interim fide, omnia temporalia non solum temperanter contemnit bona, verum etiam patienter sustinet mala.

67. Tales fuerunt piscatores & publicani; quia abjecta hujus mundi elegit, ut confunderet fortia. De his dictum est: *Edent pauperes, & saturabuntur*. Sed quia istam saturitatem non apud seipsos tenuerunt (quodammodo enim ructantes Dominum laudaverunt, id est, prædicaverunt, quærentes eum, hoc est, non sua quærentes, sed in eum caritate flagrantem) eorum prædicatione commotus est mundus, ut commemorentur & convertantur ad Dominum universi fines terræ, & adorent in conspectu ejus universæ patriæ gentium: *Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium*. Hac Ecclesiæ dilatatione etiam superbi, id est, divites terræ adducti sunt, ut manducarent, & quamvis non saturati, tamen adorant. Hunc quippe ordinem prophetia Psalmi hoc loco tenuit, quem videmus impleri. Adjungit autem: *In conspectu ejus procident omnes, qui descendunt in terram*; id est, omnes bona amando terrena, non in cælum adscendunt. Non enim faciunt quod ait Apostolus: *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*; sed potius quanto sibi bonis terrenis feliciores videntur, tanto magis in terram descendunt, hoc est, in

1. Cor. 1.
27.

Psalm. 21.
27.

v. 29.

v. 30.

Coloss. 3. 1.

D 4

ter-

a Regius codex, *pauper Christi*.

ferrena deprimuntur. Et ideo in conspectu ejus procident, id est, ubi ipse videt, non ubi homines vident, qui eos excelsos sublimesque arbitrantur.

CAPUT
XXVIII.
Psalm. 21.
31.

2.

2. Cor. 5.
15.

Eccles. 10.
14.

Joan. 15.
10.

Joan. 1.9.

68. ET *anima*, inquit, *mea ipsi vivet*; ipsi utique, non sibi, sicut superbiorum privato bono suo lætantium, & à communi omnium a bono, quod Deus est, inani elatione resilientium. Hoc utique devitemus, & communi potius vero omnium bono perfrui, quam privato nostro gaudere quæramus; ut *qui vivunt, jam non sibi vivant*, sicut ait Apotolus: *Sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*. Pro hoc enim mediator effectus est, ut nos reconciliet Deo per humilitatem, à quo per impiam superbiam longè recesseramus. Neque enim tantum illud scriptum est, quod supra posui: *Initium omnis peccati superbia*; sed etiam hoc ibi legitur: *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo*. Non ergo sibi vivat quisque, sed Christo; faciens non suam, sed ipsius voluntatem, & manens in ejus caritate; sicut & ipse fecit voluntatem Patris, & manet in ejus caritate. Hæc quippe nos admonens, & exemplo suo exhortans, in Evangelio suo locutus est. Si autem ipse cùm in forma Dei æqualis esset Patri, tamen per formam servi, quam propter nos accepit, non suam voluntatem, sed Patris se facere commendavit; quanto magis nos propria privataque nostra voluntate contempta, qua tenebrati sumus, ad illud commune lumen, ut illuminemur, & vultus nostri non erubescant, debemus accedere, quod illuminat omnem homi-

^a Bad. Am. & plerique MSS. *communi omnium bonorum*, & paulò post, *vero omnium bonorum*.

minem venientem in hunc mundum, ut anima nostra ipsi vivat? Hoc enim de nobis consequenter adjungit, cum dicit: *Et semen meum serviet illi*; quoniam qui seminat bonum semen, filius est hominis; bonum autem semen, hi sunt filii regni.

69. HÆC porro omnia quæ in Psalmo isto dicta sunt, quia non ad præsens tempus, sed ad futurorum prophetiam pertinebant, sicut etiam ipsis rebus apparet; sic eum concludere voluit, ut ostenderet se non præsentia demonstrare, vel narrare præterita, sed futura prophetare. *Annuntiabitur*, inquit, *Domino generatio ventura, & annuntiabunt cæli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus*. Non ait: *Annuntiabitur Dominus generationi venturæ*; sed *Annuntiabitur Domino generatio ventura*. Quod non sic accipiendum est, tamquam nescienti aliquid annuntietur ut sciat; sed sicut annuntiant Angeli non solum nobis beneficia Dei, verum etiam illi preces nostras. Nam scriptum est, ubi Angelus hominibus dicit: *Ego obtuli memoriam orationis vestræ*; non ut tunc Deus noverit quid velimus, vel quo indigeamus. *Novit enim Pater vester*, ait Dominus, *quid vobis necessarium sit prius quàm petatis ab eo*; sed quia necesse habet rationalis creatura obtemperans Deo, temporales causas ad æternam veritatem referre, sive petendo quod erga se fiat, sive consulendo quid faciat; qui pius mentis affectus est, ut ipsa construat, non ut Deus instruat. Nam & hæc quædam contestatio rationalis creaturæ est, quod non sibi ipsa sit bonum quo beata fiat, sed illud incommutabile, cujus participatione etiam sapiens efficitur.

CAPUT
XXIX.

Psalm. 21.
32.

4. Sen. dist.
45. cap.
Sed forte

Tob. 12. 12.

Matt. 6. 8.

Si-

Rom. 14. 6.

70. Sive ita dictum est : *Annuntiabitur Domino generatio ventura* ; ac si diceretur : Domino placebunt , qui annuntiabunt , non sibi ; ut ita sit Domino annuntiare , sicut est Domino vivere. Sic dictum est : *Qui manducat , Domino manducat : & qui non manducat , Domino non manducat*. Ad hoc quippe addidit , *et gratias agit Deo* ; ut ostenderetur quid esset , *Domino facit* , id est , in ejus laudem facit. Tunc enim recte , tunc juste , tunc pie fit , cum opus bonum in ejus laudem fit , cujus gratia donatur ut fiat. Ac per hoc etiamsi eo modo quispiam hæc verba intelligere velit , ut eorum iste ordo sit : *Annuntiabitur Domino generatio ventura* ; id est , ea generatio annuntiabitur , quæ Domino ventura est , generatio scilicet piorum atque sanctorum , quia impiorum & sceleratorum generatio non Domino , sed sibi ventura est ; ab eadem significatione non receditur , qua intelligatur animæ participatio in idipsum : id est , rationalem creaturam , cum sit mutabilis , non fieri beatam , nisi à proprio suo mutabili ad incommutabile bonum , idemque commune quod Deus est , à quo superba impietate abstinit , humili pietate conversa subsistat. In quo affectu proficiens , quidquid boni facit , Domino facit , hoc est , in ejus laudem , cujus gratiam percepit ut faciat ; unde est actio gratiarum , quæ intimo fidelium mysterio celebratur.

CAPUT
XXX.

71. ILLUD autem quod sequitur : *Et annuntiabunt justitiam ejus populo qui nascetur , quem fecit Dominus* ; superioris sensus confirmatio est. Nam quod ibi dictum est : *Annuntiabitur Domino generatio ventura* :

hoc

^a Sic MSS. melioris notæ. At vulgati habent , *hic est dictum , hæc annuntiabit justitiam ejus.*

hoc est dictum hîc : *Annuntiabunt justitiam ejus*. Ipsa quippe generatio , quæ ventura prophetata est piorum atque sanctorum , justitia Dei est , non ipsorum : ne sint ex illis , qui ignorantes Dei justitiam , & suam volentes constituere , justitiæ Dei non sunt subjecti. Illa namque justitia Dei commendatur in eo quod dicitur , *ignorantes Dei justitiam* , qua nos ex ejus gratia justi sumus : ut ipsa justitia ejus nos simus , cum justè vivimus , credentes in eum qui justificat impium ; non illa qua ipse justus est æterna sua & incommutabili justitia.

Hæc itaque justitia , qua nos Dei munere justi sumus , significatur in Psalmo illo , ubi scriptum est : *Justitia tua sicut montes Dei*.

Montes quippe Dei sancti ejus sunt : de quibus alibi dicitur : *Suscipiant montes pacem populo tuo*. Et multa de his montibus scripta sunt figurata locutione , quæ commemorare nunc longum est. Sed quia hoc ipsum quod Deus justificat homines , nimis occulto judicio facit (quoniam gratuita gratia facit : si autem gratia , non ex operibus , alioquin gratia jam non est gratia ; ex hoc quippe incipiunt opera bona , ex quo justificamur ; non quia præcesserunt , justificamur : & hoc est profundum , de quo superius jam multa diximus)

continuo in eodem Psalmo cum dixisset : *Justitia tua velut montes Dei* ; subjunxit : *Judicia tua velut abyssus multa*. Inde venit ad salutem hominibus jumentisque communem ; quia & ipsa ex misericordia Dei est , & dicit : *Homines & jumenta salvos facies , Domine , sicut multiplicata est misericordia tua , Deus*.

Ut hinc intelligamus etiam illam salutem sempiternam & immortalem , de qua dicit Apostolus :

Spe enim salvî facti sumus ; similiter ut istam

Rom. 10. 5.

Psal. 35. 7.

Psal. 71. 3.

Rom. 11. 6.

Psal. 35. 7.

Ibid.

Rom. 9. 24.

tam quæ hominibus jumentisque communis est, gratis nos accipere, non ex operibus; ne fortè quis extollatur, quia opera bona ex ipsius justificatione operamur. Ipsius enim summus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ preparavit Deus ut in illis ambulemus. Et illa salus ergo gratuita est, de qua in alio Psalmo dicitur: *Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.*

72. Sicut ergo quod legitur: *Domini est salus*; non ea salus intelligitur, qua Dominus salvus est, sed qua hi salvi sunt, quos ipse salvos facit: sic cum legitur Dei justitia, in eo quod scriptum est: *Ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere*; non est illa intelligenda, qua Deus justus est; sed qua justi sunt homines, quos gratia sua justificat. Inde enim salvi, unde justi; quoniam quod ait: *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus*; exposuit in consequentibus, dicens: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Non igitur secundum opera justitiæ, quæ nos fecimus, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. In qua gratia spe salvi facti sumus. Unde in illo Psalmo subjungitur: *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Præterende misericordiam tuam scientibus te, & justitiam tuam iis qui recto sunt corde.* Huic igitur justitiæ Dei contraria superbia est, qua ficitur tamquam de operibus propriis: ideoque ibi sequitur: *Non veniat mihi pes superbiæ.*

73. Hæc justitia, qua ejus fideles justi sunt,

in-

interim viventes ex fide, donec perfecta justitia perducantur ad speciem, sicut salute perfecta etiam ad ipsius corporis immortalitatem, gratia est novi Testamenti. Unde alio loco dicit Apostolus: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo reconciliari Deo; ac inde subjungit: Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: id est, sacrificium pro peccatis. Nam & ipsa in lege peccata appellabantur, quæ pro peccatis offerebantur. *Ut nos simus justitia Dei in ipso*, id est, in ejus corpore, quod est Eccl's a, cui caput est, nos simus justitia Dei: quam ignorantes illi, & suam volentes constituere, id est, tamquam de suis operibus gloriantes, justitiæ Dei non sunt subjecti. Inde & in hoc Psalmo cum dixisset: *Annuntiabunt justitiam ejus*; sequitur & adjungit: *Populo qui nascetur, quem fecit Dominus.* Quis est enim populus quem non fecit Dominus, secundum id quod homines sunt, qui etiam pecora creavit, à quo est omnis vita, omnisque facta & creata natura? Sed ita intelligendum est, *quem fecit Dominus*; ut non solum quod homines sunt, verum etiam quod justi sunt, ab illo facti intelligantur, secundum illud quod jam non semel commemoravi ab Apostolo dictum: *Ipsius enim figmentum sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ preparavit Deus, ut in illis ambulemus.*

74. ANIMÆ igitur rationalis mutabilitas admonetur, quo noverit, nisi participatione incommutabilis boni, justam, salvam, sapientem, beatam se esse non posse; nec sibi eam bonum esse posse propria voluntate, sed malum. Propria quippe voluntate avertitur à bo-

2. Cor. 5.
20.

Ibid. 21.

Rom. 10. 3.

Psalm. 21.
32.

Ephes. 2.
10.

CAPUT
XXXI.

no

no incommutabili, eaque aversione vitatur nec sanari per seipsam potest, sed gratuita misericordia sui Creatoris, quæ in hac vita eam ex fide viventem in spe constituit salutis æternæ. Unde non altum sapiat, sed timeat; eoque timore casto inhæreat Deo, qui eam à propria immunditia, qua inordinatè bona inferiora dilexit, velut à quadam fornicatione spiritali mundavit: nec humanis laudibus extollatur, ne sit in virginibus stultis aliena laude lætantibus (hoc enim de quæstionibus tuis restat extremum) & propter ipsam inanem laudem, non propter conscientiam suam, ubi illis testis est Deus, bona operantibus: sed sit in virginibus sapientibus, ubi dicat quod ait Apostolus: *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Hoc enim est oleum ferre secum, non à vendentibus emere, hoc est, ab adulantibus. Adulatores namque laudem suam tamquam oleum vendunt stultis. De hoc oleo dicitur in Psalmo: *Emendabit me justus in misericordia, & arguet me: oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum.* Elegit à justo misericorditer reprehendi, & quodammodo colaphizari quam, ut ei caput in superbiam a crescat, peccatoris adulatione laudari.

75. Irridentium quippe responsio mihi videtur, cum eis à sapientibus virginibus dicitur: *Ite potius ad vendentes, & emitte vobis;* sicut in quodam libro Sapientiæ scriptum est, ubi contemtoribus dicit: *Et ego perditioni ves-*

2 Erasmo videbatur legendum, *crassetat*. Sed libri omnes habent, *crescat*: quo verbo alludit Augustinus ad illud proverbium, quod refert superius in epist. 33. n. 3. *De homine*, ait, *quem falsa blanditia faciunt arrogantem, recte etiam vulgè dicitur, Crevit caput.*

Matt. 25.
3.

2. Cor. 1.
12.

Psal. 140.
5.

Matt. 25.
9.

Prov. 1.26.

vestra superridebo. Illa autem responsione, qua petentibus oleum dictum est, *ne fortè non sufficiat nobis & vobis*; non desperanter, sed humiliter dictum est. Quis enim sic præsumat de conscientia sua, ut certus sit eam sibi in iudicio Dei posse sufficere, nisi a misericordes misericorditer iudicet? Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. Ipsæ autem sunt lampades accensæ, opera scilicet bona, de quibus Dominus dicit: *Luceant b bona opera vestra coram hominibus, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* Hucusque pertendit intentio virginum sapientium, ut ideo velint videri ab hominibus opera sua bona, non quò ab eis laudentur ipsæ, sed ut glorificetur Deus, à quo illis est quod bene operantur: ac per hoc interiori bono gaudent, quod est coram Deo, ubi c eleemosyna in occulto, ut Pater, qui videt in occulto, reddat. Et ideo non deficiunt lampades, quia interiori oleo vegetantur, id est, intentione bonæ conscientiæ, qua coram Deo fit in ejus gloriam, quidquid coram hominibus in bonis operibus lucet. At verò stultarum virginum hoc oleum non secum portantium deficiunt lampades, id est, non perseveranter bona opera lucent: cum laus humana fuerit subtracta, propter quam illa faciebant, hucusque intentionem suam perdentes, ut viderentur ab hominibus, non ut glorificaretur Pater, qui in cælis est. Quæ inten-

a Sic MSS. Vaticani & prope omnes ex nostris. At editi, nisi *misericos* &c.

b MS. sex, *luceant opera vestra coram hominibus, ut videant bona vestra, & glorificent.*

c Sic MSS. picrique. At editi habent, *ubi eleemosynam in occulto pater qui videt in occulto reddat.*

fac. 2. 13.
Matt. 5.
16.

®

tentio perennis est gloriæ, qua novit anima Deo se debere quod justificata est ad facienda bona opera, & ideo in illo non in se laudari amat. Unde alibi homo Dei cantat: *In Domino laudabitur anima mea*; ut qui gloriatur, in Domino gloriatur.

Ps. 33. 2.
1. Cor. 1.
31.

CAPUT
XXXII.
Matt. 25.
5.

Mat. 24. 12.

Ibid. 13.

1. Thez. 4.
12.

1. Cor. 15. 6.

Virgil. 6.
Æneid. v.
278.

76. SED quid est quod in eadem Evangelii lectione scriptum est, omnes sponso tardante dormisse? Somnum istum si intellexerimus, quod velut tardante iudicio, ad quod faciendum venturus est Christus, abundante iniquitate caritas refrigescit; quomodo ibi ponemus virgines sapientes, cum potius in illis sint de quibus dicitur: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*? Dicitur est ergo, *dormierunt omnes*; quia non tantum stulti, qui propter humanam laudem bona operantur coram hominibus, verum etiam sapientes, qui hoc propterea faciunt ut laudetur Deus, experiuntur istam mortem: ex utroque enim genere moriuntur. Et ista mors sæpe in Scripturis dormitio dicitur, propter futuram resurrectionem, velut evigilationem. Hinc Apostolus dicit: *De dormientibus autem nolo vos ignorare, fratres*; & alio loco: *Ex quibus plures manent usque adhuc, quidam autem dormierunt*. Et alia innumerabilia in hoc testimonia aperte per Scripturas utriusque Testamenti reperiuntur. Unde & ille ait, *consanguineus lethi sopor*. Et si advertas, multa invenies etiam in sæcularibus litteris, ubi mors somno comparatur. Significavit ergo Dominus futurum esse tempus, quo inter tribulationes & tentationes sæculi hujus, jam jamque ejus expectaretur & speraretur adventus, tanquam propinquus atque imminens, ad quem se præparent, qui in ejus esse familia videntur.

tur. Hoc est enim quod ait, exisse obviam sponso & sponsæ. Sponso quidem Filio Dei: sponsæ autem, sive quia in eo corpore venturus est, quod sumsit ex Virgine; sive quia ipsa Ecclesia tunc clarior apparebit, ut ad universi corporis congregationem membra concurrant, quibus concurrentibus ejus magnitudo monstrabitur.

Matt. 25. 1.

77. VIRGINES propter continentiam nuncupavit. Decem verò, id est, quinque & quinque, propter numerum quo censetur corporis sensus, in quibus habitat continentia, cum à voluptatibus turpibus & illicitis abstinetur. Lampades, sicut dictum est, bona sunt opera, maximeque ad misericordiam pertinentia; & ipsa quæ etiam coram hominibus lucet laudabilis conversatio. Sed magni interest, qua mentis intentione fiat: ideo dicit alias sapientes, stultas alias. Sed hinc eas discernit, quod stultæ non sumserunt oleum secum, sapientes autem acceperunt oleum in vasis suis, hoc est, in cordibus suis, ubi fit ipsa participatio intimi ac superni boni. Unde in Psalmo quodam, cum dictum esset: *Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino*; multi, inquit, dicunt, *quis ostendit nobis bona*? Deinde ut manifestaret ejus boni amore debeamus operari justitiam, hoc est, sacrificare sacrificium justitiæ: *Signatum est, inquit, in nobis lumen vultus tui, Domine: dedisti lætitiā in corde meo*. Cujus boni aliquantum participati, & plenius perfectiusque participandi intentione, qui bene operatur, & laudabiliter etiam in conspectu hominum conversatur, habet

CAPUT
XXXIII.

Præf. 4. 6.

TOM. IV.

E

oleum

a Editi post, *justitiæ*, addunt, & *sperare*, quod quidem abest à MSS.

oleum secum, quo bona opera ejus etiam in conspectu hominum lucentia non extinguuntur: quia non in eo caritas refrigescit abundante iniquitate, sed perseverat usque in finem. Hoc oleum stultæ virgines non habent secum, quoniam sibi tribuendo si quid boni operis faciunt, necesse est inflentur superbia, & propter hoc vitium sic laude delectentur humana, ut ejus gaudium, si quid boni agunt, fervere & lucere videantur.

CAPUT
XXXIV.

Matt. 25.
6.

1. Cor. 15.
52.

1. Tess. 4.
16.
Joan. 5. 28.

78. TARDANTE autem sponso, dormierunt omnes. Non enim tunc veniet cum speratur, sed media nocte cum valde obscurum, id est, occultum erit, an veniat. Unde dicit, media nocte clamorem factum: *Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Nimirum clamor iste ipsa est tuba illa, quam commemorans iste ipsa est tuba illa, quam commemorans apostolus dicit: *Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* Tubæ nomine aliquod evidentissimum & præclarissimum signum vult intelligi: quam vocem Archangeli & tubam Dei alio loco dicit. Quæ etiam vox ipsius Domini Jesu Christi in Evangelio dicitur, quam audient ii, qui in monumentis sunt, & procedent. Surgunt ergo omnes virgines illæ, & sapientes & stultæ, & aptant lampades suas, id est, rationem præparant reddere de operibus suis.

79. Sed tunc in illius clamoris evidentia & resurrectione mortuorum, quia nulla erit dubitatio jam instantis præsentisque judicii, subtrahetur omne solatium laudis humanæ. Neque enim vacabit de alio disceptare, vel de alio judicare, aut gratificari atque suffragari alteri, quando unusquisque proprium onus portabit, & de suorum factorum reddenda ratione cogitabit; ac per hoc feretur animus quidem vir-

ginum stultarum consuetudine propria, sed non inventis laudibus humanis deficiet. Neque enim germanitus dixerunt: *Apud te laus mea*; vel *In Domino laudabitur anima mea*; aut in Domino gloriatae sunt, cum ignorantes Dei justitiam, suam justitiam constituerent. Ac per hoc petunt à sapientibus oleum, hoc est, aliquam consolationem; nec inveniunt, nec accipiunt, illis respondentibus se nescire, utrum vel sibi sufficiat ipsa conscientia, qua exspectant misericordiam sub illo iudice: qui cum in throno sederit, quis gloriabitur castum se habere cor; aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato, nisi superexsulet misericordia iudicio? Quæ super eos erit, qui misericordiarum opera illa intentione fecerunt, ut eorum misereretur, à quo se sciebant accepisse quod habebant; nec gloriabantur quasi non accepissent, sed per seipsos habuerint quo placerent: sicut stulti qui & sibi placent tamquam de bono à se sibi parato, & ab adulantibus vel errantibus ita laudantur ac si ipsi sint aliquid. *Qui autem putat se esse aliquid, cum nihil sit, sicut dicit Apostolus, se ipsum seducit.* *Opus autem suum probet unusquisque; & tunc in seipso tantum gloriam habebit, & non in altero*; hoc est portare oleum secum, non ex aliena laude dependere. Sed quam gloriam in se habebit, nisi eum cui dicitur: *Gloria mea & exaltans caput meum*; ut quod sæpè dicendum est, qui gloriatur, in Domino gloriatur.

80. Proinde sapientia quæ in sapientibus virginibus habitat, secundum illud quod ante prædixit, cum ait contemptoribus, & sanam

E 2

doc-

a Editi, nisi eam, MSS. nisi eum.

Psal. 28.
26.
Psal. 33. 3.
Rom. 10. 3.

Prov. 10. 9.
sec. LXX.

Fac. 2. 13.

1. Cor. 4. 7.

Gal. 6. 3.

Psal. 3. 4.
1. Cor. 1. 31.

doctrinam accipere recusantibus: *Et ego vestrae perditioni superridebo; dicit stultis virginibus: Ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Tamquam diceret: Ubi sunt qui vos fallabant mendosissimis laudibus, quando & à vobis fallebamini, quia in vobis, non in Domino gloriabamini? Quod autem dicit: *Et dum eunt emere, venit sponsus; & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo;* hoc mihi videtur intelligendum, quod vitioso cordis affectu inhiabunt inani gloriæ, quam vanæ mentis elatione sectatæ sunt. Et ipse appetitus significat us est in eo, quod dictum est: *Dum eunt emere, venit sponsus; & introierunt eum eo ad nuptias, quæ paratæ erant;* hoc est, quæ veram fidem veramque pietatem corde gestabant, qua possent contemperari numero societatiq; sanctorum, non in seipsis, sed in Domino gloriantium, ut intrarent cum eis in illud gaudium, de quo dicitur: *Intra in gaudium Domini tui:* ubi erit perfecta participatio incommutabilis boni, cuius modò velut arrha quædam per fidem tenetur, ut secundum hanc gratiam vivamus, in quantum Deo, non nobis vivimus.

CAPUT
XXXV.

Matt. 25.
11.

Ibid. 12.

81. PROINDE quod sequitur: *Novissime veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis;* non dictum est eas emisse oleum, & sic venisse, neque enim jam erat unde; sed misericordiam serò quæssisse, cum jam tempus iudicandi esset, & probos à reprobis separandi. Rectè autem illis responderetur: *Amen dico vobis, nescio vos.* Ille quippe hoc dicit, quem non lateat aliquid. Sed, *nescio vos,* nihil aliud est quàm, nescitis me, quando de vobis potius eligitis

con-

a Bad. Am. & Er. considerari. At ceteri libri, *confidere.*

confidere, quàm de me. Cum enim dicitur quod nos cognoscit Deus, cognitionem sui nobis præstat: ut per hoc intelligamus, NE HOC QUIDEM NOBIS esse tribuendum, quòd nos scimus Deum, sed eam quoque scientiam illius misericordiæ tribuamus. Unde cum quodam loco Apostolus diceret: *Nunc autem cognoscentes Deum,* correxit, & ait: *Imò cogniti à Deo;* quid aliud volens intelligi, nisi quod eos ipse fecerit cognitores suos? Nemo autem cognoscit Deum, nisi qui intelligit illum esse summum atque incommutabile bonum, cuius participatione fit bonus: quod in hujus Psalmi conclusione positum est: *Annuntiabunt justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.* Inde est & illud quod in alio Psalmo: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Hoc enim non ad eam naturam, qua homines sumus, cuius naturæ idem ipse creator est, qui cæli, & terræ, siderum, omniumque animantium; sed ad illud potius referendum est, quod Apostolus ait: *Ipsi enim sumus figmentum, creati in Jesu Christo in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.*

Gal. 4. 9.

Ps. 21. 34.

Psal. 99. 3.

Eph. 2. 10.

CAPUT
XXXVI.

Epilogus.

Jean. I. 14.

82. ARBITROR tibi satis esse solutas tuas quinque quæstiones, dum in ista mea veluti sexta immorarer, quam mihi proposui de *Gratia novi Testamenti*, propter quam Verbum caro factum est, id est, qui Filius Dei erat, homo factus est, naturam suscipiendo nostram, non amittendo suam: per quod & nobis recipientibus eum potestas daretur, ut qui eramus homines, filii Dei fieremus, participatione incommutabilis boni in melius commutati, non ad temporalem felicitatem, sed ad vitæ æternæ, quæ sola beata est, adoptionem. Un-

de placuit etiam propheticum Psalmum percurrere, cujus primum versum in passione commemoravit, ostendens quomodo nos Deus derelinquat, & quo alio modo non recedat à nobis, ad bona æterna nos colligens, temporalia verò aliquando utiliter tribuens, & aliquando utiliter subtrahens; ut eis non hæere discamus, ne contempta luce interiore, quæ ad novam pertinet vitam (unde etiam Psalmus iste ipse *pro susceptione matutina*, tamquam pro luce nova, nomen accepit) in exteris tenebris libenter habitemus; unde in exteriores mittuntur, qui ex istis exteris non se ad interiora convertunt; ne diabolo & angelis ejus sociati, extrema damnatione puniamur. Intelligentes igitur peregrinationem nostram in hac vita, mundo crucifigamur, extendentes manus in latitudinem bonorum operum, & longanimitate usque in finem perseverantes, atque habentes cor sursum, ubi Christus est in dextera Dei sedens; totumque hoc non nobis, sed illius misericordiam tribuentes, cujus profunda judicia omnem scrutatorem fatigant. Hæc est enim non inaniter fabulosa, sed utiliter verax latitudo, longitudo, altitudo, profundum, undè perveniamus etiam ad supereminentem scientiam caritatis Christi, & impleamur in omnem plenitudinem Dei.

Coloss. 3. I.

CAPUT
XXXVII.

83. SCIO autem quàm non supervacanea sollicitudine, per hanc occasionem quæstionum mihi abs te propositarum, novi Testamenti gratiam tibi voluerim copiosius commendare. Habet enim adversarios, qui ejus profunditate turbati, non Deo tribuere, sed potius sibi volunt arrogare, quòd boni sunt. Nec tales sunt, quos facillè contemnas, sed continenter viventes, atque in bonis operibus laudabiles: nec falsum Christum, sicut manichæi alique plurimi

hæ-

hæretici, sed eundem verum æqualemque Patri & coæternum, veraciterque hominem factum, & venisse credentes, & venturum exspectantes; sed tamen ignorantes Dei justitiam, & suam constituere volentes. Neque enim frustra Dominus, cum & illas commemoraret, quæ secum intraverunt ad nuptias, & illas contra quas januas clausit, & quibus respondit: *Nescio vos*; utrasque virgines dixit propter continentiam, & quinque propter concupiscentiam carnis edomitam, quinario præditam sensu; ornatas utrasque lampadibus propter bonorum operum bonæque conversationis in conspectu hominum luculentissimam laudem; utrasque obviam sponso euntes, propter expectationem qua Christi speratur adventus: sed tamen alias sapientes, alias stultas, quòd sapientes oleum acceperunt in vasis suis, stultæ autem hoc non ferebant secum: in tam multis pares, hoc solo eas dispares demonstrat, hoc solo diversa eis & contraria nomina imponit.

Rom. 10. 3.
Math. 25.
10. 13.

84. Quid enim tam conjunctum quàm virgines & virgines, quinque & quinque, lampadibus ornatae, obviam sponso euntes, & istæ, & illæ? Et quid tam contrarium quàm sapientes, & stultæ? Videlicet quòd istæ oleum in vasis, hoc est, intelligentiam gratiæ Dei portant in cordibus suis, scientes quòd nemo possit esse continens nisi Deus det, & hoc ipsum sapientiæ deputantes, scire cujus hoc donum sit: illæ autem largitori omnium bonorum gratias non agentes, evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipientibus cor earum, dicentes se esse sapientes, stultæ factæ sunt. De quibus sanè nullo modo nunc desperandum est, antequam dormiamus. Sed si ita dormierint, cum factus fuerit clamor ille, quo adesse jam nuntia-

Sep. 8. 21.

Rom. 1. 21.
22.

E 4

bi-

bitur sponsus, & evigilantes, hoc est, resurgentes remanserint foris; non quia virgines non sunt, sed quia nescientes unde habeant quod sunt, stultæ virgines sunt, meritorumque foris erunt, quia internæ affectum gratiæ non secum ferunt.

85. Quando tales ergo repereris, non tibi persuadeant inanitatem vasorum suorum, sed tu eis potius plenitudinem. Unde ait Apostolus: *Quisquis se putat aliquid scire, nondum scit, quemadmodum oportet scire.* Et mox ostendens quid dixerit: *Quisquis autem, inquit, diligit Deum, hic cognitus est ab illo.* Nec sic dicere voluit, cognovit eum, sed dicendo: *Cognitus est ab illo*, expressius voluit commendare, etiam hoc ab illo nobis esse, ut eum diligamus. Caritas enim Dei diffunditur in cordibus nostris, non per nos ipsos, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. **NECESSE EST** autem ut parùm diligit Deum, qui non ab illo, sed à seipso bonum se arbitratur effectum: unde autem fieri potest ut talis non in seipso, sed in Domino gloriatur? Qui enim gloriatur quòd sit bonus, in illo debet gloriari, à quo factus est bonus; ac per hoc qui se à semetipso factum bonum arbitratur, consequens est, ut in se ipso, non in Domino gloriatur. Omnis autem intentio gratiæ novi Testamenti, qua sursum cor habemus (quia omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est) id agit, ne simus ingrati: atque in ipsa gratiarum actione nihil aliud agitur, nisi ut qui gloriatur, in Domino gloriatur. Habes librum, etsi prolixum, tamen quantum existimo, non superfluum. Sed ama etiam ecclesiasticas legere litteras, & non multa in-

venies, quæ requiras ex me: sed legendo & ruminando, si etiam purè Dominum largitorum bonorum omnium deprecæris, omnia quæ cognitione digna sunt, aut certè plurima, ipso magis inspirante, quàm hominum aliquo commoente perdisces. Quamquàm eo ipso, quo forinsecus benè admonentem iudicio non errante approbamus, quid aliud quàm internum lumen magistrum nos habere testamur?



IN DUOS LIBROS
DE GRATIA CHRISTI,
ET DE PECCATO ORIGINALI,
*Ad Albinam, Pinianum, & Melaniam
scriptos.*

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT L.

POSTEA quam Pelagiana hæresis cum suis auctoribus ab episcopis Ecclesiæ romanæ, prius Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus conciliorum africanorum litteris, convicta atque a damnata est, scripsi duos libros adversus eos, unum *De Gratia Christi*, alterum *De Peccato originali*. Hoc opus sic incipit: *Quantum de vestra corporali & maxime spiritali salute gaudeamus.*

S.

a Hinc fit, ut libri de Gratia Christi & de Peccato originali ad annum 418. referantur. Nam hoc anno pelagiana hæresis ab ipso Zosimo damnata est, sub idem illud tempus, quo in eam hæresim ab africanis episcopis Carthagine habitum est Concilium universale, quod Kalendis Maii anni ejusdem 418. consignatur. Ab isto Concilio remansit Augustinus Carthagine, fuitque diuturnior ipse apud eandem urbem commoratio, ut intelligitur ex Concilii africani canone 94. seu ex codice canonum Ecclesiæ africanæ, c. 127. nec non ex Epistola 93. ad Mercatorem, n. 1. atque hoc interim spatio temporis, prius quam inde in Mauritaniam cæsareensem proficisceretur, hos ad Albinam, Pinianum & Melaniam libros conscripsit: quos idcirco in Retractationibus collocat proximè ante gesta cum Emerito, quæ apud Cæsaream eodem ipso anno 418. die 20. Septembris confecta sunt. Julianus in suo ad Turbantium opere calumniosè carpebat locum libri de Gratia Christi, qui ab Augustino in libro 4. contra Jul. c. 8. n. 47. vindicatur; ubi ejusdem primi libri sui ad sanctum Pinianum, ut vocat, titulum esse ait, *De gratia contra Pelagium.*

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE GRATIA CHRISTI,
ET DE PECCATO ORIGINALI,
Contra Pelagium & Cælestium
LIBRI DUO. *

LIBER PRIMUS.
DE GRATIA CHRISTI.

* Scripti
ann. Chris-
ti 418.

Pelagium gratiæ confessione fucum facere ostendit: quippe qui gratiam vel in natura & libero arbitrio ponat, vel in lege atque doctrina: qui præterea divinâ gratiâ solam voluntatis & actionis possibilitatem, ut vocat, non ipsam voluntatem & actionem adjuvari dicat: & illam insuper adjuvantem gratiam à Deo secundum merita hominum dari: atque ad id solum juvare eos putet, ut præcepta facilius possint implere. Expendit Augustinus loca opusculorum ipsius, quibus ille Dei gratiam dissertè à se commendatam jactabat; & hæc de lege ac doctrina, seu de divina revelatione, ac de Christi exemplo, quæ ad doctrinam æquè revocantur, aut de peccatorum remissione interpretari posse demonstrat: nec apparere omnino, an verè christianam gratiam, id est, adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ caritatis agnoscat Pelagius: qui postremò Ambrosium, tantopere ab ipso laudatum, præclara quædam in commendationem divinæ gratiæ dicentem audire jubetur.

I. QUANTUM de vestra corporali & maxime spiritali salute gaudeamus, sincerissimi

CAPUT I.

mi

IN DUOS LIBROS
DE GRATIA CHRISTI,
ET DE PECCATO ORIGINALI,
*Ad Albinam, Pinianum, & Melaniam
scriptos.*

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAPUT L.

POSTEA quam Pelagiana hæresis cum suis auctoribus ab episcopis Ecclesiæ romanæ, prius Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus conciliorum africanorum litteris, convicta atque a damnata est, scripsi duos libros adversus eos, unum *De Gratia Christi*, alterum *De Peccato originali*. Hoc opus sic incipit: *Quantum de vestra corporali & maxime spiritali salute gaudeamus.*

S.

a Hinc fit, ut libri de Gratia Christi & de Peccato originali ad annum 418. referantur. Nam hoc anno pelagiana hæresis ab ipso Zosimo damnata est, sub idem illud tempus, quo in eam hæresim ab africanis episcopis Carthagine habitum est Concilium universale, quod Kalendis Maii anni ejusdem 418. consignatur. Ab isto Concilio remansit Augustinus Carthagine, fuitque diuturnior ipse apud eandem urbem commoratio, ut intelligitur ex Concilii africani canone 94. seu ex codice canonum Ecclesiæ africanæ, c. 127. nec non ex Epistola 93. ad Mercatorem, n. 1. atque hoc interim spatio temporis, prius quam inde in Mauritaniam cæsareensem proficisceretur, hos ad Albinam, Pinianum & Melaniam libros conscripsit: quos idcirco in Retractationibus collocat proximè ante gesta cum Emerito, quæ apud Cæsaream eodem ipso anno 418. die 20. Septembris confecta sunt. Julianus in suo ad Turbantium opere calumniosè carpebat locum libri de Gratia Christi, qui ab Augustino in libro 4. contra Jul. c. 8. n. 47. vindicatur; ubi ejusdem primi libri sui ad sanctum Pinianum, ut vocat, titulum esse ait, *De gratia contra Pelagium.*

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE GRATIA CHRISTI,
ET DE PECCATO ORIGINALI,
Contra Pelagium & Cælestium
LIBRI DUO. *

LIBER PRIMUS.
DE GRATIA CHRISTI.

* Scripti
ann. Chris-
ti 418.

Pelagium gratiæ confessione fucum facere ostendit: quippe qui gratiam vel in natura & libero arbitrio ponat, vel in lege atque doctrina: qui præterea divinâ gratiâ solam voluntatis & actionis possibilitatem, ut vocat, non ipsam voluntatem & actionem adjuvari dicat: & illam insuper adjuvantem gratiam à Deo secundum merita hominum dari: atque ad id solum juvare eos putet, ut præcepta facilius possint implere. Expendit Augustinus loca opusculorum ipsius, quibus ille Dei gratiam dissertè à se commendatam jactabat; & hæc de lege ac doctrina, seu de divina revelatione, ac de Christi exemplo, quæ ad doctrinam æquè revocantur, aut de peccatorum remissione interpretari posse demonstrat: nec apparere omnino, an verè christianam gratiam, id est, adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ caritatis agnoscat Pelagius: qui postremò Ambrosium, tantopere ab ipso laudatum, præclara quædam in commendationem divinæ gratiæ dicentem audire jubetur.

I. QUANTUM de vestra corporali & maxime spiritali salute gaudeamus, sincerissimi

CAPUT I.

mi

mi fratres, dilecti à Deo, ^a Albina, Piniane, & Melania, quia effari non possumus, vobis cogitandum credendumque committimus, ut ea de quibus nos consuluistis, potiùs jam loquamur. Festinante etenim perlatores inter occupationes nostras, multò apud Carthaginem quàm ubicumque alibi densiores, quantum Deus donare dignatus est, ut potuimus, ista dictavimus.

CAPUT II.

I. Tim. I.

15.
Suspecta
Pelagii
professio
de gratia
ad singulos
actus ne-
cessaria.

b

2. SCRIPSISTIS mihi, cum Pelagio vos egisse, ut quæcumque adversus eum dicerentur, scripto damnaret: eumque dixisse audientibus vobis: *Anathemo qui vel sentit vel dicit, gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non solum per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam; & qui hanc conantur auferre, pœnas^b sortiantur æternas.* Quisquis hæc audit, & sensum ejus ignorat, quem in libris suis satis evidenter expressit, non illis quos dicit inemendatos sibi fuisse subreptos, aut omninò suos negat, sed in illis quos litteris suis quas Romam misit commemorat, omninò eum putat hoc sentire quod veritas habet. Quisquis autem quid in eis apertius dicat advertit, debet habere etiam ista verba suspecta. Quia & si gratiam Dei, qua Christus venit in mundum peccatores salvos facere, in sola remissione peccatorum constituat, potest huic sensui verba ista coaptare di-

^a Editi, *Albine*. Vaticanus codex & nostri omnes Gallicani MSS. *Albina*. Convenit operis inscriptio in MSS. Retract. l. 2. c. 50. & Possid. indic. c. 4. *Ad Albina* &c. Hæc socrus Piniani, & Melaniæ mater fuit. Confer epistolam 124. ab Augustino iisdem in Africa anno 411. constitutis, & 126. ipsi Albina scriptam.

^b Sic plures MSS. Editi verò, *sortiantur*.

dicens, ideo eam per singulas horas, per singula momenta, & per actus singulos necessariam, ut semper in memoria retinentes, & reminiscentes dimissa nobis esse peccata, non peccemus ulterius; adjuti non aliqua subministracione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis, quid sibi remissione peccatorum præstitum fuerit per actus singulos ^a recordantis. Item quoniam solent dicere, nobis in eo Christum ad non peccandum præbuisse adiutorium, quia justè ipse vivendo, ^b justèque docendo reliquit exemplum: possunt etiam ad hoc ista verba coaptare, ut dicant, per singula momenta, per singulos actus necessariam nobis esse hujusmodi gratiam, id est, ut in omni conversatione nostra intueamur dominicæ conversationis exemplum. Pervidet autem fides vestra, à confessione gratiæ, de qua quæstio est, quàm sit distinguenda ista confessio: & tamen obtegi potest istorum ambiguitate verborum.

3. SED quid mirum? Quando quidem ipse Pelagius cum episcopalibus ^{*} gestis sine ulla recusacione damnaverit eos, qui dicunt gratiam Dei & adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina; ubi putabamus ejus de hac re omnes tergiversaciones esse consumptas; damnaverit etiam eos, qui docent gratiam Dei secundum merita nostra dari: tamen in libris quos edidit pro libero arbitrio, quorum mentionem facit in epistola quam Romam

CAPUT III.

^{*} Lib. de
gestis Pe-
lagii, c. 14.

^a Editi, Am. Er. & Lov. *recordantes*. Aptius MSS. *recordantis*, scilicet voluntatis; non enim aliò referri hoc potest, quid sibi &c.

^b Am. & Er. *justèque dicendo*. Fortè legendum, *justèque docendo*.

Gratia Pelagiana.

mam misit, nihil aliud sentire monstratur, quam id quod damnasse videbatur. Nam gratiam Dei & adiutorium, quo adjuvamus ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina: ut videlicet, cum adjuvat Deus hominem, ut declinet à malo & faciat bonum, revelando & ostendendo quid fieri debeat, adjuvare credatur; non etiam cooperando & dilectionem inspirando, ut id, quod faciendum esse cognoverit, faciat.

4. Nam cum tria constituat atque distinguat, quibus divina mandata dicit impleri, possibilitatem, voluntatem, actionem; possibilitatem scilicet, qua potest homo esse justus; voluntatem, qua vult esse justus; actionem, qua justus est; horum trium primum, id est, possibilitatem datam confitetur à creatore naturæ, nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere etiam si nolimus: duo verò reliqua, id est, voluntatem, & actionem nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit, ut non nisi à nobis esse contendat. Denique gratiâ Dei, non ista duo, quæ nostra omnino vult esse, id est, voluntatem & actionem; sed illam quæ in potestate nostra non est, & nobis ex Deo est, id est, possibilitatem, perhibet adjuvari: tamquam illa quæ nostra sunt, hoc est, voluntas & actio, tam sint valentia ad declinandum à malo & faciendum bonum, ut divino adiutorio non indigeant; illud verò quod nobis ex Deo est, hoc a sit invalidum, id est, possibilitas, ut semper gratiæ adjuvetur auxilio.

SED

^a Sola editio Lov. hoc est, possibilitas, tam sit invalidum, ut semper.

5. SED ne quis forsitan dicat, nos vel non rectè intelligere quæ loquitur, vel malevolo animo in alium sensum, quæ non ita dicta sunt, vertere, ipsa jam verba ejus accipite. Nos, inquit, sic tria ista distinguimus, & certum velut in ordinem digesta partimur. Primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectum locamus. Primum illud, id est, posse, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit: duo verò reliqua, hoc est, velle & esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrii fonte descendunt. Ergo in voluntate & opere bono laus hominis est: imò & hominis, & Dei, qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit, quique ipsam possibilitatem gratiæ suæ adjuvat semper auxilio. Quòd verò potest homo velle bonum atque perficere, solius Dei est. Potest itaque illud unum esse, etiam si duo ista non fuerint: ista verò sine illo esse non possunt. Itaque liberum mihi est, nec voluntatem bonam habere, nec actionem: nullo autem modo possum non habere possibilitatem boni: inest mihi etiam si noluerò, nec otium sui aliquando in hoc natura recipit. Quem nobis sensum exempla aliqua facient clariorem. Quòd possumus videre oculis, nostrum non est: quòd verò bene aut malè videmus, hoc nostrum est. ^a Et ut generaliter universa complectar, quòd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit, qui hoc pos-

Pelagius l. 3. pro libero arbitrio.

®

^a Omissa hic alla exempla, quæ excutiuntur l. de nat. & gr. c. 47.

posse adjuvat: quod verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est; quia hæc omnia vertere in malum etiam possumus. Unde, quod propter calumniam vestram sæpè repetendum est, cum dicimus hominem posse esse sine peccato; & confessione possibilitatis acceptæ laudamus Deum, qui nobis hoc posse largitus est, nec est ibi ulla laudandi hominis occasio, ubi solius Dei caussa tractatur: non enim de velle, nec de esse, sed tantummodo de eo quod potest esse, disseritur.

CAPUT V.

6. ECCE est totum dogma Pelagii in libro ejus tertio pro libero arbitrio, his omnino verbis diligenter expressum, quo tria ista, unum quod est posse, alterum quod est velle, tertium quod est esse, id est, possibilitatem, voluntatem, actionem, tanta curavit subtilitate distinguere, ut quandocumque legimus, vel audimus, divinæ gratiæ adjutorium confiteri, ut à malo declinemus bonumque faciamus, sive in lege atque doctrina, sive ubilibet constituat, sciamus quid loquitur; nec erremus, aliter eum intelligendo quàm sentit. Scire quippe debemus, quòd nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo, tamquam hoc sit infirmum, quod Deus ipse posuit in natura; cetera verò duo, quæ nostra esse voluit, ita sint firma, & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio; & ideo non adjuvet velimus, non adjuvet ut agamus, sed tantummodo adjuvet ut velle & agere valeamus.

Con-

a Am. Er. & Victorinus MS. nostram.

Contra autem Apostolus. Cum timore, inquit, *Phil. 2.12.* & tremore vestram ipsorum operamini salutem. Et ut scirent, quia non tantum in eo quod operari possint (hoc enim in natura & in doctrina jam acceperant) sed etiam in eo quod operantur divinitus adjuvantur, non ait: Deus est enim qui operatur in vobis posse, tamquam ipsi jam & velle, & operari per se ipsos habeant, nec in his duobus adjutorio ejus indigeant; sed ait: Deus enim est qui operatur in vobis, & velle, & perficere; vel sicut in aliis, & maxime græcis codicibus legitur, & velle, & * operari. Videte si non Apostolus gratiæ Dei futuros adversarios sancto Spiritu tantò antè prævidit: & hæc duo, id est, & velle, & operari, quæ iste ita nostra esse voluit, tamquam ipsa divinæ gratiæ non adjuventur auxilio, Deum in nobis dixit operari. *Ibid. 13.*

* τὸ ἐσπεύειν.

7. NEQUE hinc Pelagius incautos fallat & simplices, vel etiam se ipsum, quoniam cum dixisset: *Ergo in voluntate, & opere bono laus hominis est;* velut correxit, atque addidit: *Imò & hominis, & Dei.* Non enim hoc propterea dixit, quia secundum sanam doctrinam intelligi voluit, quòd & velle, & operari Deus operetur in nobis: sed cur hoc dixerit, satis evidenter ostendit, continuo subiungendo: *Qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit.* Hanc autem possibilitatem in natura eum ponere, de verbis ejus superioribus clarum est. Sed ne nihil de gratia dixisse videretur, adjunxit: *Quique ipsam possibilitatem gratiæ suæ adjuvat semper auxilio:* non ait, ipsam voluntatem, vel ipsam operationem; quod si diceret, non abhorre à doctrina apostolica videretur: sed

TOM. IV.

F

ait,

ait, *ipsam possibilitatem*, illud videlicet ex tribus quod in natura locavit, *gratiæ suæ adjuvat semper auxilio*: ut scilicet in voluntate, & actione non ideo laus sit & Dei, & hominis, quia sic vult homo, ut tamen Deus voluntati ejus ardorem dilectionis inspiret; & sic operatur homo, ut tamen Deus cooperetur: sine cujus adjutorio quid est homo? Sed ideo ad hanc laudem adjunxit & Deum, quia nisi natura esset, in qua nos condidit, qua velle, & agere possemus, nec vellemus, nec ageremus.

8. Hanc autem naturalem possibilitatem quod adjuvari Dei gratiâ confitetur, non est hîc apertum, vel quam dicat gratiam, vel quatenus eâ naturam sentiat adjuvari: sed sicut aliis locis, in quibus evidentius loquitur, intelligi potest, non vult aliud accipi quàm legem atque doctrinam, qua naturalis possibilitas adjuvetur. * CAP. VII. * NAM quodam loco ait: *Hic nos imperitissimi hominum putant injuriam divini gratiæ facere, quia dicimus eam sine voluntate nostra nequaquam in nobis perficere sanctitatem: quasi Deus gratiæ suæ aliquid imperaverit, & non illis quibus imperavit, etiam gratiæ suæ auxilium subministret, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possent implere per gratiam.* Et tamquam explicaturus, quam dicat gratiam, secutus adjunxit, dicens: *Quam nos non, ut tu putas, in lege tantummodo, sed & in Dei esse adjutorio confitemur.* Quis non hîc desideret, ut ostendat quam velit intelligi gratiam? Propter hoc enim maximè de illo exspectare debemus, ut dicat hoc ^a quod dicit, non in lege

^a Sigiramnensis MS. quid dicit.

tantummodo se gratiam confiteri. Sed nobis hac expectatione suspensis, quid addiderit in tuemini. *Adjuvat enim nos Deus, inquit, per doctrinam & revelationem suam; dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne presentibus occupemur, futura demonstrat; dum diaboli pandit insidias; dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ celestis illuminat.* Deinde sententiam suam quadam velut absolute conclusionis, *Qui hæc dicit, inquit, gratiam tibi videtur negare? An & liberum hominis arbitrium, & Dei gratiam confitetur?* In his omnibus non recessit à commendatione legis atque doctrinæ, hanc esse adjuvantem gratiam diligenter inculcans, & hoc exsequens quod proposuerat, cum diceret, *sed in Dei esse adjutorio confitemur.* Denique Dei adjutorium multipliciter insinuandum putavit, commemorando doctrinam, & revelationem, & oculorum cordis adaptionem, & demonstrationem futurorum, & apertionem diabolicarum insidiarum, & a multiformi atque ineffabili dono gratiæ celestis illuminationem: ad hoc utique ut divina præcepta & promissa discamus. Hoc est ergo gratiam Dei ponere in lege atque doctrina.

9. HINC itaque apparet, hanc eum gratiam confiteri, qua demonstrat, & revelat Deus quid agere debeamus; non qua donat atque adjuvat ut agamus: cum ad hoc potius valeat legis agnitio, si gratiæ desit opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio. Ubi enim non est lex, ait Apostolus, nec prævaricatio. Et Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Ac per hoc, usque adeo aliud

F 2

est

^a Am. & Er. & multiformem & ineffabilem.

Gratia pe-
lagiana in
interiori &
multiformi
mentis il-
lustratio-
ne.

CAP. VIII.
Aliud lex,
aliud gra-
tia.

Ⓡ
Rom. 4.15.

Rom. 7.7.
Exod. 20.
17.

Lex sine gratia quid potest.

Legis utilitas.

2. Cor. 3. 6.
Gal. 3. 21.

a

Rom. 3. 19.

b

1. Cor. 1. 31.

est lex, aliud est gratia, ut lex non solum nihil prosit, verum etiam plurimum obsit, nisi adjuvet gratia: & hæc ostendatur legis utilitas, quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, & ut concupiscentias malas superent adjuvandos. Jube enim magis quam juvat; docet morbum esse, non sanat; imò ab ea potius quod non sanatur augetur, ut adtentius & sollicitius gratiæ medicina quæratur. Quia littera occidit, spiritus autem vivificat. Si enim data esset lex quæ posset a vivificare, omnino ex lege esset justitia. In quantum tamen etiam lex adjuvet, adjungit, & dicit: „Sed conclusit „Scriptura omnia sub peccato, ut promissio „ex fide Jesu Christi daretur credentibus.” Itaque lex, inquit, pædagogus noster fuit in Christo Jesu. Hoc ipsum ergo superbis est utile, sub peccato acutius manifestiusque concludi, ne ad faciendam justitiam de liberi arbitrii quasi propriis viribus præsumatur; sed „omne os obstruatur, & reus fiat omnis mundus Deo, quia non justificabitur ex lege „omnis caro coram illo. Per legem enim „cognitio peccati: nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est; testificata per legem & Prophetas.” Quomodo ergo sine lege manifestata, si per legem testificata? Non b itaque sine lege manifestata, sed sine lege justitia: quia justitia Dei est, id est, quæ nobis non ex lege sit, sed ex Deo: non quæ illo imperante cognoscendo timeatur, sed quæ illo donante diligendo teneatur, ut & qui gloriatur in Domino gloriatur.

QUID

a Am. Er. & codex Sigiramnensis, justificare.

b Sic MSS. Editi verò, Non ita.

10. QUID ergo est, quòd iste legem atque doctrinam deputat gratiam, qua juvatur ad operandam justitiam, quæ ut multum adjuvet, ad hoc adjuvat ut gratia requiratur? Nemo enim potest legem implere per legem. Plenitudo enim legis caritas. Caritas autem Dei non per legem diffusa est in cordibus nostris, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Proinde per legem gratia demonstratur, ut lex per gratiam compleatur. Quid enim juvat Pelagium, quia diversis verbis eandem rem dicit, ut non intelligatur in lege atque doctrina gratiam constituere, qua possibilitatem naturæ asserit adjuvari? Quantum autem existimo, ideo veretur intelligi, quia damnavit eos, qui dicunt gratiam Dei & adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina: & tamen latere se putat, cum aliis atque aliis locutionibus versat significationem legis atque doctrinæ.

11. ET alio quippe loco, cum diu asseruisset, non adiutorio Dei, sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem bonam, opposuit sibi ex Apostoli epistola quæstionem, atque ait: *Et quomodo, inquit, stabit illud Apostoli: Deus est enim qui operatur in vobis, & velle, & perficere?* Deinde ut hanc oppositionem veluti solveret, quam videbat dogmati suo vehementer esse contrariam, secutus adjunxit: *Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est; dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & multorum more animalium tantummodo presentia diligentes, future gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit; dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stu-*

CAPUT IX.

Ad quid lex adjuvet.

Rom. 13. 10.

Rom. 5. 5.

CAPUT X.

Phil. 2. 13.

Gratiam in lege atque doctrina ponit Pelagius.

pentem suscitatur voluntatem; dum nobis (quod a tu alibi negare non metuis) suadet omne quod bonum est. Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quam legem atque doctrinam? In lege namque & doctrina sanctarum Scripturarum futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelatur, ad doctrinam pertinet cum suadetur omne quod bonum est. Et si inter docere & suadere, vel potius exhortari, distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibusque sermonibus vel litteris continetur: nam & sanctæ Scripturæ, & docent, & exhortantur, & potest esse in docendo, & exhortando etiam hominis operatio. Sed nos eam gratiam ^b volumus iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur, & speratur; nec solum revelatur sapientia, verum & amatur; nec solum suadetur omne quod bonum est, verum & persuadetur. Non enim omnium est fides, qui audiunt per Scripturas Dominum regnum cælorum pollicentem; aut omnibus persuadetur quibuscumque suadetur, ut veniant ad eum qui dicit: *Venite ad me, omnes, qui laboratis.* Quorum autem sit fides, & quibus persuadetur, ut ad eum veniant, satis ipse demonstravit, ubi ait: *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Et paulo post, cum de non credentibus loqueretur

^a Vaticanus MS. *Quod alibi negare non metuit.*

^b Editio Am. & MS. Victorinus, *eam gratiam volumus. Isti aliquando fateantur. Et eam gratiam volumus. Istam aliquando fateatur.*

^b Gratia quam confiteri debet, ut sit christianus, ea est, quæ non solum suadetur, sed persuadetur bonum. *2. Thess. 3. 2.*

Matth. 11. 28.

Joan. 6. 44.

retur: *Dixi, inquit, vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse christianus. ibid. 66.

12. QUID autem dicam de revelatione sapientiæ? Neque enim facile quisquam speraverit in hac vita posse pervenire ad magnitudinem revelationum Apostoli Pauli: & utique in eis quid aliud credendum est ei revelari solere, nisi quod ad sapientiam pertineret? Et tamen dicit: „In magnitudine revelationum mearum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut auferret eum à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.” Proculdubio si jam summa, & cui nihil esset addendum, caritas in Apostolo tunc fuisset, quæ omnino non posset inflari, ^a numquid necessarius esset angelus satanæ, quo colaphizante reprimere tur elatio, quæ in magnitudine revelationum posset existere? Quid est autem aliud elatio, quam inflatio? Et utique de caritate verissime dictum est: Caritas non æmulatur, non inflatur. Hæc itaque caritas adhuc etiam in tanto Apostolo de die in diem profecto augebatur, quamdiu homo ejus interior de die in diem renovabatur, perficienda sine dubio ubi jam non posset inflari. Tunc autem mens ejus adhuc erat ubi inflaretur magnitudine revelationis, donec impleretur solido ædificio caritatis: nondum enim perveniendo apprehenderat, quò proficiendo currebat.

CAP. XI.

2. Cor. 12. 7.

V. lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum c. 7.

1. Cor. 13. 4.

2. Cor. 4. 16.

F 4

IDEO-

^a Vaticanus cod. *numquam, fortè pro, nequaquam.*

CAP. XII. 13. IDEOQUE nolenti perpeti molestiam, qua ejus cohiberetur elatio, ante quàm esset in eo caritatis ultima & summa perfectio, rectissimè dicitur: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. *In infirmitate* scilicet, non ut ille putat, *carnis tantum*; sed & carnis, & animi: quia & animus erat in comparatione summæ illius perfectionis infirmus, cui, ne extolleretur, proinde stimulus carnis angelus satanæ intelligebatur datus: quamvis esset in carnalium vel animalium, nondum percipientium quæ sunt Spiritus Dei, comparatione, firmissimus. Quocirca si virtus in infirmitate perficitur, quisquis se non fatetur infirmum, non perficitur. Hæc autem gratia qua virtus in infirmitate perficitur, prædestinatos & secundum propositum vocatos ad summam perfectionem glorificationemque perducit. Qua gratia agitur, non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus.

CAP. XIII. 14. HÆC gratia si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, ut altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum qui incrementum suum ministrat occultus; ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat caritatem. Sic enim docet Deus eos qui secundum propositum vocati sunt, simul donans & quid agant scire, & quod sciunt agere. Unde ad Thesalonicenses sic Apostolus loquitur: De caritate autem fraternitatis non opus habetis vobis scribi; nam ipsi vos à Deo didicistis, ut diligatis invicem. Atque ut probaret eos à Deo didicisse, sub-

Qui per gratiam discit, agit omnino quidquid agendum didicit.

1. Thess. 4. 9.

1. Cor. 2. 14.

Rom. 8. 28.

Gratia facit ut faciamus.

junxit: Etenim facitis illud in omnes fratres, in universa Macedonia. Tamquam hoc sit certissimum indicium quòd à Deo didiceris, si id quod didiceris feceris. Isto modo sunt omnes secundum propositum vocati, sicut scriptum est in Prophetis, docibiles Dei. Qui autem novit a quidem quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem; non secundum spiritum, sed secundum litteram: quamvis multi, quod imperat lex, facere videantur timore poenæ, non amore justitiæ: quam dicit Apostolus justitiam suam quæ ex lege est; tamquam sit imperata, non data. Si autem data est, non dicitur justitia nostra, sed Dei: quia sic fit nostra, ut sit nobis ex Deo. Dicit enim: Ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ ex fide est Jesu, justitiam ex Deo. Tantum igitur inter legem distat & gratiam, ut cum lex esse non dubitetur ex Deo, justitia tamen quæ ex lege est, non sit ex Deo; sed justitia quæ per gratiam consummatur, ex Deo. Quia ex lege justitia dicitur, quæ fit propter legis b maledictum: justitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium; ut non sit terribile, sed suave mandatum, sicut oratur in Psalmo: Suavis es, Domine, & in tua suavitate doce me justitiam tuam: id est, ut non formidine poenæ serviliter cogar esse sub lege, sed libera caritate delecter esse cum lege. Præceptum quippe liber facit, qui libens facit.

Justitia ex Deo, justitia ex lege.

Phil. 3. 9.

Psal. 118. 68.

Timor poenæ.

a Apud. Lov. quid est quod.

b In editis, legis mandatum. Aptius ad antithesim in MSS. Sigiram. & Casal. legis maledictum: quo scilicet prævaricatori malum denuntiatur, ita ut sit terribile mandatum.

cit. Et hoc modo quisquis discit, agit omnino quidquid agendum didicerit.

CAP. XIV.

Qui per gratiam didicit, venit; qui non venit, non didicit.

Vide lib. de Prædestinatione S. S. cap. 8. Joan. 6. 45.

Deus quomodo doceat per gratiam.

Voluntatis & operationis adiutorium.

15. DE isto docendi modo etiam Dominus ait: Omnis qui audivit à Patre meo & didicit, venit ad me. Qui ergo non venerit, non de illo rectè dicitur: Audivit quidem, & didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult quod didicit. Prorsus non rectè dicitur de isto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim, sicut Veritas loquitur, Omnis qui didicit, venit: quisquis non venit, profectò nec didicit. Quis autem non videat, & venire quemquam, & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit: non autem potest nisi adjutum esse, si venit; & sic adjutum, ut non solum quid faciendum sit sciat, sed quod scierit etiam faciat. Ac per hoc, quando Deus docet, non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas, & ipsa operatio, non sola volendi & operandi naturalis possibilitas adjuvatur. Si enim solum posse nostrum hac gratia juvaretur, ita diceret Dominus: Omnis qui audivit à Patre & didicit, potest venire ad me. Non autem ita dixit: sed, Omnis qui audivit, inquit, à Patre, & didicit, venit ad me. Venire posse in natura ponit Pelagius, vel etiam, ut modò dicere cœpit, in gratia, qualem libet eam sentiat; qua ipsa, ut dicit, *possibilitas adjuvatur*; venire autem jam in voluntate & opere est. Non est autem consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit à Pa-

Patre, non solum potest venire, sed venit: ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.

16. QUID sibi ergo volunt exempla, nisi quia re vera nobis ejus sensum fecerunt, sicut pollicitus est, clariorem; non ut ea sentire debeamus, sed ut id quod ipse sensit, manifestius apertiusque noscamus? *Quòd possumus*, inquit, *videre oculis, nostrum non est: quòd verò benè aut malè videmus, hoc nostrum est.* Respondeat illi Psalmus, ubi Deo dicitur: Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Quod & si de oculis mentis dictum est, inde utique procedit in hos oculos carnis, vel bene videre, vel malè: non quemadmodum dicuntur bene videre sanis oculis intuentes, & malè lippientes; sed bene videre ad subveniendum, malè videre ad concupiscendum. Quamvis enim per hos exteriores oculos videatur & pauper cui subvenitur, & mulier quæ concupiscitur; tamen ex interioribus ad malè vel benè videndum misericordia vel libido procedit. Cur ergo dicitur Deo: Averte oculos meos, ne videant vanitatem? Cur petitur quod ad nostram pertinet potestatem, si Deus non adjuvat voluntatem?

17. *QUOD loqui possumus*, inquit, *Dei est: quòd verò benè vel malè loquimur, nostrum est.* Non hoc docet ille, qui a loquitur benè. Non enim vos estis, inquit, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. *Et ut generaliter*, inquit, *universa complectar, quòd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui*

^a Sigirammensis MS. qui loquuntur bene. Non enim vos estis, inquit.

CAP. XV.

Psal. 118. 37.

CAPUT XVI.

Matth. 10. 20.

qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat. Ecce etiam hic superiorem repetit sensum, quod illorum trium, id est, possibilitatis, voluntatis, actionis, non nisi possibilitas adjuvatur. Denique adjuvens, ut impleat quod intendit: Quod verò bene, inquit, vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est. Oblitus est quod superius quasi correxerat, ubi cum dixisset: Ergo in voluntate & opere bono laus hominis est; adjunxit atque ait: Imò & hominis, & Dei, qui ipsius voluntatis, & operis possibilitatem dedit. Cur etiam in his exemplis hoc non recordatus est, ut saltem in eorum fine diceret: Quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat; quod verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, & nostrum est, & illius? Non hoc dixit: sed, nisi fallor, videor mihi videre quid timuit.

CAP. XVII.
Aperit me-
tus Pelagii
causam.

18. CUM enim vellet ostendere, quare nostrum sit: Quia hæc, inquit, omnia vertere etiam in malum possumus. Illud ergo timuit, ut non diceret, & nostrum est & Dei, ne sibi responderetur: Si quod bene agimus, loquimur, cogitamus, ideo est & nostrum, & Dei, quia ille nobis hoc posse donavit; ergo & quod malum agimus, loquimur, cogitamus, & nostrum est & Dei, quia illud posse ad utrumque donavit; atque ita, quod absit, quemadmodum cum Deo laudamur in operibus bonis, sic cum illo culpamur in malis. Possibilitas quippe illa, quam dedit, tam nos facit bona posse, quam mala.

CAPUT
XVIII.

19. DE qua possibilitate Pelagius in libro primo pro libero arbitrio ita loquitur: *Habemus autem*, inquit, *possibilitatem utrius-*
quo

que partis à Deo insitam, velut quamdam, ut ita dicam, radicem fructiferam atque fecundam, quæ ex voluntate hominis diversa gignat & pariat, & quæ possit ad proprii cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum. Ubi non intuens quid loquatur, unam eandemque radicem constituit bonorum & malorum, contra evangelicam veritatem, doctrinamque apostolicam. Nam & Dominus nec arborem bonam dicit posse facere fructus malos, nec malam bonos: & Apostolus Paulus cum dicit radicem malorum omnium esse cupiditatem, admonet utique intelligi radicem bonorum omnium caritatem. Unde si duæ arbores, bona & mala, duo sunt homines, bonus & malus, quid est bonus homo nisi voluntatis bonæ, hoc est, arbor radicis bonæ? Et quid est homo malus nisi voluntatis malæ, hoc est, arbor radicis malæ? Fructus autem harum radicum atque arborum, facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quæ bona de bona voluntate procedunt, & mala de mala.

20. FACIT autem homo arborem bonam, quando Dei accipit gratiam. Non enim se ex malo bonum per se ipsum facit; sed ex illo, & per illum, & in illo qui semper est bonus: nec tantum ut arbor sit bona, sed etiam ut faciat fructus bonos, eadem gratiâ necessarium est ut adjuvetur, sine qua boni aliquid facere non potest. Ipse quippe in bonis arboribus cooperatur fructum, qui & forinsecus rigat atque excolit per quemlibet ministrum, & per se dat intrinsicè incrementum. Malam verò arborem homo facit, quando se ipsum malum facit, quando à bono incommutabili deficit: ab eo quippe de-

Duæ radices, caritas, caritas, cupiditas.

Matth. 7.
18.

1. Tim. 6.
10.

Homo bonus, & homo malus quis.

CAP. XIX.
Arborem bonam vel malam quo sensu faciat homo.

1. Cor. 3. 7.

Origo malæ voluntatis unde a defectus est origo voluntatis malæ. Qui defectus non aliam naturam malam a initiat, sed eam quæ bona condita est vitiat. Sanato autem vitio nullum malum remanet; quia vitium naturæ quidem inerat, sed vitium natura non erat.

CAP. XX.
Radix bonorum caritas, malorum cupiditas.

21. ILLA ergo possibilitas, non ut iste opinatur, una eademque radix est bonorum & malorum. Aliud est enim caritas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum; tantumque inter se differunt, quantum virtus & vitium. Sed planè illa possibilitas utriusque radicis est capax; quia non solum potest homo habere caritatem, qua sit arbor bona, sed potest etiam cupiditatem, qua sit arbor mala. Sed cupiditas hominis, quæ vitium est, hominem habet auctorem, vel hominis deceptorem, non hominis creatorem. Ipsa est enim concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Quis autem nesciat, mundi nomine solere appellare Scripturam, à quibus habitatur hic mundus?

I. Joan. 2. 16.

Mundus in Scriptura dicti habitatores mundi.

CAP. XXI.

I. Joan. 4. 7.

I. Joan. 3. 9.

I. Cor. 13. 4. & 5.

22. CARITAS autem quæ virtus est, ex Deo nobis est, non ex nobis, Scripturà teste, quæ dicit: Caritas ex Deo est, & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognovit Deum, quia Deus caritas est. Secundum istam caritatem, melius intelligitur dictum: Qui natus est ex Deo, non peccat: et quia non potest peccare. Quia caritas secundum quam natus ex Deo est, non agit perperam, nec cogitat malum. Cum ergo peccat homo, non secundum caritatem, sed secundum cupiditatem peccat, secundum quam non est natus ex Deo: quo-

a Vaticanus cod. nuntiat,

quoniam illa possibilitas, ut dictum est, utriusque radicis est capax. Cum ergo dicat Scriptura: Caritas ex Deo est, vel quod est amplius: Deus caritas est: cum apertissime clamet Joannes Apostolus: Ecce qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur & simus; iste audiens, Deus caritas est, quare adhuc usque contendit, quod ex illis tribus tantummodo possibilitatem habeamus ex Deo, bonam verò voluntatem, bonamque actionem habeamus ex nobis? Quasi verò aliud sit bona voluntas quam caritas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, & à Patre datum, ut filii ejus essemus.

I. Joan. 3. 1.

Caritas bona voluntas.

23. SED fortè, ut daretur nobis, præcedentia merita nostra fecerunt: sicut iste de gratia Dei sentit in eo libro, * quem ad sacram virginem scripsit, * quem etiam commemorationem fecit in litteris, quas Romam misit. Ibi enim interposito Jacobi Apostoli testimonio, quo ait: *Subditi estote Deo, resistite autem diabolo, & fugiet à vobis; subjungit, & dixit: * Ostendit, quomodo resistere debeamus diabolo, si utique subditi simus Deo, ejusque faciendo voluntatem, divinam mereamur gratiam, * & facilius nequam spiritui, sancti Spiritus auxilio resistamus.* Ecce quam veraci corde damnavit in ecclesiastico judicio palæstino eos, qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari! An adhuc eum id sentire, & apertissime prædicare dubitamus? Quomodo ergo verax fuit in episcopali examine illa confessio? An fortè jam istum scripserat librum, ubi apertissime dicit gratiam secundum merita nostra dari, quod in orientali synodo sine ulla recusatione damnavit? Conhiteretur ergo sic se aliquan-

CAP. XXII.

* Epistola est ad Demetriadem, quæ existat in Appendice tom. 2. Jacob. 4. 7.

* Cap. 25.

* f. ut.

Lib. de ges-
ti, Pelagii,
c. 14.

quando tenuisse, sed jam non tenere, ut de correctione ejus apertissimè gauderemus. Nunc verò cum illi inter cetera & hoc fuisset ob-
jectum, respondit: *Hæc utrum Cælestii sint, ipsi viderint, qui dicunt ea Cælestii esse: ego verò numquam sic tenui, sed anathematizo qui sic tenent.* Quomodo numquam sic tenuit, si hunc antè condiderat librum? Aut quomodo anathematizat eos qui sic tenent, si hunc librum postea condidit?

I. Cor. 6.
17.

24. Sed ne fortè respondeat, ita se hinc dixisse: *Dei faciendo voluntatem, divinam mereamur gratiam*; sicut fidelibus & piè viventibus additur gratia, qua resistant fortiter tentatori, cum tamen gratiam etiam primitus accepissent, ut Dei facerent voluntatem: ne fortè ergo ita respondeat, alia de hac re verba ejus accipite. *Qui currit, inquit, ad Dominum, & ab eo se regi cupit, id est, voluntatem suam ex ejus voluntate suspendit; qui ei adherendo jugiter, unus, secundum Apostolum, cum eo fit spiritus, non hoc nisi de arbitrii efficit libertate.* Videte quantam rem dixerit non effici nisi arbitrii libertate; ac per hoc sine adjutorio Dei nos Deo existimat adherere: hoc est enim, *non nisi de arbitrii libertate*; ut cum adhæserimus, eo non adjuvante, tunc jam quoniam adhæsimus, etiam adjuvari mereamur. * SEQUITUR enim & dicit: *Qua qui bene utitur, id est, arbitrii libertate qui bene utitur, ita se, inquit, totum tradit Deo, omnemque suam mortificat voluntatem, ut cum Apostolo possit dicere: Vivo autem jam non ego, Prov. 21. vivit autem in me Christus: ponitque cor suum in manu Dei, ut illud quò voluerit a,*

a Apud Lov. hic additum est, *Deus.*

ipse declinet. Magnum profectò adjutorium divinæ gratiæ, ut cor nostrum quò voluerit Deus, ipse declinet. Sed hoc tam magnum adjutorium, sicut iste desipit, tunc meremur, cum sine ullo adjutorio non nisi de arbitrii libertate ad Dominum currimus, ab eo nos regi cupimus, voluntatem nostram ex ejus voluntate suspendimus, eique adhærendo jugiter, unus cum illo efficimur spiritus. Hæc scilicet tam ingentia bona, non nisi de arbitrii, secundum istum, efficimus libertate, ut his præcedentibus meritis sic ejus gratiam consequamur, ut cor nostrum quò voluerit ipse declinet. Quomodo est ergo gratia, si non gratis datur? Quomodo est gratia, si ex debito redditur? Quomodo verum dicit Apostolus: *Non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne fortè quis extollatur?* Et iterum: *Si autem gratia, inquit, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* Quomodo, inquam, hoc verum est, si opera tanta præcedunt, quæ nobis adipiscendæ gratiæ meritum faciant, quo nobis non donetur gratuito, sed reddatur ex debito? Ergone ut perveniat ad adjutorium Dei, ad Deum curritur sine adjutorio Dei; & ut Deo adherentes adjuvemur à Deo, à Deo non adjuti adhæremus Deo? Quid homini majus, quidve tale poterit gratia ipsa præstare, si jam sine illa unus cum Domino spiritus effici potuit, non nisi de arbitrii libertate?

25. SED vellem ut iste diceret, utrum rex ille a Assyrius cujus Esther sancta mulier exsecrabatur cubile, quando considerat in throno regni sui, & omni stola illustrationis suæ indu-

a In Colbertino MS. rex ille Assuerus.

Eph. 2. 8.

Rom. 11. 6.

* CAPUT
XXIII.

Gal. 2. 20.

Prov. 21.

a

CAPUT
XXIV.
Esther 5.
sec. LXX.

TOM. IV.

G

dù-

datus erat, totus auro variatus lapidibusque pretiosis, & erat formidolosus valde, & elevata facie sua inflammata in claritate intuitus est eam, tamquam taurus a in impetu indignationis suæ; & timuit regina & conversus est color ejus per dissolutionem, & inclinavit se super caput delicatæ suæ, quæ præcedebat eam: vellem ergo, diceret iste nobis, utrum rex ille ad Dominum jam cucurrerat, & ab eo se regi cupiverat, suamque voluntatem ex ejus voluntate suspenderat, & ei jugiter inhaerendo unus cum illo spiritus factus erat, non nisi de arbitrii libertate? Utrum se totum Deo tradiderat, omnemque suam mortificaverat voluntatem, & cor suum in manu Dei posuerat? Puto non desipere, sed insanire hominem, quisquis de illo rege, qualis tunc erat, hæc senserit: & tamen convertit Deus, & transtulit indignationem ejus in lenitatem. Quis autem non videat, multo majus esse, indignationem à contrario in lenitatem convertere atque transferre, quam cor neutra affectione præoccupatum, sed inter utramque medium, in aliquid declinare? Legant ergo & intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna & occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates.

Deus mirabili potestate operatur in cordibus bonas voluntates.

CAPUT XXV.

Pelagiana gratia possibilitatis exploditur.

26. DESINAT itaque jam Pelagius, & se ipsum & alios fallere, contra Dei gratiam disputando. Non propter illorum trium unum, id est, propter possibilitatem bonæ voluntatis atque operis, sed etiam propter voluntatem, &

^a Hic particula in restituitur ex MSS.

& operationem bonam erga nos gratia Dei prædicanda est. Nam illam possibilitatem ad utrumque valere definit: & tamen non ideo tribuenda sunt Deo etiam nostra peccata, sicut & propter eandem possibilitatem vult tribuere bona opera nostra. Non ideo tantum adjutorium divinæ gratiæ commendetur, quia possibilitatem adjuvat naturalem. Desinat dicere: *Quodd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat: quodd verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est.* Desinat, inquam, ista dicere. Non solum enim Deus posse nostrum donavit atque adjuvat, sed etiam velle & operari operatur in nobis. Non quia nos non volumus, aut nos non agimus; sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus. Quomodo enim dicitur: *Quodd possumus bene agere, Dei est; quodd autem agimus, nostrum est?* cum dicat Apostolus, orare se ad Deum pro eis, ad quos scribebat, ne quid mali faciant, & ut quod bonum est faciant. Non enim ait, Oramus ut possitis nihil mali facere; sed ne quid faciatis mali: nec ut possitis bonum facere; sed ut bonum faciatis. Quoniam de quibus scriptum est: Quot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei; profecto ut agant quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est. Quomodo dicit Pelagius: *Quodd bene loqui possumus, Dei est: quodd bene loquimur, nostrum est;* cum dicat Dominus, Spiritus Patris vestri est, qui loquitur in vobis? Neque enim ait: Non vos estis qui dedistis vobis bene posse loqui; sed ait: Non vos estis qui loquimini. Nec ait: Spiritus Patris vestri est qui vobis dat, vel dedit

Phil. 2. 13.

2. Cor. 13. 7.

Rom. 8. 14

Mat. 10. 20.

dit posse bene loqui; sed ait: Qui loquitur in vobis: non significans possibilitatis profectum, sed exprimens cooperationis effectum. Quomodo dicit liberi arbitrii elatus assertor: *Quòd possumus bene cogitare, Dei est; quòd autem bene cogitamus, nostrum est?* Cui respondet humilis gratiæ prædicator: Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobismetipsis; sed sufficientia nostra ex Deo est. Non enim ait, posse cogitare; sed, cogitare.

Liberi arbitrii elatus assertor Pelagius.
2. Cor. 3. 5.

CAPUT
XXVI.

Quæ vera gratiæ pelagianæ gratiæ opposita.

1. Cor. 8. 1.

Gratiæ propriè dictæ donum caritatis.

Merita non præcedunt gratiam.

1. Joan. 4. 10.

27. ISTAM Dei gratiam in divinis eloquiis manifestam etiam Pelagius manifestè fateatur, seque tandem contra sensisse non operiatur impudentissimo pudore, sed dolore saluberrimo aperiat; ut sancta Ecclesia non turberetur perveraci ejus obstinatione, sed veraci correctione letetur. a Cognitionem & dilectionem, sicut sunt discernenda discernat. Quia scientia inflat, caritas ædificat. Et tunc scientia non inflat, quando caritas ædificat. Et cum sit utrumque donum Dei, sed unum minus, alterum majus; non sic justitiam nostram super laudem justificatoris nostri extollat, ut horum duorum quod minus est, divino tribuat adjutorio, quod autem majus est, humano usurpet arbitrio. Et si consenserit, nos gratia Dei accipere caritatem; non sic sentiat, tamquam ulla merita bona nostra præcesserint. Nam quæ merita bona tunc habere poteramus, quando Deum non diligebamus? Ut enim acciperemus dilectionem qua diligeremus, dilecti sumus, cum eam nondum haberemus. Hoc Joannes Apostolus apertissimè dicit: Non quòd nos

a Editi, *Cogitationem & electionem*. Castigantur auctoritate MSS.

nos dilexerimus Deum, sed quia ipse a dilexit nos. Et alibi: Nos diligamus, inquit, quia ipse prior dilexit nos. Optimè omnino atque verissimè. Non enim haberemus unde illum diligeremus, nisi hoc ab illo, cum prior nos diligeret, sumeremus. Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus? Aut quomodo bonum non facimus, si diligamus? Et si enim Dei mandatum videretur aliquando b non à diligentibus, sed à timentibus fieri; tamen UBI NON EST DILECTIO, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur: quia omne quod non ex fide est, peccatum est; & fides per dilectionem operatur. Ac per hoc gratiam Dei, qua caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil beni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet. Non quomodo iste: qui cum dicit: *Propterea dari gratiam, ut quod à Deo præcipitur, facilius impleatur*; quid de illa sentiat satis ostendit, scilicet, quòd etiam sine illa, etsi minùs faciliè, fieri tamen quòd divinitus præcipitur potest.

28. IN libro quippe ad virginem sacram, quod & supra commemoravi, cum dicit: *Divinam mereamur gratiam, & facilius nequam spiritui, sancti Spiritus auxilio, resistamus*; significat profectò quid sapiat. Ut quid enim hoc verbum interposuit, id est, *facilius*? An verò non erat integer sensus: *Ut nequam spiritui, sancti Spiritus auxilio, resistamus*? Sed quantum detrimentum hoc ad-

a Hic in editis additur, *prior*: sed à MSS. & ab eo loco Joannis abest in græc.
b Sigiramnensis MS. à non diligentibus.

a
Ibidem 19.

Rom. 14.
23.

Gal. 5. 6.

Rom. 5. 5.

CAPUT
XXVII.
Epist. ad
Demetriad.
cap. 25.

ditamento fecerit, quis non intelligat? Volens utique credi, tantas esse naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam sine auxilio Spiritus sancti, etsi minùs facilè, tamen aliquo modo nequam spiritui resistatur.

CAPUT
XXVIII.

29. ITEM in primo libro pro libero arbitrio: *Cum autem tam forte, inquit, tam firmum ad non peccandum liberum in nobis habeamus arbitrium, quod generaliter naturæ humanæ Creator inseruit, rursus pro inestimabili ejus benignitate, quotidiano ipsius munimur auxilio.* Quid opus est hoc auxilio, si tam forte, tam firmum est ad non peccandum liberum arbitrium? Sed etiam hîc vult intelligi, ad hoc esse auxilium, ut facilius fiat per gratiam, quod etsi minùs facilè, tamen putat fieri præter gratiam.

CAPUT
XXIX.

30. ITEM in eodem libro alio loco: *Ut quod per liberum, inquit, homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Tolle facilius, & non solum plenus, verum etiam sanus est sensus, si ita dicatur: *Ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, possint implere per gratiam.* Cum autem facilius additur, adimpletio boni operis etiam sine Dei gratia posse fieri, tacita significatione suggeritur. Quem sensum redarguit qui dicit: Sine me nihil potestis facere.

Joan. 15. 5.

CAP. XXX.

31. EMENDET hæc omnia, ne si in rerum magnarum profunditate humana erravit infirmitas, etiam diabólica huic accedat errori, vel fallacia, vel animositas, sive negando quod sensit, sive defendendo, quod perperam sensit, cum id se non debuisse sentire commemorata perspicua veritate cognoverit. Istam quippe gratiam qua justificamur, id est, qua

ca-

caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, in Pelagii & Cælestii scriptis, quæcumque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri. Prorsus nusquam eos adverti, sicut agnoscendi sunt, agnoscere filios promissionis, de quibus dicit Apostolus: *Non ii qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semen.* Quod enim promittit Deus, non facimus nos per arbitrium seu naturam, sed facit ipse per gratiam.

32. Nam ut de Cælestii opusculis interim taceam, vel libellis ejus, quos iudiciis a ecclesiasticis allegavit, quæ vobis omnia, cum aliis quas necessarias existimavimus litteris, mittenda curavimus, quibus omnibus diligenter inspectis, possitis advertere, non eum ponere Dei gratiam, qua juvatur, vel ad declinandum à malo, vel ad faciendum bonum, præter naturale arbitrium voluntatis, nisi in lege atque doctrina; ita ut ipsas quoque orationes ad hoc asserat necessarias, ut ostendatur homini quid concupiscat & diligit: ut ergo hæc interim omitam, nempe ipse Pelagius & litteras nuper & libellum Romæ fidei suæ misit, scribens ad beatæ memoriæ papam Innocentium, quem defunctum esse nesciebat. In his ergo litteris dicit: *Esse de quibus eum homines infamare conantur: unum, quòd neget parvulis baptis- mi sacramentum, & absque redemptione Christi aliquibus cælorum regna promittat: aliud,*

quòd
G 4
a Libellum Romæ gestis ecclesiasticis à Cælestio allegatum dicit rursus infra cap. 33. & lib. de Peccato originali, cap. 2. & 5. &c. Gestæ illa Cælestio (ut in lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 3. testatur) præserte & respondente confecta sunt sub Zosimo anno Christi 417. Vide Zosimi litteras in 2. parte Appendicis.

Rom. 5. 5.

Rom. 9. 8.

Orationes
ad quid nec-
cessarias
putarint
pelagian.Litteræ
cum libello
fidei ad In-
nocentium
papam à
Pelagio
missæ.

quoddam ita dicat posse hominem vitare peccatum, ut Dei excludat auxilium, & in tantum libero confidat arbitrio, ut gratia repudiet adjutorium. Sed de baptismo parvulorum, quamvis eis dandum esse concedat, quam perversè contra fidem christianam, & catholicam sentiat veritatem, non hic locus est ut diligentius disseramus: nunc enim de adjutorio gratia quod institutum peragendum est. Unde ad id quod proposuit, quid etiam hinc respondeat videamus. Ut enim omittamus ejus invidiosas de suis inimicis querelas, ubi ad rem ventum est, ita locutus est.

33. *ECCĒ*, inquit, *apud beatitudinem tuam epistola ista me purget, in qua purè atque simpliciter ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino adjuvatur semper auxilio.* Cernitis itaque, pro intellectu quem vobis Dominus dedit, hæc ejus verba solvendæ non sufficere quæstioni. Quærimus enim adhuc, quo auxilio liberum adjuvari dicat arbitrium; ne fortè, sicut solet, velit intelligi legem atque doctrinam. Si enim quæras cur dixerit, *semper*; poterit respondere, quia dictum est: *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Deinde cum de hominis conditione, & ad peccandum atque non peccandum naturali ejus possibilitate quædam interposuisset, adjunxit, dicens: *Quam liberi arbitrii potestatem dicimus in omnibus esse generaliter, in christianis, judæis, atque gentilibus. In omnibus est liberum arbitrium æqualiter per naturam, sed in solis christianis juvatur à gratia.* Iterum quærimus, qua gratia? Et adhuc poterit responderè, lege atque doctrina christiana.

Dein-

34. Deinde quamlibet sentiat gratiam, ipsi christianis secundum merita dari dicit: cum eos qui hoc dicunt, jam in Palestina, sicut supra * commemoravi, sua illa præclara purgatione damnaverit. Nam verba ejus ista sunt: *In illis, inquit, nudum & inerme est conditio- nis bonum: in eis dicit, qui christiani non sunt.* Deinde cetera contexens: *In his verò, inquit, qui ad Christum pertinent, Christi munitur auxilio.* Videtis adhuc incertum esse, quo auxilio; secundum ea quæ supra diximus. Sed adhuc sequitur de his qui christiani non sunt, & dicit: *Illi ideo judicandi atque damnandi sunt, quia cum habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possent, & Dei gratiam promereri, malè utuntur libertate concessa. Hi verò remunerandi sunt, qui bene libero utentes arbitrio merentur Domini gratiam, & ejus mandata custodiunt.* Nempe manifestum est, eum dicere gratiam secundum merita dari, quamlibet eam, vel qualemlibet significet, quam tamen apertè non exprimit. Nam cum eos remunerandos dicit, qui bene utuntur libero arbitrio, & ideo mereri Domini gratiam, debitum eis reddi fatetur. Ubi est ergo illud Apostoli: *Justificati gratis per gratiam ipsius?* Ubi est & illud: *Gratia salvi facti estis?* Et ne putarent per opera, addidit, per fidem. Rursus ne ipsam fidem sine Dei gratia sibi putarent esse tribuendam: *Et hoc, inquit, non ex vobis, sed Dei donum est.* Nempe ergo illud unde incipit omne quod merito accipere dicimur, sine merito accipimus, id est, ipsam fidem. Aut si negatur dari; quid est quod dictum est: *Sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei?* Si autem sic dicitur dari, ut reddatur meritis, non do-

Gratiam secundum merita dari dicit.

* Cap. 22.

Rom. 3. 24.

Eph. 2. 8.

Ibidem.
Fides meriti initium, nullis meritis nostris redditur.
Rom. 12. 3.

Phil. I. 29. donetur; quid est quod iterum dicit: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo?* Utrumque enim donatum esse testatus est, & quod credit in Christum, & quod patitur quisque pro Christo. Isti autem libero arbitrio sic applicant fidem, ut fidei videlicet reddi videatur, non gratuita, sed debita gratia: ac per hoc jam nec gratia, quia nisi gratuita, non est gratia.

CAPUT
XXXII.

* Exhibemus hic in 2. part. Appendicis.

a

* V. infra lib. de Peccato orig. c. 21.

35. SED ab his litteris Pelagius ad fidei suæ librum vult transire lectorem, cujus a vobis commemorationem fecit: in quo ea de quibus non interrogabatur, multa disseruit. Sed nos de quibus agimus cum illis, ipsa videamus. Cum enim ab unitate Trinitatis usque ad resurrectionem carnis, quod ab illo nemo quærebat, disputationem quantam voluit terminasset: ** Et baptisma, inquit, unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, dicimus esse celebrandum.* Hoc certè vos, & à præsentem audisse dixistis: sed quid prodest, quod eisdem verbis in parvulis, quibus & in majoribus, celebrari dicit baptismi sacramentum, cum res à nobis, non sola verba quærantur? Plus est quod vobis ore proprio interrogantibus respondit, uti scribitis: *Infantes in remissionem peccatorum percipere baptismum.* Non enim & hic dixit, in verbis remissionis peccatorum; sed eos baptizari in ipsam remissionem confessus est: & tamen si ab eo quæreretis, quid peccati eis credatur remitti, non eos aliquid habere contenderet.

* f. credat.

CAPUT
XXXIII.

36. QUIS crederet, sub hac quasi manifeste-

a Am. Et. & MSS. nobis.

festâ confessione sensum latere contrarium, nisi eum Cælestius aperuisset? Qui in libello suo, * quem Romæ gestis ecclesiasticis allegavit, *parvulos & baptizari in remissionem peccatorum confessus est, & negavit ullum habere originale peccatum.* Sed nunc non de baptisate parvulorum, sed de adiutorio gratiæ potiùs, etiam in libello fidei suæ, quem Romam misit, quid Pelagius senserit attendamus. *Liberum, inquit, sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos indigere Dei semper auxilio.* Ecce iterum quærimus, quo auxilio nos indigere fateatur: & iterum invenimus ambiguum, quoniam potest respondere, legem se dicere doctrinamve christianam, qua naturalis illa possibilitas adjuvetur. Nos autem illam gratiam in eorum confessione requirimus, de qua dicit Apostolus: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & caritatis, & continentiae.* Non est autem consequens, ut qui habet donum scientiæ, quod noverit quid agere debeat, habeat etiam caritatis, ut agat.

37. ILLOS etiam, quos in eisdem litteris, quas misit ad sanctæ memoriæ papam Innocentium, libros suos vel scripta commemorat, legi, præter unam epistolam, quam se brevem misisse ad sanctum Constantium episcopum dicit: nec alicubi potui reperire, hanc eum gratiam confiteri, qua non solum possibilitas naturalis voluntatis & actionis, quam dicit nos habere etiamsi nec volumus nec agimus bonum, sed ipsa etiam voluntas, & actio subministratione sancti Spiritus adjuvatur.

38. *Legant, inquit, illam epistolam, quam ad sanctum virum Paulinum episcopum ante duodecim ferè annos scripsimus, quæ trecentis*

* V. supra cap. 30. n. 32.

2. Tim. 1. 7.

CAPUT
XXXIV.

CAPUT
XXXV.
Pelagii
epistola ad
Paulinum.

tis fortè versibus nihil aliud quàm Dei gratiam & auxilium confitetur, nosque nihil omnino boni facere posse sine Deo. Hanc ergo epistolam legi, & inveni eum penè per totam non immorari, nisi in facultate & possibilitate naturæ, & penè ibi tantum Dei gratiam constituere: christianam verò gratiam tanta brevitate sola nominis commemoratione perstringit, ut nihil aliud videatur, quàm eam tacere timuisse. Utrum tamen eam in remissione peccatorum velit intelligi, an etiam in doctrina Christi, ubi est & conversationis ejus exemplum, quod aliquot suorum opusculorum locis facit; an credat aliquod adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ caritatis, non apparet omnino.

Gratiæ
Christi de-
finitio.

CAPUT
XXXVI.

Pelagii
epistola ad
Constantium epis-
copum.

* Cap. 34.

CAPUT
XXXVII.

Pelagii
epistola ad
Demetriadem virgi-
nem, in Ap-
pend. tom.
2.

39. *Legant etiam, inquit, ad sanctum Constantium episcopum, ubi breviter quidem, sed planè libero hominis arbitrio Dei gratiam auxiliumque conjunxi.* Hanc epistolam, ut * superius dixi, non legi: sed si non est dissimilis ceteris, quæ mihi nota commemorat, non habet etiam ipsa quod quærimus.

40. *Legant etiam, inquit, quam ad sacram Christi virginem Demetriadem in oriente conscripsimus, & invenient nos ita hominis laudare naturam, ut Dei semper gratiæ addamus auxilium.* Istam sane legi, mihiq; pene persuaserat, hanc illum gratiam, de qua quæstio est, confiteri: quamvis in multis ejus opusculi locis sibi ipse contradicere videretur: sed cum in manus meas & alia venissent, quæ posterius latiusque conscripsit; vidi quemadmodum potuerit etiam illic gratiam nominare, sub ambigua generalitate quid sentiret abscondens, gratiæ tamen vocabulo fran-

gens

gens invidiam, offensionemque declinans. Nam in ipsius principio, ubi ait: *Proposito insudemus operi, nec mediocritati diffidamus ingenii, quod credimus fide matris, & merito virginis adjuvari*; gratiam quæ adjuvatur ad aliquid agendum, mihi visus fuerat confiteri, nec adtenderam hanc eum ponere potuisse in sola revelatione doctrinæ.

41. Item in eodem opere alio loco: *Quòd si etiam sine Deo, inquit, homines ostendunt, quales à Deo facti sunt; vide quid christiani facere possint, quorum in melius per Christum instaurata natura est, & qui divina quoque gratiæ juvantur auxilio.* Naturam in melius instauratam, remissionem vult intelligi peccatorum: quod alio loco in hoc ipso libro satis demonstravit, ubi ait: *Etiam illi qui longo peccandi usu quodam modo obduruere, instaurari per penitentiam possunt.* Auxilium verò divinæ gratiæ potest & hic ponere in revelatione doctrinæ.

42. ITEM alibi in eadem epistola: *Nam si etiam ante legem, inquit, ut diximus, ac multò ante Domini nostri & Salvatoris adventum, justè quidam & sanctè vixisse referuntur; quantò magis post illustrationem adventus ejus nos id posse credendum est, qui instaurati per Christi gratiam, & in meliorem hominem renati sumus, qui sanguine ejus expiati atque mundati, ipsiusque exemplo ad perfectionem incitati justitiæ, meliores illis esse debemus, qui antem legem fuerunt.* Videte quemadmodum & hic aliis quidem verbis, sed tamen in remissione peccatorum, & in exemplo Christi adjutorium gratiæ constituerit. Deinde subjungit, & dicit: *Meliores etiam quàm fuerunt sub lege, dicente Apos-*

Cap. 1.
Gratiæ ad-
jutorium à
Pelagio pos-
situm in so-
la revela-
tione doc-
trinæ.

Cap. 3.

Cap. 17.

CAPUT
XXXVIII
Cap. 8.

Gratiæ à
Pelagio pos-
ita in rem-
issione
peccatorum
& in exem-
plo Christi.
Rom. 5. t. 4.

10-

tolo: Peccatum vobis non dominabitur; non enim sub lege estis, sed sub gratia. Et quoniam hinc, inquit, sufficienter, ut puto, diximus, nunc perfectam instituamus virginem, quæ ex utroque semper accensa, & naturæ simul & gratiæ bonum, morum sanctitate testetur. Et in his verbis debetis advertere, ideo illum quod dicebat, sic voluisse concludere, ut naturæ bonum intelligamus, quod cum crearemur accepimus; gratiæ autem, cum Christi intuemur exemplum: tamquam ideo peccatum non indultum fuerit eis qui sub lege fuerunt vel sunt, quia exemplum Christi sive non habuerunt, sive non credunt.

CAPUT
XXXIX.

Rom. 7. 15.
& 23.

* V. lib. 1.
Cont. duas
epist. p.
lag. c. 8.
lib. 2. Cont.
Julian. c.
3. 4. 5. 8.
& lib. de
Prædesti-
natione S. S.
c. 4.

43. HOC autem istum sapere, & alia ejus verba ostendunt, non in hoc libro, sed in tertio pro libero arbitrio, ubi ad eum loquens contra quem disputat, quoniam ille posuerat verba Apostoli dicentis: *Non quod volo ago: & Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & cetera quæ ibi dicuntur; iste respondit, atque ait: Hoc enim quod tu de Apostolo intelligere cupis, omnes ecclesiastici viri * in peccatoris & sub lege adhuc positi asserunt eum dixisse persona, qui nimia vitiorum consuetudine velut quadam teneretur necessitate peccandi, & quamvis bonum appeteret voluntate, usu tamen præcipitaretur in malum. In persona autem, inquit, hominis unius, designat populum sub vetere adhuc lege peccantem; quem ab hoc consuetudinis malo dicit liberandum esse per Christum, qui credentibus sibi primò omnia per baptismum peccata dimittit; deinde imitatione sui ad perfectam incitat sanctitatem, & vitiorum consuetudinem virtutum vincit exemplo. Ecce quomo-*

modo vult intelligi adjuvari eos, qui sub lege peccant, ut per gratiam Christi justificati liberentur, tamquam eis non sufficiat sola lex, propter nimiam peccandi consuetudinem, nisi Christi accedat, non inspiratio caritatis per Spiritum sanctum, sed intuendum & imitandum in doctrina evangelica virtutis ejus exemplum. Et certè maxima hinc erat causa exprimendi, quam diceret gratiam, ubi locum ipsum de quo respondet, sic conclusit Apostolus, ut diceret: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Hanc iste cum constituat, non in virtutis ejus auxilio, sed imitationis exemplo, quid amplius de illo sperare debemus, ubicumque gratiæ nomen sub ambigua generalitate commemorat?

Rom. 7. 24.

44. ITEM in eodem libro ad virginem sacram, unde jam etiam supra disseruimus, ubi ait: *Subditi simus Deo, ejusque faciendo voluntatem, divinam mereamur gratiam, & facilius nequam spiritui, sancti Spiritus auxilio, resistamus.* In quibus ejus verbis certè manifestum est, ita eum velle nos adjuvari gratia Spiritus sancti, non quia sine illo etiam per solam naturæ possibilitatem non possumus resistere tentatori, sed ut facilius resistamus. Quod tamen quaecumque & quantulumcumque adjutorium, eum credibile est in hoc constituere, quòd nobis additur scientia revelante Spiritu per doctrinam, quam vel non possumus, vel difficile habere possumus per naturam. Ista sunt quæ in libro, quem scripsit ad virginem Christi, advertere potui, ubi videtur gratiam confiteri: quæ profectò qualia sint, utique cernitis.

CAPUT XL.
Epist. ad
Demetriad.
c. 25.

45. *Legant, inquit, etiam recens meum opus-*

CAP. XLI

opus-

Pelagii
libri qua-
tuor pro li-
bero arbi-
trio.

opusculum, quod pro libero nuper arbitrio edere compulsi sumus; & agnoscent quam iniquè nos negatione gratiæ infamare gesserint, qui per totum penè ipsius textum operis perfectè atque integrè & liberum arbitrium confitemur, & gratiam. Quatuor sunt libri operis hujus, & hos legi, & ex illis sumsi quæ tractanda & discutienda proposui, & ut potui pertractavi, ante quàm ad ejus has litteras, quæ Romam missæ sunt, veniremus. Sed in his etiam quatuor libris quæcumque pro gratia videtur dicere, qua juvamus ut declinemus à malo, bonumque faciamus, ita dicit, ut nullo modo à verborum ambiguitate discedat, quam discipulis sic possit exponere, ut nullum auxilium gratiæ credant, qua naturæ possibilitas adjuvetur, nisi in lege atque doctrina: ita ut ipsas quoque orationes, ut in scriptis suis apertissimè affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione & actione perficiat. Ab illo enim suo manifestissimo dogmate non recedit omnino, ubi tria illa constituit, possibilitatem, voluntatem, actionem: & solam possibilitatem dicit divino adjuvari semper auxilio; voluntatem autem & actionem nullo Dei adjutorio existimat indigere. Ipsum verò auxilium, quo possibilitatem naturalem perhibet adjuvari, in lege constituit atque doctrina, quam nobis fatetur etiam sancto Spiritu revelari, propter quod & orandum esse concedit. Sed hoc adjutorium legis atque doctrinæ etiam prophetis fuisse temporibus: adjutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratu exemplo: quod

Orationes
ad quid pu-
tarit Pela-
gus adhi-
beandas.

Revelatio
doctrinæ
per Spiritum
sanctum
agnoscitur à
Pelagio.

Gratia propriè dicta
quenam
Pelagio.

quod nihilo minùs ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis evangelica prædicatur: ut videlicet tamquam via demonstrata, qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via: quàmvis & ipsam viam contendat etiam sola inveniri posse natura; sed faciliùs, si adjuvet gratia.

46. HÆC ergo pro meo captu intelligere potui in Pelagii scriptis, quando nominat gratiam. Videtis autem, quòd qui ista sentiunt, ignorantes Dei justitiam, suam volunt constituere, & longè ab illa sunt, quæ nobis ex Deo est, non ex nobis, quam in scripturis a maximè sanctis canonicis advertere, atque agnoscere debuerunt. Sed quia eas secundum suum sensum legunt, profectò in illis nec aperta b contuentur. Utinam ergo saltem in catholicorum virorum scriptis, à quibus eas rectè intellectas esse non dubitant, quid sit de adjutorio divinæ gratiæ sentiendum, non negligenter adtenderent, nec suæ sententiæ amore nimio præterirent. Nam iste ipse Pelagius in illo ipso recenti opusculo suo, cujus se commemoratione defendit, id est, in tertio libro pro libero arbitrio, sanctum Ambrosium quem admodum laudet, accipite.

47. Beatus, inquit, Ambrosius episcopus, in cujus præcipuè libris romana elucet fides, qui scriptorum inter latinos flos quidam speciosus enituit, cujus fidem & purissimum in Scripturis sensum, ne inimicus quidem ausus est reprehendere. Ecce qualibus & quantis prædicat laudibus, quamlibet

TOM. IV.

a Ita MSS. At editi hoc verborum ordine, in scripturis sanctis maximè canonicis.

b Editi, aperte. Castigantur ex MSS.

CAP. XLII.

Rom. 10. 3.

Phil. 3. 9.

CAPUT
XLIII.
Ambrosius
magnopere
laudatus à
Pelagio.

sanctum & doctum virum, nequaquam tamen auctoritati Scripturæ canonicæ comparandum. Quem propterea sic iste commendat, quia videtur sibi in quodam loco librorum ejus eo teste uti, quo probet hominem posse esse sine peccato: unde nunc non agitur, sed agitur de auxilio gratiæ quo ad non peccandum adjuvatur, justèque vivendum.

CAPUT XLIV.

Ambrosius Pelagio opponitur.

* n. 84. ad Luc. 3. 22.

1. Cor. 10. 31.

* n. 25. ad Luc. 7. 41.

48. AUDIAT ergo illum venerabilem antistitem dicentem & docentem in secundo libro Expositionis Evangelii secundum Lucam *, cooperari Dominum etiam voluntatibus nostris. *Vides itaque*, inquit, *quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis; ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino. Et ideo juxta Apostolum, Sive manducatis, sive bibitis, omnia in Dei gloriam facite. Videtis quemadmodum sanctus Ambrosius etiam illud quod solent homines dicere: Nos incipimus, & Deus perficit; his verbis abstulit, dicens: Neminem quidquam vel incipere sine Deo. Item in sexto libro ejusdem operis *, cum de duobus illis fæneratoris unius debitoribus ageret: Secundum homines, inquit, plus fortasse offendit, qui plus debuerat: sed per misericordiam Domini causa mutatur, ut amplius diligat, qui amplius debuit, si tamen gratiam consequatur. Ecce apertissimè prædicat catholicus doctor etiam ipsam dilectionem, qua quisque amplius diligit, ad beneficium gratiæ pertinere.*

CAPUT XLV.

a

49. IPSAM denique pœnitentiam, quam procul dubiò voluntas agit, Domini misericordia & adjutorio fieri ut agatur, in a nono ejusdem
a Hic editi juxta vulgatam Ambrosiani hujus operis in decem libros distributionem, in decimo. At omnes MSS. in nono.

dem operis libro * beatus dicit Ambrosius, ita * Lib. 10. n. 89. ad Luc. 22. 61.
loquens: *Bonæ lacrymæ, quæ culpam lavant. Denique quos Jesus respicit, plorant.* Negavit primò Petrus, & non fleuit, quia non respexerat Dominus: negavit secundò, non fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus: negavit & tertio, respexit Jesus, & ille amarissimè fleuit. Legant isti Evangelium, & videant Dominum Jesum tunc intus fuisse, cum à sacerdotum principibus audiretur: Apostolum verò Petrum foris & deorsum in atrio cum servis ad focum nunc sedentem, nunc stantem, sicut veracissima & concordissima Evangelistarum narratione monstratur. Unde non potest dici, quòd corporalibus oculis eum Dominus visibiliter admonendo respexerit. Et ideo quod ibi scriptum est: *Respexit eum Dominus, intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est.* Misericordia Domini latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratia sua visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movit, & produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adjuvando adest voluntatibus & actionibus nostris: ecce quemadmodum & velle & operari operatur in nobis.

50. Item in eodem libro * idem sanctus * Lib. 10. n. 91. ad Luc. 22. Matt. 26. 33.
Ambrosius: *Nam si Petrus, inquit, lapsus est, qui dixit: Et si alii scandalizati fuerint, ego non scandalizabor: quis alius jure de se præsumat? Denique David quia dixerat: Ego dixi in mea abundantia, non movebor in æternum; suam sibi jactantiam obfuisse profitetur, dicens: Avertisti faciem tuam*
H 2 tuam

a In editis, plorant delictum. Hanc vocem nec MSS. addunt, nec Ambrosius.

Quibus oculis Petrum Christus respexit. Luc. 22. 61.

Psal. 29. 7. Ibid. 8.

tuam, & factus sum conturbatus. Audiat iste tantum virum docentem, imitetur credentem, cujus doctrinam fidemque laudavit. Audiat humiliter, imitetur fideliter: non de se pertinaciter præsumat, ne pereat. Quid in eo pelago vult mergi Pelagius, unde per petram liberatus est Petrus?

CAPUT

XLVI.

• Apud Ambrosium lib. 7. n. 27. ad Luc. 9. 53.

Exodi 33. 19.

Rom. 9. 16.

a

Pelagii verba su- præcap. 22. 1. Cor. 6. 17.

51. AUDIAT eundem antistitem Dei in sexto * itidem libro ejusdem operis dicentem: *Cur autem non receperint eum, Evangelista ipse memoravit, dicens: Quia facies ejus erat euntis in Jerusalem. Discipuli autem recipi intra Samariam gestiebant. Sed Deus quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit. O sensum hominis Dei, ex ipso haustum fonte gratiæ Dei! Deus, inquit, quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit. Videte si non illud est propheticum: Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero. Et illud apostolicum: Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Quia ut dicit etiam nostrorum temporum homo a ejus: Quem dignatur vocat, & quem vult religiosum facit. Numquid aliquis dicere audebit, nondum esse religiosum, qui currit ad Dominum, & ab eo se regi cupit, & voluntatem suam ex ejus voluntate suspendit, & qui ei adherendo jugiter, unus, secundum Apostolum, cum eo fit spiritus? At hoc totum tam magnum religiosi hominis opus, Pelagius non dicit effici nisi arbitrii libertate. Contra autem beatus Ambrosius ipsius tam excellenter ore laudatus: Dominus Deus, inquit, quem dignatur vocat, & quem vult religiosum facit. Ergo ut cur-*

a Casalensis cod. homo Dei.

currat ad Dominum, & ab eo se regi cupiat, suamque voluntatem ex ejus voluntate suspendat, eique adhærendo jugiter unus, secundum Apostolum, cum eo fiat spiritus, Deus quem vult religiosum facit: & hoc totum homo nisi religiosus non facit. Quapropter nisi à Deo fiat, ut hoc faciat, quis hoc facit?

52. SED quia ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri: potest Pelagius ita se latebris obscuritatis hujus involvere, ut etiam iis quæ à sancto Ambrosio conscripta posuimus, consentire se dicat; & ea se quocumque sentire proclamet, semperque sensisse; atque ita singula conetur exponere, ut etiam ejus sententiæ convenire credantur. Quapropter quantum adinet ad istam de divina gratia & adjutorio quæstionem, tria illa quæ apertissimè distinxit adtendere, posse, velle, esse, id est, possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo consenserit nobis, non solam possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem & actionem, id est, ut bene velimus & bene agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult & bene agit: si, ut dixi, consenserit, etiam ipsam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua non nostra justitia justos facit, ut ea sit vera nostra justitia, quæ nobis ab illo est; nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos

CAPUT

XLVII.

Liberi arbitrii & gratiæ Dei conciliandæ difficultas. V. lib. 4. contra Julianum c. 8.

Quid à Pelagio exigatur in quæstione de gratia.

Rom. 7. 25.

controversiæ relinquatur.

CAPUT
XLVI. I.
Sine peccato quomodo quidam in hac vita dici possint. *V. lib. 2. de peccatorum merito. c. 13.*

Luc. 1. 6.

Philipp. 3. 6.

Ibid. 8.

Matt. 5. 6.

Rom. 1. 17.

CAPUT
XLIX.
2

§ 3. ILLUD autem propter quod sic laudavit sanctum Ambrosium, quia scilicet in scriptis ejus invenit ex laudibus Zachariæ & Elizabet, posse hominem in hac vita esse sine peccato; quamquam negandum non sit, si hoc velit Deus, apud quem sunt omniaabilia; consideret tamen diligentius, quemadmodum dictum sit. Dictum enim est, quantum mihi videtur, secundum quamdam inter homines conversationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum justè posset in accusationis & criminationis querelam vocare. Quam propterea in Dei conspectu Zacharias & ejus uxor habuisse referuntur, quia in ea homines nulla dissimulatione fallebant, sed ut apparebant hominibus, ita noti erant oculis Dei. Non autem dictum est hoc secundum illam perfectionem justitiæ, in qua verè atque omni modo immaculati perfectique vivemus. Nam & Apostolus Paulus dixit, secundum justitiam quæ ex lege est, se fuisse sine querela; in qua lege etiam Zacharias sine querela conversabatur: sed hanc Apostolus justitiam in stercorebus & detrimentis deputavit, in comparatione justitiæ quam speramus, & quam nunc esurire ac sitire debemus, ut ea quandoque saturemur in specie, quæ nunc est in fide, quamdiu justus ex fide vivit.

§ 4. AUDIAT denique ipsum venerabilem antistitem, cum exponeret ^a Isaiam Prophetam, di-

^a Non exstat hoc opus Ambrosii, quod rursum citat Augustinus in lib. de Peccato originali, c. 41. lib. 1. de Nuptiis & concup. c. 35. lib. 1. contra Julianum, c. 4. & lib. 2. c. 8. ac lib. 4. contra duas epistolas Pelag. c. 11. Meminit ejusdem operis Ambrosius ipse lib. 2. in Lucam n. 56. ad cap. 2. 19.

Sicentem: *Neminem in hoc mundo esse posse sine peccato.* Ubi nemo potest dicere, *in hoc mundo eum dixisse velut in dilectione hujus mundi.* De Apostolo etenim loquebatur, qui dixit: *Conversatio nostra in cælis est.* Hunc ergo sensum memoratus episcopus explicans: *Perfectos, inquit, secum multos ait Apostolus in hoc adhuc mundo sitos, qui si ad perfectionem veram respicias, perfecti esse non poterant.* Quia ipse dixit: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Ita & immaculati sunt in hoc mundo, & immaculati erunt in regno Dei: cum utique, si minutiùs excutias, immaculatus esse nemo possit, quia nemo sine peccato.* Illud ergo sancti Ambrosii testimonium, quo pro sua sententia Pelagius utitur, aut secundum quemdam modum dictum est, probabilem quidem, sed non minutiùs excussum: aut certè si ille vir sanctus atque humilis Zachariam & Elizabet summæ atque omni modo perfectæ justitiæ, cui nihil addi jam posset, fuisse existimavit, profectò sententiam suam minutiùs excutiendo correxit.

§ 5. ADTENDAT sanè iste in eodem ipso loco, unde hoc ambrosianum testimonium, quod ei placebat, assumpsit, etiam illud eum dixisse, quòd *ab initio esse * immaculatum, humanæ impossibile sit naturæ;* ubi omnino illam naturalem possibilitatem, quam Pelagius non vult fideliter respicere peccato esse vitiatam, & ideo jactanter extollit, enervem infirmamque testatur venerandus Ambrosius: proculdubio contra istius voluntatem, sed non contra apostolicam veritatem, ubi legitur: *Fui-*

Ambrosius
in Isaiam.

Philipp. 3.
20.

1. Cor. 13.
12.

CAPUT L.
V. lib. de
Natura &
grat. c. 63.
* f. immaculatum.

Eph. 2. 3.

mus & nos aliquando natura filii iræ, sicut & ceteri. Ipsa est enim per peccatum primi hominis, quod ex libero ejus venit arbitrio, vitiata & damnata natura; cui sola per Mediatorem Dei & hominum, & omnipotentem medicum divina subvenit gratia. De cujus adjutorio ad justificationem nostram, quo Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, quos prior dilexit, donans eis ut diligeretur ab eis, quia jam diu est ut disserimus; deinceps incipiamus, quantum Dominus adjuverit, etiam de peccato, quod per unum hominem cum morte intravit in mundum, atque ita in omnes homines pertransiit, adversus istos, qui in errorem huic contrarium veritati apertius eruperunt, quæ satis esse videbuntur, exprimere.

Rom. 8. 28.
I. Joan. 4.
19.

Rom. 5. 12.



S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
CONTRA PELAGIUM
ET CÆLESTIUM,
LIBER SECUNDUS.
DE PECCATO ORIGINALI.

Ostendit Augustinus, Pelagium in questione de originali peccato, ac de parvulorum baptismo, nihil re ipsa dissentire à discipulo ipsius Cælestio, qui peccatum originale confiteri nolens, vel etiam apertè negare ausus, Carthagine prius, ac postea Romæ, episcopalibus judiciis damnatus est. Questionem enim istam non earum esse, ut heretici iidem volebant, in quibus præter fidei periculum errare contingit: imò hunc eorum errorem ipsa omnino fidei christianæ petere fundamenta. Refellit eos postea, qui originalis vitii dogmate nuptiarum bonitati detrahi, Deoque ipsi, hominis qui per nuptias generatur conditori injuriam fieri contendebant.

I. IAM nunc diligenter advertite, de baptismo parvulorum quàm cautè debeatis audire homines ejusmodi, qui neque apertè illi ætati lavacrum regenerationis, & peccatorum remissionis audent negare, ne hoc christianæ

CAPUT I.

au-

mus & nos aliquando natura filii iræ, sicut & ceteri. Ipsa est enim per peccatum primi hominis, quod ex libero ejus venit arbitrio, vitiata & damnata natura; cui sola per Mediatorem Dei & hominum, & omnipotentem medicum divina subvenit gratia. De cujus adjutorio ad justificationem nostram, quo Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, quos prior dilexit, donans eis ut diligeretur ab eis, quia jam diu est ut disserimus; deinceps incipiamus, quantum Dominus adjuverit, etiam de peccato, quod per unum hominem cum morte intravit in mundum, atque ita in omnes homines pertransiit, adversus istos, qui in errorem huic contrarium veritati apertius eruperunt, quæ satis esse videbuntur, exprimere.

Rom. 8. 28.
I. Joan. 4.
19.

Rom. 5. 12.



S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
CONTRA PELAGIUM
ET CÆLESTIUM,
LIBER SECUNDUS.
DE PECCATO ORIGINALI.

Ostendit Augustinus, Pelagium in questione de originali peccato, ac de parvulorum baptismo, nihil re ipsa dissentire à discipulo ipsius Cælestio, qui peccatum originale confiteri nolens, vel etiam apertè negare ausus, Carthagine prius, ac postea Romæ, episcopalibus judiciis damnatus est. Questionem enim istam non earum esse, ut heretici iidem volebant, in quibus præter fidei periculum errare contingit: imò hunc eorum errorem ipsa omnino fidei christianæ petere fundamenta. Refellit eos postea, qui originalis vitii dogmate nuptiarum bonitati detrahi, Deoque ipsi, hominis qui per nuptias generatur conditori injuriam fieri contendebant.

I. IAM nunc diligenter advertite, de baptismo parvulorum quàm cautè debeatis audire homines ejusmodi, qui neque apertè illi ætati lavacrum regenerationis, & peccatorum remissionis audent negare, ne hoc christianæ

CAPUT I.

au-

aures ferre non possint; & tamen opinionem suam, qua putant peccato primi hominis carnalem generationem obnoxiam non teneri, tueri & defensare persistent, quamvis eis baptismum videantur in peccatorum remissionem concedere. Nempe ipsi à Pelagio vos præsente scripsistis audisse, recitante vobis de libello suo, quem etiam Romam se misisse asserbat, quod *iisdem sacramenti verbis dicant debere baptizari infantes, quibus & majores*. Quis post illa verba putaret, eis de hac re ullam movendam esse quæstionem? Aut cum faceret, cui non calumniosissimus videretur, si non eorum manifesta verba legerentur, ubi negant parvulos trahere originale peccatum, omnesque sine ullo vitio natos esse contendunt?

CAPUT II.
Cælestius
in iudicio
carthag.
errorem
damnare
recusat.

2. ET Cælestius quidem in hoc existit errore liberior, usque adeo, ut neque in episcopali iudicio apud Carthaginem damnare voluerit eos, qui dicunt: *Quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum; & quòd infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem*. Et in urbe Roma in libello suo, quem beatissimo papæ Zosimo dedit, id asseveravit expressius: *Quòd parvulorum neminem obstringat originale peccatum*. De gestis enim ecclesiasticis carthaginensibus hæc ejus verba descripsimus.

Libellus
Zosimo da-
tus à Cæles-
tio.

CAP. III.
Pars actio-
rum car-
thaginensis
iudicii con-
tra Cæles-
tium.

3. AURELIUS episcopus dixit: *Sequentia recitentur. Et recitatum est: quòd peccatum Adæ ipsi soli obfuerit, & non generi humano. Et cum recitatum esset, Cælestius dixit: Dixi de traduce peccati dubium me esse, ita tamen ut cui donavit Deus gratiam peritiam consentiam; quia*

quia diversa ab eis audiui, qui utique in Ecclesia catholica constituti sunt presbyteri. Paulinus diaconus dixit: *Dic nobis nomina ipsorum*. Cælestius dixit: *Sanctus presbyter b Rufinus Romæ qui mansit cum sancto Pammachio: ego audiui illum dicentem, quia tradux peccati non sit*. Paulinus diaconus dixit: *Est aliquis alius? Cælestius dixit: Audiui & plures dicere*. Paulinus diaconus dixit: *Dic nomina ipsorum*. Cælestius dixit: *Non tibi sufficit unus sacerdos? Et post aliqua alio loco. Aurelius episcopus dixit: Reliqua libelli legantur. Et recitatum est, quòd infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo fuit Adam ante transgressionem: usque in finem libelli minoris superius inserti. * Aurelius episcopus dixit: Docuisti, Cælesti, aliquando, ut dixit diaconus Paulinus, quòd infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo fuit Adam ante trans-*

* CAP IV.

a Paulinus ille, teste Mercatore in Commonitorio super nomine Cælestii, diaconus Ambrosii mediolanensis episcopi fuit, & vitæ illius, hortante Augustino, scriptor, qui se versatum esse in Africa testatur, & vitam scripsisse Joanne præfecto prætorio, id est, anno 412. aut 413. aut 422. Iudicium porro de quo agitur, Carthagine habitum fuit sub initium anni 412. ex epistola ad Innocentium, inter Augustinianas 175. n. 1. & 6. Confer lib. de Gestis Pelagii, cap. 11. n. 23.

b Mercator in Commonitorio adversus hæresim Pelagii scribit, Rufinum quemdam natione Syrum sub Anastasio pontificatu Romam primum invexisse quæstionem contra traducem peccati. Is est, aliis quidem Rufinus aquilegensis, qui Pelagio, quòd ad errorem de ἀναμαρτία, prævisse notatur ab Hieronymo in epist. ad Ctesiphontem: aliis verò Rufinus alter, ex 66. Hieronymi epistola notus, idem ille fortè qui peccati traducem rejicit in eo libro de fide, quem Jacobus Sirmundus nomine Rufini palestinae provincie presbyteri publicavit. Certè Aquilegensis vix, ac ne vix quidem credi possit, aut Romam ivisse pontifice Anastasio, aut ibi cum Pammachio mansisse.

gressionem? Cælestius dixit: Exponat quid dixit, ante transgressionem. Paulinus diaconus dixit: Tu nega hoc te docuisse. Unum est à duobus, aut neget se docuisse, aut jam damnet istud. Cælestius dixit: Jam dixi, exponat quomodo dixit, ante transgressionem. Paulinus diaconus dixit: Nega te illa docuisse. Aurelius episcopus dixit: Rogo, quid collegerim ego ex a hujus objectione, dico, Adam constitutus in paradiso, quod ante dicatur inexterminabilis factus, postea per transgressionem præcepti factus sit corruptibilis. Hoc dicis, frater Pauline? Paulinus diaconus dixit: Hoc, Domine. Aurelius episcopus dixit: Status certè infantum hodie baptizandorum, utrum talis sit, qualis fuit ante transgressionem Adæ, an certè de eadem origine peccati, de qua nascitur, transgressionis culpam trahat; hoc vult diaconus Paulinus audire. Paulinus diaconus dixit: Utrum docuit hoc, an non neget. Cælestius dixit: Jam de traduce peccati dixi, quia intra catholicam constitutos plures audivi destruere, nec non & alios adstruere: licet questionis res sit ista, non heresis. Infantes semper dixi egere baptismo, ac debere baptizari: quid querit aliud?

4. Nempe cernitis sic Cælestium concessisse parvulis baptismum, ut in eos transire primi hominis peccatum, quod lavacro regenerationis abluitur, noluerit confiteri, quamvis & negare non ausus sit. Et propter hanc dubitationem suam non damnaverit eos qui dicunt: Quod peccatum Adæ ipsum solum

2 Sic MSS. At editi, hujusmodi.

lum læserit, & non genus humanum; & quod infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.

5. IN libello autem quem Romæ edidit, qui gestis ibi ecclesiasticis allegatus est, ita de hac re loquitur, ut hoc se credere ostendat, unde hinc dubitare se dixerat. Nam verba ejus ista sunt: Infantes autem, inquit, debere baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam universalis Ecclesiæ, & secundum Evangelii sententiam, confitemur: quia Dominus statuit regnum celorum non nisi baptizatis posse conferri; quod quia vires nature non habent, conferri necesse est per gratiæ libertatem. Si nihil de hac re deinceps diceret, quis non eum crederet confiteri, etiam infantibus in baptismo originalia peccata dimitti, dicendo eos in remissionem peccatorum baptizari oportere? Hinc ergo est & illud quod scripsistis, sic vobis respondisse Pelagium: Quod eisdem quibus & majores sacramenti verbis baptizantur infantes; vosque fuisse lætatos, id quod cupiebatis audisse, & tamen adhuc de verbis ejus nos maluisse consulere.

6. ATTENDITE itaque quid Cælestius apertissimè dixerit, & ibi videbitis quid vobis Pelagius occultaverit. Cælestius quippe adjungit, & dicit: In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes, non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur: quod longè à catholico sensu alienum est. Quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine: quia non nature delictum, sed voluntatis esse monstratur.

CAPUT V.
Libellus
Cælestii
Romæ gestis allegatus.

Joan. 3. 5.

* f. libertatem, vel largitatem.

CAPUT VI.
Cælestius
in eodem
libello.

tur. Et illud ergo confiteri congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur; & hoc præmunire necessarium est, ne per mysterii occasionem, ad Creatoris injuriam malum ante quàm fiat ab homine, tradidatur homini per naturam. Hunc sensum suum vobis aperire Pelagius vel timuit, vel erubuit, quem discipulus ejus palam sine ulius obscuritatis ambagibus apud sedem apostolicam profiteri nec timuit, nec erubuit.

Discipulus
magistro
audacior.

Zosimus
benignè
excusatur.

7. Sed multum misericors memoratæ sedis antistes, ubi eum vidit ferri tanta præsumptione præcipitem, tamquam furentem, donec si posset fieri, respisceret, maluit eum sensim suis interrogationibus, & illius responsionibus colligare, quàm districta feriendo sententia, in illud abruptum, quò jam propendere videbatur, impellere. Ideo autem non dixi, apertè ceciderat, sed propendere videbatur; quia superius in eodem libello suo de hujusmodi quæstionibus locuturus ante prædixerat: *Si fortè ut hominibus quispiam ignorantie error obrepsit, vestra sententia corrigatur.*

CAP. VII.

8. HANC ejus prælocutionem venerabilis papa Zosimus tenens, egit cum homine, quem falsæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea quæ illi à diacono Paulino fuerant objecta damnaret, atque ut sedis apostolicæ litteris, quæ à sanctæ memoriæ suo præcessore manaverant, præberet assensum. At ille noluit quidem diaconi objecta damnare; sed beati papæ Innocentii litteris non est ausus obsistere; imò se omnia quæ sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit: atque ita velut phreneticus, ut requiesceret, tamquam leniter fatus, à vinculis tamen excommunicationis nondum est cre-

creditus esse solvendus. Sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, respiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessus est. Quoniam re vera, si deposita perverciæ vanitate, quod promiserat vellet adtendere, & easdem litteras, quibus se consensurum esse responderat, diligenter legeret, sanaretur. Sed postea quàm ex Africano episcoporum concilio rescripta directa sunt, quid fuerit consecutum, ut justissimè in eum sententia proferretur, cuncta legite, quia cuncta transmisimus.

9. UNDE etiam Pelagius, si se ipsum & sua scripta sine dolo cogitat, non rectè dicit, eadem sententia se non debuisse teneri. Fefellit enim judicium palestinum; propterea ibi videtur esse purgatus: romanam verò ecclesiam, ubi eum esse notissimum scitis, fallere usquequaque non potuit: quàmvis & hoc fuerit a utcumque conatus; sed, ut dixi, minimè valuit. Recoluit enim beatissimus papa Zosimus, quid imitandus præcessor ejus de ipsis senserit gestis. Adtendit etiam quid de illo sentiret prædicanda in Domino romanorum fides, quorum adversus ejus errorem pro veritate catholica studia consonantia concorditer flagrare cernebat: inter quos ille diu vixerat, & quos ejus dogmata latere non poterant: qui Cælestium ejus esse discipulum sic noverant, ut fidelissimum & firmissimum possent de hac re testimonium perhibere. Quid ergo de palestinæ synodi gestis, quibus se Pelagius absolutum esse gloriatur, sanctus papa Innocentius judicavit, quàmvis & in litteris ejus, quas nobis rescripsit, legere possitis, & commo-

Cælestius à
Zosimo
damnatus.

CAPUT
VIII.

Pelagius
fefellit ju-
diciū pa-
lestinum,
at Roma-
nam eccle-
siam falle-
re non va-
luit.

a

Prædican-
da Roma-
norum fi-
des.

Rom. I. 8.

Pelagius
diu Romæ
vixit.

®

a Sic MSS. Editi, utrumque.

moratum a cum venerabili papæ Zosimo synodus africana respondit, quod vestræ caritati cum ceteris instructionibus misimus; tamen nec in hoc opere prætereundum videtur.

CAPUT IX.
* Epistola
177. inter
Augusti-
nianas, n. 2.

Innocentii
judicium
de actis
palestinis.

* Epistola
Innocentii
inter Au-
gustinia-
nas 183. n.
3 & 4.

10. CUM enim nos in epistola, * quam ei quinque Episcopi scripsimus, eorundem gestorum palæstinorum, quorum ad nos jam fama pervenerat, commemorationem fecissemus, dicentes, in oriente, ubi degit, gesta ecclesiastica facta esse, quibus putatur esse purgatus, atque ad hoc inter cetera ille rescriberet: *, Cum sint, inquit, aliqua in ipsis posita gestis, quæ objecta, partim ille vitando suppressit, partim multa in se verba retorquendo tota obscuritate confudit, aliqua magis falsa, quam vera ratione, ut ad tempus poterat videri purgavit, negando alia, alia falsa interpretatione vertendo. Sed utinam, quod optandum magis est, jam se ille ad veram catholicæ fidei viam ab illo suo errore convertat, & cupiat velitque purgari, considerans quotidianam Dei gratiam, adiutoriumque cognoscens, ut videatur verè, & approbetur ab omnibus, manifesta ratione correctus; non gestorum iudicio, sed ad catholicam fidem corde converso. Unde non possumus illorum nec approbare nec culpæ iudicium, cum nesciamus utrum vera sint gesta, aut si vera sint, constet magis subterfugisse, quam se tota veritate purgasse. Videtis certè in his verbis, quemadmodum papa beatissimus Innocentius non tamquam de incognito loqui

vi-
a Am. & Er. & commemoratum eum. Mellius Lov. & MSS. enim: ut ipsum Innocentii de gestis palestinis iudicium intelligatur commemoratum in litteris africanæ synodi ad Zosimum. Hæc litteræ hactenus desiderantur.

videatur. Videtis qualem tulerit de illius purificatione sententiam. Videtis quid successor ejus sanctus papa Zosimus recollere debuerit, sicut recoluit, ut in eo sui præcessoris iudicium remota cunctatione firmaret.

11. JAM nunc diligenter attendite, unde monstretur, quòd palæstinos Pelagius fefel-lerit iudices, ut alia taceam, in hac ipsa quæstione de baptisate parvulorum: ne fortè cupiam, in eo quod diximus, eum sensum, in quo liberior Cælestius fuit, vobis occultasse Pelagium, cum & ipse non aliter sentiat, calumniari potiùs vel suspicari, quam certum aliquid comprehendisse videamur. Nempe jam superiùs satis claruit, propterea Cælestium noluisse damnare quod dicitur: *Adæ peccatum ipsi soli obfuisse, non generi humano; & infantes qui nascuntur, in eo statu esse, in quo Adam fuit ante prævaricationem*; quia videbat, si ista damnaret, confirmare se in infantibus peccati ex Adam transitum. Hæc autem cum fuissent objecta Pelagio, quòd ea cum Cælestio etiam ipse sentiret, sine ulla retractatione damnavit. Quod licet vos legisse sciam, tamen quia non solis vobis hoc scribitur; ne pigeat lectorem ad ipsa gesta recurrere, vel si ea non habet, etiam cum labore perquirere, ipsa inde verba transcribimus, quæ infra scripta sunt.

12. Synodus dixit: *Nunc quoniam a anathematizaverit Pelagius incertum stultiloquium, rectè respondens, hominem cum adiutorio Dei & gratia posse esse æquætorum, id est, sine peccato, respondeat & ad*
Tom. IV. I alia

a In libro de gestis Pelagii, c. 6. n. 16. anathematizavit. Fortè legend. *quam anathematizaverit.*

CAPUT X.
Pelagium
fefelisse
palestina-
nam syno-
dum.

CAPUT XI.
Pars Actorum
iudicii
palestini
in causa
Pelagii.

alia capitula. Aliud capitulum in doctrina Cælestii discipuli Pelagii, ex eis quæ Carthagine à sancto Aurelio carthaginensi episcopo cum aliis episcopis audita sunt & commemorata: Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum. Quoniam lex sic mittat ad regnum, quemadmodum & Evangelium. Quoniam ante adventum Christi fuerint homines sine peccato. Quoniam infantes nuper nati in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quoniam neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat. Quoniam sanctus episcopus Augustinus adversus discipulos ejus in Sicilia respondit Hilario ad subjecta capitula, scribens librum in quo ista continentur: Posse hominem sine peccato esse, si velit: Infantes, etsi non baptizentur, habere vitam æternam: Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, neque regnum Dei posse eos habere: Pelagius dixit: De posse quidem hominem sine peccato esse, dictum est superius. De eo autem quod fuerint homines ante adventum Domini sine peccato, dicimus & nos quoniam ante adventum Christi vixerunt quidam sanctè ac justè, secundum Scripturarum sanctarum traditionem: reliqua verò & secundum ipsorum testimonium, a quia ista non sunt pro quibus ego

Epist. 57.
ad Hilarium.

a In eodem libro, c. ix. n. 24. & secundum ipsorum

satisfacere debeam, sed tamen ad satisfactionem sanctæ synodi, anathematizo eos, qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt.

13. ECCE, ut alia omittam, videtis anathematizasse Pelagium eos, qui tenent: Quòd Adæ peccatum ipsum solum læserit, & non genus humanum; & quòd infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Quid ergo hîc aliud episcopi judices intelligere potuerunt, nisi eum confiteri, quòd peccatum ex Adam in parvulos transeat? Quod ne confiteretur Cælestius; hæc damnare noluit, quæ iste damnavit. Proinde si ostendero, etiam ipsum nihil aliud sentire de parvulis, nisi quòd sine ulla cujusquam vitii contagione nascuntur; quid inter istum & Cælestium in hac quæstione distabit, nisi quòd ille apertior, iste occultior fuit; ille pertinacior, iste mendacior; vel certè ille liberior, hic astutior? Ille enim nec in Ecclesia carthaginensi damnare voluit, quod in Romana postea se tenere confessus est, & corrigi paratum se esse professus est, si ei tamquam homini error obrepsit. Iste autem & illud dogma damnavit tamquam contrarium veritati, ne ipse à catholicis iudicibus damnaretur; & id sibi defendendum postea reservavit, aut mendaciter damnans, aut callidè interpretans.

14. SED video de me jam justissimè postulari, ut quod promisi, utrùm & ipse hoc sentiat quod Cælestius, demonstrare non differam. In primo libro recentioris operis sui, quod scripsit pro libero arbitrio, cujus ope-

I 2

ris

testimonium à me dicta non sunt, pro quibus ego satisfacere non debeo. Eadem verba repetuntur ibidem c. 33.

CAP. XII.

Cælestius
apertior
hæreticus,
Pelagius
occultior.

CAP. XIII.

Docet Pelagium eadem cum Cælestio sensisse de originali peccato etiam post palæstrinum iudicium.

ris in litteris quas Romam misit, commemorationem fecit: *Omne, inquit, bonum ac malum, quo vel laudabiles vel vituperabiles sumus, non nobiscum oritur, sed agitur à nobis: capaces enim utriusque rei, non pleni nascimur, & ut sine virtute, ita & sine vitio procreamur: atque ante actionem propriæ voluntatis, id solum in homine est, quod Deus condidit.* Nempe cernitis in his Pelagii verbis, quòd dogma contineatur amborum, de parvulis sine ullius vitii ex Adam contagione nascentibus. Non itaque mirum est, quòd eos qui dicunt: *Adæ peccatum ipsi soli obfuisse, & non generi humano; & infantes qui nascuntur, in eo statu esse, in quo fuit Adam ante prævaricationem; Cælestius damnare noluit: sed multùm mirum est, qua fronte Pelagius ista damnaverit.* Si enim, sicut dicit: *Malum non nobiscum oritur, & sine vitio procreamur, atque ante actionem propriæ voluntatis id solum in homine est, quod Deus condidit;* profectò peccatum Adæ ipsi soli obfuit, quia nullum in prolem transitum fecit. Non enim peccatum non est malum, aut peccatum non est vitium, aut peccatum Deus condidit. Dicit autem iste: *Malum non nobiscum oritur, & sine vitio procreamur, & hoc solum est in nascentibus, quod Deus condidit.* Ac per hoc cum peccatum Adæ ipsi soli obfuisse, non generi humano, secundum istam suam sententiam, verissimum putet; cur hoc damnavit Pelagius, nisi ut iudices catholici fallerentur? Similiter etiam illud dici potest: *Si autem postea illud opus * pollicitus est, quomodo anathematizavit qui sic tenent? Nisi*

dubiò qui nascuntur infantes, in eo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem, cui nullum malum vitiumque inerat, atque id solum in illo erat, quod Deus condiderat. Et tamen anathematizavit Pelagius, qui tenent aut aliquando tenuerunt, in eo statu esse recentes ab ortu parvulos, in quo Adam fuit ante prævaricationem; id est, sine ullo malo, sine ullo vitio, id solum habentes, quod Deus condidit. Ut quid ergo & hoc damnavit Pelagius, nisi ut catholica synodus falleretur, ne novus hæreticus damnaretur?

15. QUOD autem scitis, & quod in eo etiam libro posui, quem de gestis palæstinis ad venerabilem senem nostrum Aurelium scripsi, illa ^a ego responsione Pelagii, totam istam quæstionem consumtam esse gaudebam: confessusque mihi apertissimè videbatur, esse in parvulis originale peccatum, anathema dicendo eis, qui peccato Adæ ipsum solum, non etiam genus humanum crederent læsum, & in eo statu opinarentur esse parvulos, in quo ille homo primus ante prævaricationem fuit. Sed postea cum legissem quatuor ejus libros, de quorum primo libro paulò antè commemorata verba descripsi, & invenissem hominem adhuc contra catholicam fidem de parvulis sentientem; plus mirari cœpi, tam impudens in ecclesiastico iudicio & de tanta quæstione mendacium. Si enim eosdem libros antè jam scripserat; quomodo se dixit eos anathematizare, qui sic aliquando tenuerunt? Si autem postea illud opus * pollicitus est, quomodo anathematizavit qui sic tenent? Nisi

CAP. XIV.
Pelagius
mentiendo
& fallendo
absolutio-
nem in sy-
nodo pal-
æstina fu-
ratus est.

a

* f. molli-
tus.

13

ri-

a. Sic MSS. At editi, ergo.

ridiculè fortè dicturus est, eos se damnasse qui sic aliquando tenuerunt, & qui sic tenent; de tempore autem futuro, id est, eis qui sic fuerant retenturi, nec sibi, nec aliis præjudicare potuisse; & ideo non fuisse mentitum, quia postea deprehensus est sic tenere. Sed non hoc dicit, non solum quia ridiculum est, sed quia verum esse non potest. In eisdem quippe libris, & contra peccati ex Adam in parvulos transitum loquitur, & de gestis palæstinæ synodi gloriatur, ubi eos qui sic tenent, veraciter damnasse putatus est, & absolutionem suam fallendo furatus est.

CAP. XV.
Fraus &
versutia
Pelagii.

16. QUID enim ad rem, de qua nunc agimus, pertinet, quod discipulis suis respondet: *Ideo se illa objecta damnasse, quia & ipse dicit, non tantum primo homini, sed etiam humano generi primum illud obfuisse peccatum, non propagine, sed exemplo;* id est, non quòd ex illo traxerint aliquod vitium, qui ex illo propagati sunt, sed quòd eum primum peccantem imitati sunt omnes, qui postea peccaverunt? Aut quia dicit, *ideo infantes non in eo statu esse, in quo fuit Adam ante prævaricationem, quia isti præceptum capere nondum possunt, ille autem potuit; nondumque utuntur rationalis voluntatis arbitrio, quo ille nisi uteretur, non ei præceptum daretur?* Quid hoc ad rem pertinet, quia verba sibi objecta sic exponendo, rectè se putat damnasse quod dicitur, *peccatum Adæ ipsi soli obfuisse, & non generi humano; & infantes qui nascuntur, in eo statu esse, in quo Adam fuit ante peccatum;* & tamen his damnatis, non mendaciter tenere, quod in ejus postea conscriptis opusculis invenitur, *sine ullo malo,*

lo, sine ullo vitio parvulos nasci, & hoc solum in eis esse, quod Deus condidit, non vulnus quod inimicus infixit?

17. NUMQUID hæc dicendo, verba propter aliud objecta aliter exponendo, id agit, ut se iudices non fefellisse demonstret? Prorsus non id efficit: tanto enim fefellit occultius, quanto exponit ista versutius. Episcopi quippe catholici quando audiebant hominem anathematizantem eos qui dicunt: *Adæ peccatum ipsi soli obfuisse, non generi humano;* nihil aliud eum sapere existimabant, quam id quod catholica Ecclesia prædicare consuevit: unde veraciter parvulos in peccatorum remissionem baptizat, non quæ imitando fecerunt, propter primi peccatoris exemplum; sed quæ nascendo traxerunt, propter originis vitium. Et quando audiebant anathematizantem eos qui dicunt: *Infantes qui nascuntur, in eo statu esse, in quo Adam fuit ante prævaricationem;* nihil eum aliud dicere credebant, nisi eos qui parvulos putant nullum ex Adam traxisse peccatum, & secundum hoc in eo statu esse, in quo fuit ille ante peccatum. Etenim hoc ^a illi objiceretur, non aliud, unde quæstio versabatur. Proinde cum hoc iste sic exponit, ut dicat, *infantes ideo non in eo statu esse, in quo Adam fuit ante peccatum, quia nondum sunt in eadem firmitate mentis aut corporis, non quòd in eos transierit ulla culpa propaginis, respondeatur ei: Quando tibi illa ^b damnanda objiciebantur, non ea catholici episcopi*

I 4

pi

^a Vaticanus cod. hoc tibi objiciebatur.

^b Duo MSS. illa damnata objiciebantur: item pauli post, qui damnata tenuisti.

pi sic intelligebant: idèd cùm illa damnare, catholicum te esse credebant. Propterea ergo, quod te illi sapere existimabant, absolvendum fuit: quod verò tu sapiebas, damnandum fuit. Non ergo tu absolutus es, qui damnanda tenuisti: sed illud absolutum est, quod tenere debuisti. Ut autem tu absolutus putareris, creditus es sentire laudanda, cùm te iudices non intelligerent occultare damnanda. Rectè Cælestii socius iudicatus es, cujus manifestas te esse participem. Et si in iudicio tuos cooperuisti libros, tamen post iudicium eos edidisti.

CAP. XVII.
Damnatio
Pelagii.

2

Post Pelagii Cælestiique excommunicationem multi eorum sectatores conversi.

Pelagius apostolicam sedem fallere conatus.

18. QUÆ cùm ita sint, profectò sentitis, in tam nefandi erroris auctores, episcopalia concilia, & apostolicam sedem, universamque romanam Ecclesiam, romanumque a imperium, quod Deo propitio christianum est, rectissimè fuisse commotum, donec respiscant de diaboli laqueis. Quis enim scit, ne fortè det illis Deus poenitentiam ad cognoscendam, & confitendam, & prædicandam etiam veritatem, damnandamque veraciter damnabilem falsitatem? Quoquo modo autem se habere isti velint, multis tamen misericordiâ Domini esse consultum, qui eos propterea sectabantur, quia catholicæ communioni videbant esse sociatos, dubitare non possumus.

19. Quomodo autem Pelagius obrepere tentaverit ad fallendum etiam apostolicæ sedis episcopale iudicium in hac ipsa quæstione

2 Possidius in vita Aug. cap. 18. Et hoc tale de illis Ecclesiæ Dei catholicæ prolatum iudicium audiens & sequens etiam piissimus imperator Honorius, suis eos legibus damnatos inter hæreticos haberi debere constituit. Hæc Honorii leges habes hic in 2. parte Append.

ne de baptisate parvulorum, diligenter attendite. In litteris enim, quas Romam misit ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, quoniam in corpore eum non invenerunt, & sancto Papæ Zosimo datæ sunt, atque ad nos inde directæ, dicit *se ab hominibus infamari, quòd neget parvulis baptismi sacramentum, & absque redemptione Christi aliquibus cælorum regna promittat*. Sed non sic illis hæc obijciuntur, ut posuit. Nam neque parvulis negant baptismi sacramentum, nec absque redemptione Christi aliquibus cælorum regna promittunt. Itaque unde se queritur infamari, eo modo proposuit, ut facile posset crimini objecto, salvo suo dogmate, respondere. * OBJICITUR autem illis, quòd non baptizatos parvulos nolunt damnationi primi hominis obnoxios confiteri, & in eos transisse originale peccatum regeneratione purgandum; quoniam propter accipiendum regnum cælorum tantummodo eos baptizandos esse contendunt: quasi præter regnum cælorum habere nisi æternam mortem possint, qui sine participatione corporis & sanguinis Domini æternam vitam habere non possunt. Ecce quod eis obijcitur de baptisate parvulorum: non quod ipse ita proposuit, ut possit suæ propositioni, quasi adversantis objectioni, secundum sua dogmata respondere.

20. Denique quomodo respondeat advertite, & videte latebras ambiguitatis falsitati præparare refugia, offundendo caliginem veritati; ita ut etiam nos cùm primum ea legimus, recta vel correctæ propemodum gauderemus. Sed latiores disputationes ejus in libris, ubi se quantumlibet operiat, plerumque aperire compellitur, fecerunt nobis & ista

Pelagius statum quæstionis invertit.

* CAPUT XVIII.

Pelagius latebras ambiguitatis parat falsitati refugia.

ta suspecta, ut adentiùs intuentes invenire-
mus ambigua. Cùm enim dixisset: Numquam
se vel impium aliquem hereticum audisse,
qui hoc quod proposuit de parvulis diceret:
deinde subiecit atque ait: Quis enim ita
evangelicæ lectionis ignarus est, qui hoc
non modò affirmare conetur, sed qui vel le-
viter dicere, aut etiã sentire possit? Dein-
de quis tam impius, qui parvulos exortes
regni cælorum esse velit, dum eos baptizari
& in Christo renasci^a vetat.

CAPUT
XIX.

Joan. 3-5.

21. FRUSTRA ista dicit: non inde se
purgat. In regnum cælorum sine baptismo
parvulos intrare non posse, nec ipsi aliquan-
do negaverunt. Sed non inde quæstio est: de
purgatione originalis peccati in parvulis quæ-
stio est. Inde se purget, qui non vult fateri,
lavacrum regenerationis in parvulis habere quod
purget. Et ideo cetera quæ dicturus est ad-
tendamus. Post interpositum enim ex Evan-
gelio testimonium, quòd nisi renatus ex aqua
& Spiritu, regnum cælorum nullus possit in-
trare, unde illis, ut diximus, nulla fit quæ-
stio; secutus adjunxit dicens: Quis ille tam
impius est, qui cujuslibet ætatis parvulo
interdicat communem humani generis redem-
tionem? Et hoc ambiguum est, qualem di-
cat redemptionem: utrùm ex malo ad bonum,
an ex bono ad melius. Nam & Cælestius
apud Carthaginem in libello suo confessus est
redemptionem parvulorum, & tamen noluit
confiteri ex Adam in eos transisse peccatum.

CAP. XX.

22. SED quid deinde iste subjungat, ad-
vertite: *Et in perpetuam, inquit, certam-
que vitam renasci vetet eum, qui natus sit*
ad

^a Editi, putat. Emendantur ex MSS.

ad incertam? Id est: Quis tam impius est,
ut vetet renasci ad perpetuam certamque
vitam eum, qui natus sit ad incertam? Hæc
verba quando primitus legimus, credidimus
eum incertam vitam, istam voluisse dicere
temporalem: quamvis nobis videretur magis
eam mortalem dicere debuisse, quàm incer-
tam, eo quòd certa morte finiatur. Tamen
quamdiu ducitur, quoniam momentis omnibus
esse non dubitatur incerta; nihil aliud eum
putavimus, quàm istam mortalem vitam ma-
luisse dicere incertam. Ac per hoc quamvis
æternam mortem parvulorum sine baptismatis
sacramento ex hac vita migrantium apertè no-
luerit confiteri; tamen de illo sollicitudinem
nostram quasi certa ratiocinatio solabatur. Di-
cebamus enim: Si perpetua vita, sicut con-
fiteri videtur, nisi eorum qui baptizati sunt
non potest esse; profectò eos qui non bap-
tizati moriuntur, mors perpetua consequetur.
Quod nullà justitiã potest accidere his, à qui-
bus in hac vita nulla peccata commissa sunt,
nisi * originale peccatum.

23. SED postea non defuerunt fratres,
qui nos admonerent, hoc ideo dicere Pela-
gium potuisse, quia de ista quæstione ita
perhibetur solitus respondere quærentibus, ut
diceret: *Sine baptismo parvuli morientes,*
quòd non eant, scio; quòd eant, nescio: id
est, non ire in regnum cælorum scio; quò
verò eant, ideo se nescire dicebat,^a *aut di-*
cit, quia dicere non audebat in mortem illos
ire perpetuam, quos & hic nihil mali com-
mis-

*f. nisi ob.

CAPUT
XXI.De parvu-
lis sine ba-
ptismo de-
cedentibus
Pelagii
sententia.

a

^a Non superfluo additum, aut dicit, quod expungen-
dum putarunt Lovanienses: sed eo significatur, Pela-
gium à suo errore nondum fortè recessisse.

Latibula
Pelagii sub
ambiguitate.

* Exhibetur
in 2.
parte Ap-
pendicis.

Pelagius
diutissime
Romæ vi-
xit.

misisse sentiebat, & originale traxisse peccatum non consentiebat. Itaque & ista ejus verba Romam pro magna ejus purgatione transmissa, tam sunt ambigua, ut possint eorum dogmati præbere latibula, unde ad insidiandum prosiliat hæreticus sensus, quando nullo existente qui valeat respondere, tamquam in solitudine aliquis invenitur infirmus.

24. Jam verò in libro * fidei suæ, quem Romam cum ipsis litteris misit ad eundem Papam Innocentium, ad quem etiam epistolam scripserat, multo evidentius se ipsum tegendo nudavit, dicens: *Baptisma unum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, dicimus esse celebrandum.* Non saltem dixit, eodem sacramento; quod quidem si dixisset, adhuc esset ambiguum: sed *iisdem*, inquit, *sacramenti verbis*; tamquam infantibus remissio peccatorum verborum sonitu diceretur, non rerum ageretur effectum. Visus est tamen ad tempus, aliquid dicere quod fidei catholice conveniret: sed illam sedem usque in finem fallere non prævaluit. Post rescripta quippe africani concilii, in quam provinciam quidem doctrina illa pestifera serpendo pervenerat, sed eam non tam latè occupaverat atque pervaserat, alia quoque ipsius in urbe Romæ, ubi diutissime vixerat, atque in his fuerat prius sermonibus contentionibusque versatus, curâ fidelium fratrum prolata patuerunt, quæ litteris suis, quas conscripsit per orbem catholicum perferendas, Papa Zosimus exsecranda, sicut legere potestis, adtexuit. Ubi Pelagius epistolam Pauli apostoli ad Romanos velut exponens, argumentatur & dicit: *Si Adæ peccatum etiam non peccan-*
ti-

ti-
bus nocuit, ergo & Christi justitia etiam non credentibus prodest. Et cetera hujusmodi, quæ omnia Domino adjuvante in libris, Lib. 3. c. 3. quos scripsimus, de baptismo parvulorum, refutata & dissoluta sunt. Et ea quidem in ipsis quasi expositionibus non ex sua persona est ausus objicere; sed ibi hoc dicebat, ubi multis notissimus erat, & quid sentiret ac diceret, latere non poterat: quod in libris illis, de quorum primo quiddam supra * com-
memoravi, non dissimulante, sed apertissime * Suprà cap. 13. quantis potest disputandi viribus agit, ut natura humana in parvulis nullo modo ex propagine vitata credatur; cui arrogando salutem, invidet ^a salvatorem.

25. HÆC cum ita sint, cumque jam constet dogma existisse pestiferum & hæreticum errorem, quem Domino adjuvante apertius jam devitat Ecclesia, duobus istis, Pelagio scilicet & Cælestio, aut in locum pœnitentiæ redactis, aut si id recusaverint, omnino damnatis, qui hujus perversitatis auctores vel perhibentur, vel etiam probantur; vel certe si auctores non sunt, sed hoc ab aliis didicerunt, assertores tamen atque doctores, per quos id latius reptaret & cresceret, & verbis & litteris suis, & competentibus indiciis, & famâ ex his omnibus surgente & crebrescente jactantur: quid restat, nisi ut quisque catholicus pro viribus, quas sumit à Domino, redarguat istam pestem, eique vigilanter obsistat; ut cum respondendi necessitate, sine studio contentionis, pro veritate certatur, instruantur indocti, atque ita in Ecclesiæ convertatur utilitatem, quod est inimicus in per-

CAPUT
XXII.
Pelagius &
Cælestius
damnati.

^a Editio Et. invidet Salvatori: minus rectè.

1. Cor. 11. niciem machinatus, juxta illud Apostoli: Oportet & hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos?

CAPUT
XXIII.
Quæstio-
nem de
peccato
originali
præter fi-
dei pericu-
lum esse
conten-
dunt Pela-
giani.

16. QUAPROPTER post multa, quæ adversus istum errorem inimicū gratiæ Dei, quam per Jesum Christum Dominum nostrum pusillis magnisque largitur, scribendo disputare potuimus; nunc illud oportet excutere, quod, volentes hæreseos astute invidiam declinare, asserunt: *Istam præter fidei periculum esse quæstionem*: ut videlicet si in ea fuerint exorbitasse convicti, non criminaliter, sed quasi civiliter errasse videantur. Sic enim Cælestius apud Carthaginem gestis ecclesiasticis est locutus *: *Jam, inquit, de traduce peccati dixi, quia intra Catholicam constitutos plures audivi destruere, nec non & alios adstruere; licet quæstionis res sit ista, non hæresis. Infantes semper dixi egere baptismo, ac debere baptizari: quid quærit aliud? Ita hoc dixit, tamquam significare voluerit, tunc fuisse hæresim judicandam, si baptizari debere negaret infantes: nunc verò quoniam baptizandos fatetur, etiam si causam baptismatis eorum non eam dicat, quam veritas habet, sed quæ ad fidem non pertinet, non se * arbitratur errare, & ideo non esse hæreticum judicandum. * ITEM in libello quem Romæ dedit, cum fidem suam à Trinitate unius deitatis usque ad resurrectionem qualis futura est mortuorum, de quibus eum nullus interrogaverat, & unde illi nulla quæstio movebatur, quantum dicere libuit, explicasset; ubi ad id quod agebatur ejus sermo pervenit: *Si quæ verò, inquit, præter fidem quæstiones natæ sunt, de quibus esset inter plerosque contentio; non ego qua-**

* fortè, non se criminaliter errare: delero arbitratur.
* CAPUT
XXIII.
Apud Am.
& Er.

quasi auctor alicujus dogmatis definita hoc auctoritate statui, sed ea quæ de Prophetarum & Apostolorum fonte suscepti, vestri Apostolatus offerimus probanda esse judicio; ut si fortè ut hominibus quispiam ignorantia error obrepsit, vestra sententia corrigatur. Nempe perspicitis, id eum egisse hac prælocutione præmissa, ut si quid in illo apparuisset erroris, non in fide, sed in quæstionibus quæ sunt præter fidem, videretur errasse; ubi etsi corrigendus est error, non tamen tamquam hæresis corrigatur, & qui a correctus fuerit, ita dicatur errare, ut non tamen hæreticus judicetur.

27. Sed multum eum ista fallit opinio. Longè aliter se habent quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitratur, quàm sunt illæ in quibus salva fide, qua christiani sumus; aut ignoratur quid verum sit, & sententia definitiva suspenditur; aut aliter quàm est, humanà & infirmà suspitione conicitur. Veluti cum quæritur, qualis vel ubi sit paradysus, ubi constituit Deus hominem quem formavit ex pulvere; cum tamen esse illum paradysum fides christiana non dubitet: vel cum quæritur, ubi sit nunc Elias vel Enoch, an ibi, an alicubi alibi; quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus vivere: vel cum quæritur, utrum in corpore an extra corpus in tertium cælum sit raptus Apostolus; quàmquam sit ista impudens inquisitio id scire volentium, quod se ille cui hoc præstitum est, salva utique fide, nescire testatur: vel quot sint cæli, in quorum tertium se raptum esse commemorat: vel utrum ele-

Quæstiones præter fidem, quæ, & earum exempla.

2. Cor. 12. 2.

a MSS. Casal. & Sigiram. correctus non fuerit.

elementa mundi hujus conspicabilis quatuor an plura sint: quid faciat solem lunamve deficere, his defectibus quos prædicere astrologi certa temporum dinumeratione consueverunt: cur antiqui homines tam diu vixerint, quam sancta Scriptura testatur; & utrum proportionem longioris ætatis filios sera pubertate gignere cœperint: ubi potuerit Mathusalem vivere, qui in arca non fuit, qui, sicut in plerisque codicibus & græcis & latinis numerantur anni, reperitur supervixisse diluvio: vel utrum paucioribus, qui rarissimi inveniuntur, potius credendum sit, in quibus ita est numerus conscriptus annorum, ut ante diluvium defunctus fuisse monstretur. Quis enim non sentiat in his atque hujusmodi variis & innumerabilibus quæstionibus, sive ad obscurissima opera Dei, sive ad Scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti ac definire difficile est, & multa ignorari salvâ christianâ fide, & alicubi errari sine aliquo hæretici dogmatis crimine?

CAPUT
XXIV.
Hæresis
Pelagii &
Cælestii
ipsa fidei
nostræ pe-
tit funda-
menta.

Joan. 4. 34.
In causa
duorum
hominum
proprie fi-
des chris-
tiana.
1. Tim. 2. 5.

28. SED in causa duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis; per unum præcipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam; a quorum ille nos in se perdidit, faciendo voluntatem suam, non ejus à quo factus est; iste nos in se salvos fecit, non faciendo voluntatem suam, sed ejus à quo missus est: in horum ergo duorum hominum causa proprie fides christiana consistit. Unus est enim Deus, & unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Quo-

a Am. Fr. & MSS. quoniam ille.

Quoniam non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: & in illo definiuit Deus fidem omnibus, suscitans illum à mortuis. Itaque sine ista fide, hoc est, sine fide unius mediatoris Dei & hominum hominis Christi Jesu, sine fide, inquam, resurrectionis ejus, quam Deus a omnibus definiuit, quæ utique sine incarnatione ejus ac morte non potest veraciter credi: sine fide ergo incarnationis & mortis & resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justis essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratiâ justificari, veritas christiana non dubitat: sive in eis justis quos sancta Scriptura commemorat, sive in eis justis quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, vel ante diluvium, vel inde usque ad legem datam, vel ipsius legis tempore, non solum in filiis Israël, sicut fuerunt Prophetæ, sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Job. Et ipsorum enim corda eadem mundabantur mediatoris fide, & diffundebatur in eis caritas per Spiritum-sanctum, qui ubi vult spirat, non merita sequens, sed etiam ipsa merita faciens. Non enim Dei gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo.

29. Quamvis ergo mors regnaverit ab Adam usque ad Moysen, quia non eam potuit vincere nec lex data per Moysen (non enim data est quæ posset vivificare, sed quæ mortuos, quibus vivificandis esset gratia necessaria, non solum peccati propagatione & dominatione prostratos, verum etiam ipsius legis addita prævaricatione convictos, deberet

TOM. IV.

a Editi, hominibus. Castigantur ex MSS.

Act. 4. 12.
Act. 17. 31.
Sine fide
Christi
nullus un-
quam ho-
mo justifi-
cari aut
salvari po-
tuit.

a

Rom. 5. 5.
Joan. 3. 8.

Fides
Christi, do-
num omni-
no gratui-
tum.

Rom. 5. 14.

Gal. 2. 21.
Uusus legis.

ostendere; non ut periret quisquis hoc in Dei misericordia etiam tunc intelligeret, sed ut per regnum mortis ad supplicium destinatus, etiam sibi ipsi per praevaricationem legis manifestatus, Dei quaereret adiutorium, ut ubi abundavit peccatum, superabundaret gratia, quae sola liberat à corpore mortis huius) * QUAMVIS ergo nec lex per Moysen data potuerit à quoquam homine regnum mortis auferre; erant tamen & legis tempore homines Dei, non sub lege terrente, conuincente, puniente, sed sub gratia delectante, sanante, liberante. Erant qui dicerent: *Ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea me in utero aluit: & Non est pax in ossibus meis à facie peccatorum meorum: & Cor mundum crea in me, Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis: & Spiritu principali confirma me: & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Erant qui dicerent: *Credidi, propter quod locutus sum.* Eadem quippe & ipsi mundabantur fide, qua & nos. Unde & Apostolus dicit: *Habentes autem eundem spiritum fidei, secundum quod scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum; & nos credimus, propter quod loquimur.* Ex ipsa fide dicebatur: *Ecce Virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Ex ipsa fide de ipso dicebatur: *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam, à summo caeli egressio ejus, & occursum ejus usque ad summum caeli, & non est qui se abscondat à calore ejus.* Ex fide ipsa ipsi dicebatur:

Thro-

Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi, Psal. 44. 7. virga directionis, virga regni tui: dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exultationis praecipuis tuis. Eodem spiritu fidei ab illis haec futura videbantur, quo à nobis facta creduntur. Neque enim qui nobis ista fidei dilectione prophetare potuerunt, eorum ipsi participes non fuerunt. Et unde est quod dicit Apostolus Petrus: *Quid tentatis Deum, imponere jugum supra collum discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos potuimus portare, sed per gratiam Domini Jesu credimus salvi fieri, quemadmodum & illi; nisi quia & illi per gratiam Domini Jesu Christi salvi facti sunt, non per legem Moysi, per quam non sanatio, sed cognitio est facta peccati? Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata per legem & Prophetas. Si ergo nunc manifestata est, etiam tunc erat, sed occulta. Cujus occultationem significabat templi velum, quod est ad ejus significandam revelationem Christo moriente conscissum. Et tunc ergo ista gratia unius mediatoris Dei & hominum hominis Christi Jesu erat in populo Dei; sed tamquam in vellere pluvia, quam non debitam, sed voluntariam segregat Deus hereditati suae, inerat latens; nunc autem velut siccato illo vellere, hoc est, judaico populo reprobato, in omnibus gentibus tamquam in area cernitur patens.*

30. NON igitur, sicut Pelagius & ejus discipuli, tempora dividamus, dicentes: *Primum vixisse justos homines ex natura, deinde sub lege, tertio sub gratia.* Ex natura, scilicet, ab Adam tam longa aetate, qua lex

k 2

non-

Rom. 5. 20.

Ibid. 7. 25.

* CAPUT

XXV.

Justi tempore legis

existerunt,

nec tamen

erant illi

sub lege,

sed sub

gratia.

Psal. 50. 7.

Psal. 37. 4.

Pr. 50. 12.

Et.

Pr. 115. 1.

2. Cor. 4. 13.

Isai. 7. 14.

Psal. 18. 6.

Act. 15.

10.

Rom. 3. 20.

Gratia novi Testamenti sub veteri occultata.

Velum templi.

Matt. 27.

51.

Judic. 6.

38.

Vellus Ge-deonis.

Pr. 67. 10.

CAPUT

XXVI.

Pelagius

& Caesarius

antiquos justos

negant per

Christum
salvatos.

nondum erat data. Tunc enim, ajunt, duce ratione cognoscebatur Creator, & quemadmodum esset vivendum, scriptum gerebatur in cordibus, non lege litteræ, sed naturæ. Verum vitiatas moribus, inquit, ubi cepit non sufficere natura jam decolor, lex ei addita est, qua, velut luna, fulgori pristino detrita rubigine redderetur. Sed posteaquam nimia, sicut disputant, peccandi consuetudo prevaluit, cui sananda lex parum valeret, Christus advenit, & tamquam morbo desperatissimo, non per discipulos, sed per se ipsum medicus ipse subvenit.

31. Hæc disputantes, à gratia mediatoris justos excludere conantur antiquos, tamquam Dei & illorum hominum non fuerit mediator homo Christus Jesus: quia nondum ex utero Virginis carne suscepta, homo nondum fuit, quando illi justii fuerunt. Quod si ita esset, noquaquam Apostolus diceret: *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum; sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur.* Quando quidem illi antiqui justii, secundum istorum vaniloquia, sibi sufficiente naturâ, nec mediatore homine Christo indiguerunt, per quem reconciliarentur Deo: nec in eo vivificabuntur, ad cujus corpus & membra, secundum id quod propter homines homo factus est, non pertinere monstrantur. Si autem, quemadmodum per Apostolos suos Veritas loquitur, sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur; quia per illum hominem mors, & per istum hominem resurrectio mortuorum: quis audeat dubitare christianus, etiam illos justos, qui * recentioribus generis humani temporibus Deo

1. Cor. 15.
21.1. Cor. 15.
22. & 21.

* f. remotioribus.

Deo placuerunt, ideo in resurrectionem vitæ æternæ, non mortis æternæ esse venturos, quia in Christo vivificabuntur; ideo autem vivificari in Christo, quoniam ad corpus pertinent Christi; & ideo pertinere ad corpus Christi, quia & ipsis caput est Christus; ideo & ipsis caput esse Christum, quia unus mediator est Dei & hominum homo Christus Jesus? Quod eis non fuisset, nisi in ejus resurrectionem per ejus gratiam credidissent. Et hoc quomodo fieret, si eum in carne venturum esse nescissent, neque ex hac fide justè pièque vixissent? Nam si propterea illis non profuit incarnatio Christi, quia nondum facta erat; nec nobis prodest judicium Christi de vivis & mortuis, quia nondum factum est. Si autem nos per hujus nondum facti, sed futuri judicii fidem stabimus ad dexteram Christi; profectò illi per incarnationis ejus tunc nondum factæ, sed futuræ fidem membra sunt Christi.

32. NEQUE enim putandum est, quod antiquis justis sola quæ semper erat, divinitas Christi, non etiam quæ nondum erat, ejus humanitas revelata profuerit. Illud enim quod ait Dominus Jesus, Abraham concupivit diem meum videre, & vidit, & gavisus est: si diem suum voluit suum tempus intelligi, testimonium profectò perhibuit Abrahæ, quod fide fuerit incarnationis ejus imbutus. Secundum hanc enim habet tempus: divinitas verò ejus omne tempus excedit, quia per illam universa facta sunt tempora. Quod & si quisquam de die sempiterno accipiendum putaverit, qui nullo finitur crastino, nullo prævenitur hesterno, hoc est, de ipsa æternitate, in qua coæternus est Patri; quo-

1. Cor. 11.
3.

Profuit patribus etiam nondum facta Christi incarnatio.

CAPUT
XXVII.
Abraham exemplo probat veteres justos fidem habuisse incarnationis Christi.
Joan. 8. 56.

modo id verè concupisceret Abraham, nisi ejus nosset futuram mortalitatem, cujus quæsit aternitatem? Aut si ad hoc aliquis horum verborum sensum coarctat, ut dicat, nihil intelligendum in eo quod ait Dominus: Quæsit diem meum, nisi, quæsit me, qui sum dies permanens, hoc est, lumen indeficiens (velut cum dicimus vitam Filii, de qua loquitur Evangelium dicens: *Sic dedit & Filio vitam habere in semetipso*; non aliud ipsum, aliud ejus vitam; sed eundem ipsum Filium intelligimus vitam, qui dixit: Ego sum via, veritas & vita: & de quo dictum est: Ipse est verus Deus & vita aterna; ut hanc ejus æqualem Patri divinitatem videre cupierit Abraham, nequaquam incarnatione ejus præcognita, sicut eum nonnulli etiam philosophi quæsierunt, qui nihil de ejus carne didicerunt) numquid & illud, quod jubet Abraham, ponere manum servum suum sub femore suo, & jurare per Deum cæli, aliter quisquam rectè intellecturus est, nisi Abraham scisse, in qua venturus esset Deus cæli, carnem de illo femore propagari?

Joan. 5.
26.

Joan. 14.
6.
I. Joan. 5.
20.

Gen. 24.2.

Abraham
cur servum
manu sub
femore po-
sita, jurare
voluerit.

CAPUT
XXVIII.
Gen. 14.19.

Ps. 109.4.

Per quid
Christus
mediator.

33. CUJUS carnis & sanguinis, quando ipsum Abraham benedixit, Melchisedech etiam testimonium christianis fidelibus notissimum protulit, ut tanto post Christo diceretur in Psalmis, quod nondum factum, sed adhuc futurum, eadem tamen ipsa & patrum, quæ nostra est, fides una cantabat: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. In Adam quippe inventibus mortem, per hoc prodest Christus quod est mediator ad vitam. Non autem per hoc mediator est, quod æqualis est Patri: per hoc enim, quantum Pater, tantum & ipse distat

à nobis: & quomodo erit medietas, ubi eadem ipsa distantia est? Ideo Apostolus non ait: Unus mediator Dei & hominum Christus Jesus; sed, *homo Christus Jesus*. Per hoc ergo mediator, per quod homo: inferior Patri per quod nobis propinquior; superior nobis per quod Patri propinquior: quod apertius ita dicitur, inferior Patri, quia in forma servi; superior nobis, quia sine labe peccati.

I. Tim. 2.
5.

Phil. 2.7.

34. QUAPROPTER quisquis humanam contendit in qualibet ætate naturam non indigere medico secundo Adam, quia non est vitata in primo Adam; non in aliqua quæstione, in qua dubitari vel errari salva fide potest, sed in ipsa regula fidei qua christiani sumus, gratiæ Dei vincitur inimicus. Quale est autem, quod ab istis illa quæ antè fuit, velut adhuc minus malis moribus vitata, hominum laudatur natura; neque respiciunt, tantis tamquam intolerabilibus peccatis homines tunc fuisse submersos, ut excepto uno homine Dei & ejus conjuge, tribusque filiis & totidem nuribus, justo judicio Dei, sicut igne postea terra exigua Sodomorum, ita totus mundus diluvio deleretur? Ex quo tempore igitur per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt, profectò universa massa perditionis facta est possessio perditoris. Nemo itaque, nemo prorsus inde liberatus est, aut liberatur, aut liberabitur, nisi gratiâ Redemptoris.

CAPUT
XXIX.

Gen. 7.7.
& 23.

Ibidem 19.
24.

Rom. 5.12.

35. ET ante Abraham quidem utrum aliquo corporali & visibili sacramento justis, vel eorum parvuli signarentur, Scriptura non exprimit. Ipse tamen Abraham signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei. Et

CAPUT
XXX.

Rom. 4.11.

Gen. 17. 10. & seq.
Circumcisio parvulorum cur sub tanti supplicii terrore præcepta.
Rom. 10. 10.
Gen. 17. 14.

Perire de populo suo in Scripturis quid.
Gen. 25. 17.
1. Mac. 2. 69.

CAPUT XXXI.
Platonico- rum opinio de vita animæ ante corpus rejicitur.

Rom. 9. 11.

sic accepit, ut deinceps etiam omnes parvulos domus suæ circumcidere juberetur, recentissimos à visceribus matrum, octavo die nativitate eorum, ut etiam hi, qui corde ad justitiam credere nondum possent, justitiæ tamen fidei signaculum sumerent. Quod sub terrore tanto est imperatum, ut diceret Deus, animam illam de suo populo perituram, cujus octavo die præputii circumcisio facta non fuisset. Hujus tam horribilis poenæ justitia si quæratur, nonne istorum omnis de libero arbitrio, & laudabili sanitate, & puritate naturæ, quantumlibet arguta sit argumentatio, repercussa, & confracta dissiliet? Quid enim mali, quæso, parvulus propria voluntate commisit, ut alio negligente & eum non circumcidente, ipse damnetur, damnatione tam severa, ut pereat anima illa de populo suo? Neque enim temporalis mortis terror incussus est; cum de justis, quando moriebantur, tunc potius diceretur: Et appositus est ad populum suum, vel, appositus est ad patres suos: quoniam deinceps homini nulla tentatio formidatur, quæ illum separet à populo suo, si populus ejus ipse est populus Dei.

36. QUID sibi ergo vult, pro nullo præputii voluntatis admissio, tanta damnatio? Neque enim sicut nonnulli secundum platonicos opinantur, hoc uniuscujusque infantis animæ redditur, quod ante istam vitam sua voluntate commisit, cum haberet ante hoc corpus vel bene vel malè liberum vivendi arbitrium: cum Paulus Apostolus apertissimè dicat, nondum natos nihil egisse boni vel mali. Unde ergo recitè infans illa perditione punitur, nisi quia pertinet ad massam perditionis, & justè intelligitur ex Adam natus, antiqui debiti obligatione damnatus, nisi inde fuerit, non secundum debitum, sed

sed secundum gratiam liberatus? Quam gratiam, nisi gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum? Quem profectò inter cetera veterum sacramenta etiam ipsa præputii circumcisio prophetavit. Dies enim octavus est in hebdomadarum recursibus dies Dominicus, quò resurrexit Dominus; & petra erat Christus, unde circumcisionis cultellus petrinus; & caro præputii corpus peccati.

37. MUTATIS proinde sacramentis, postquam venit qui eis significabatur esse venturus, non tamen mutato mediatoris auxilio, qui etiam priusquam venisset in carne, antiqua sua membra liberabat suæ incarnationis fide; & nos cum essemus mortui delictis & præputio carnis nostræ, convivificati sumus Christo, in quo circumcisi sumus circumcisione non manu facta, quam figurabat circumcisio manu facta, ut evacuaretur corpus peccati, cum quo sumus ex Adam nati; damnatæ originis propagatio nos damnat, nisi mundemur similitudine carnis peccati, in quâ missus est sine peccato; qui tamen de peccato damnavit peccatum, factus pro nobis peccatum. Unde dicit Apostolus: *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo: eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso.* Deus ergo, cui reconciliamur, fecit eum pro nobis peccatum, id est, sacrificium per quod dimitterentur nostra peccata: quoniam peccata vocantur sacrificia pro peccatis. Et utique ipse pro peccatis nostris immolatus est, nullum habens vitium, solus in hominibus, quale quærebatur etiam tunc in pecoribus, quo significabatur unus sine vitio ad vitia sananda venturus. Quocumque igitur die suæ nativitate infans baptizetur in Christo,

Circumcisio gratias Christi prophetia.

1. Cor. 10. 4.

Rom. 6. 6.

CAPUT XXXII.

Coloss. 2. 13. & 11.

Rom. 6. 6.

Rom. 8. 3.

Gal. 3. 13.

2. Cor. 5. 20.

Christus quomodo appellatus peccatum,

Coloss. 2.
11.

Job. 14.
sec. LXX.

CAPUT
XXXIII.
Originale
peccatum
non facit
nuptias
malas.
I. Thes. 4.
5.
Pudicitia
conjugalis
bonum nup-
tiarum.

to, tamquam octavo circumciditur die: quoniam in illo circumciditur, qui tertio quidem ex quo crucifixus est, sed octavo in hebdomadibus resurrexit die. Circumciditur autem in exspoliationem corporis carnis, id est, ut debitum, quod contagio carnalis generationis adtraxit, gratia spiritualis regenerationis absolvat. Nullus enim est mundus à sorde (qua, obsecro, sorde, nisi peccati?) nec infans, cujus est unius diei vita super terram.

38. SIC autem argumentantur, dicentes: Ergo malum sunt nuptiae, & non est opus Dei homo quem generant nuptiae? Quasi nuptiarum bonum sit morbus concupiscentiae, in quo uxores diligunt qui ignorant Deum, quod Apostolus prohibet; ac non potius pudicitia conjugalis, qua in bonos usus ordinatè filios procreandi redigitur libido carnalis: aut verò possit esse homo nisi opus Dei, non solum qui de conjugio, verum etiam qui de fornicatione, vel de adulterio procreatur. Sed in hac quaestione, ubi quaeritur, non cui rei creator, sed cui salvator sit necessarius, non intuendum est quid boni sit in procreatione naturae, sed quid in peccato mali, quo certum est vitiatam esse naturam. Simul autem utrumque propagatur, & naturae, & naturae vitium; quorum est unum bonum, alterum malum. Illud de conditoris largitate sumitur, hoc de ^a originis damnatione adtrahitur: illi est causa bona voluntas Dei summi, huic mala voluntas hominis primi: illud indicat Deum creaturae institutorem, hoc indicat Deum inobedientiae punitorem: denique idem ipse Christus propter illud creandum, factor

est

^a Omnes MSS. de origine damnationis.

est hominis, propter hoc sanandum factus est homo.

39. BONUM ergo sunt nuptiae in omnibus quae sunt propria nuptiarum. Haec autem sunt tria, generandi ordinatio, fides pudicitiae, connubii sacramentum. Propter ordinationem generandi scriptum est: Volo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse. Propter fidem pudicitiae: Uxor non habet potestatem sui corporis, sed vir: similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Propter connubii sacramentum: Quod Deus conjunxit, homo non separret. De quibus in aliis opusculis nostris, quae vobis non sunt incognita, quantum Domino adjuvante potuimus, satis nos disseruisse meminimus. Propter haec omnia, honorabiles nuptiae in omnibus, & thorus immaculatus. In quantum enim nuptiae bonae sunt, in tantum faciunt plurimum boni etiam de libidinis malo: quoniam libidine non bene utitur libido, sed ratio. Libido est autem ^a in illa, quam notat Apostolus, repugnante legi mentis, inobedientium lege membrorum: ratio verò bene utens libidine, ipsa est in lege nuptiarum. Nam si nullum de malo bonum fieri posset, nec Deus ex adulterino concubitu hominem conderet. Sicut ergo adulterii damnabile malum, quando & inde homo nascitur, non imputatur Deo, qui certè in opere hominum malo facit ipse opus bonum: ita quidquid est pudendum in membrorum illa inobedientia, de qua erubuerunt, qui post peccatum

fo-

^a Ita Gallicani MSS. Editio Lov. omittit in: postea cum Am. & Er. sic habet, quam vocat Apostolus repugnantem legi mentis, inobedientium lege membrorum. Non malè, si modò corrigas, legem membrorum.

CAPUT
XXXIV.
Tria con-
jungit bo-
na.

I. Tim. 5.
14.

I. Cor. 7.4.

Matt. 19.6.

De bono
conjugali,
cap. 3. &
sequenti-
bus.
Hebr. 13.4.

Libido.

^a
Rom. 7.23.

De malo
bonum.

Gen. 3. 7.
Unde in
corporis
nostri
membris
verecun-
dia.

foliis ficulneis eadem membra texerunt, non nuptiis imputatur, propter quas concubitus conjugalis non solum est licitus, verum etiam utilis & honestus; sed imputatur peccato inobediencie, cujus hæc poena est consecuta, ut homo inobediens Deo, sua quoque sibi inobediencia membra sentiret: de quibus erubescens, quod non ad arbitrium voluntatis ejus, sed ad libidinis incentivum velut arbitrio proprio moverentur, quæ pudenda judicavit, operienda curavit. Non enim confundi debuit homo de opere Dei, aut ullo modo fuerant creato erubescenda, quæ instituenda visa sunt Creatori. Itaque nec Deo nec homini illa simplex nuditas displicebat, quando nihil erat pudendum, quia nihil præcesserat puniendum.

CAPUT
XXXV.
Nuptiæ &
ante pec-
catum.
Gen. 1. 28.

Dei bene-
dictio quid
in primis
parentibus
operata.

40. ESSENT autem proculdubio nuptiæ etiam non præcedente peccato, quia neque ob aliam causam viro adjutorium, non alius vir, sed femina facta est. Et illa Dei verba: Crescite, & multiplicamini; non est damnandorum prædictio peccatorum, sed secundatarum benedictio nuptiarum. His enim Deus ineffabilibus suis verbis, id est, divinis rationibus in suæ sapientiæ, per quam facta sunt omnia, veritate viventibus vim seminis indidit primis hominibus. Si autem peccato non fuisset dehonesta natura, absit ut opinemur tales futuras fuisse nuptias in paradiso, ut in eis ad prolem seminandam non a nutu voluntatis, sicut pes ad ambulandum, manus ad operandum, lingua ad loquendum; sed astu libidinis membra genitalia moverentur. Nec

a Editi & MSS. non naturâ voluntatis. Emendantur hic ex libro 1. de Nuptiis & concupisc. c. 6.

sicut nunc fit, virginitatis integritas ad concipiendos fetus vi turbida vitaretur ardoris, sed obsequeretur imperio tranquillissimæ caritatis: & eo modo non esset dolor & cruor virginis concumbentis, quomodo non esset etiam matris gemitus parientis. Hæc ideo non creduntur, quia in ista mortalitatis conditione inexperta sunt. In deterius quippe vitio mutata natura, non invenit primæ illius puritatis exemplum. Sed fidelibus loquimur, qui noverunt credere divinis eloquiis, etiam nullis adhibitis expertæ veritatis exemplis. Quomodo enim nunc ostendam sine ullis parentibus de pulvere hominem factum, eique de suo latere conjugem? Et tamen quod oculus jam non invenit, fides credit.

41. SIC ergo & primarum nuptiarum sine libidinis passione tranquillitas, & motus genitalium sicut aliorum membrorum, non ad effrenati caloris incitamentum, sed ad voluntatis arbitrium (quales nuptiæ perseverassent, si peccati non intervenisset opprobrium) nunc ostendi non potest: sed ex iis quæ divina auctoritate conscripta sunt, non immerito credi potest. Sic enim modò non invenio sine pruriente libidine concumbentem, sicut non invenio sine dolore & gemitu parturientem, sine futura morte nascentem: & tamen secundum scripturarum sanctarum veritatem, gemitus parturientis, & mors hominis non fuissent, si peccatum non præcessisset. Sic nec illud unde erubuerunt, qui membra illa texerunt: quia & hoc in eisdem sanctis litteris præcedente peccato scriptum est consecutum. Membra quippe illa nisi indecens motus

Gen. 2. 7.
& 22.

CAPUT
XXXVI.
Libido &
labor parturienti ex peccato.

Gen. 3. 7.

Membra unde pudenda.

a Victorinus MS. & Vaticanus, incitaretur.

tus oculis eorum, non utique clausis, sed in hoc non apertis, hoc est, non adtentis, animadvertenda nuntiasset; nihil in suo corpore, quod utique totum Deus laudabile fecerat, pudendum velandumque sensisset: quia nisi præisset facinus, quod inobedientia est ausa committere, non sequeretur dedecus, quod verecundia vellet abscondere.

CAPUT
XXXVII.
Malum libidinis nuptiarum non imputandum.

Tria nuptiarum bona, proles, pudicitia, sacramentum.

Originis vitium ex carnali concupiscentia.

42. CLARUM est igitur, hoc non esse nuptiis imputandum, quod etsi non esset, nuptiæ tamen essent: quarum bonum non auferitur isto malo, sed ab eis & hoc malum in usum vertitur bonum. Verum quia jam ista conditione mortalium, nunc simul aguntur concubitus & libido; eo fit, ut cum libido reprehenditur, etiam nuptialis concubitus licitus & honestus reprehendi putetur ab eis, qui nolunt discernere ista, vel nesciunt. Nec attendunt illud esse nuptiarum bonum, unde gloriantur nuptiæ, id est, proles, pudicitia, sacramentum; illud autem non esse nuptiarum, sed carnalis concupiscentiæ malum, de quo erubescunt & nuptiæ. Sed quia sine illo malo fieri non potest nuptiarum bonum, hoc est, propagatio filiorum; ubi ad huiusmodi opus venit, secreta quaruntur, arbitri removentur, filiorum quoque ipsorum, si jam inde aliqui nati sunt, cum per ætatem sentire ista jam cœperint, præsentia devitatut: atque ita nuptiæ sinuntur exercere quod licet, ut non negligant occultare quod dedecet. Hinc est quod infantes etiam qui peccare non possunt, non tamen sine peccati contagione nascuntur, non ex hoc quod licet, sed ex eo quod dedecet. Nam ex hoc quod licet, natura nascitur; ex illo quod dedecet, vitium. Naturæ nascentis est

est auctor Deus, qui hominem condidit, & qui virum ac feminam nuptiali jure conjunxit: vitii verò auctor est diaboli decipientis calliditas, & hominis consentientis voluntas.

43. UBI nihil Deus fecit, nisi quòd hominem voluntate peccantem, justo iudicio cum stirpe damnavit: & ideo ibi quidquid etiam nondum erat natum, meritò est in prævaricatrice radice damnatum: in qua stirpe damnatâ tener hominem generatio carnalis, unde sola liberat regeneratio spiritalis. Ideo regeneratis parentibus, si tamen in eadem gratia perseveraverint, proculdubio ista propter remissionem peccatorum, quæ in eis facta est, non nocebit, nisi cum eâ male utuntur, non solum in omnibus illicitis corruptelis, verum etiam in ipsis conjugibus quando non propagandi voluntate operam creandis filiis impendunt, sed lasciviendi voluptate exsaturandæ cupidini inserviunt. Quod propter vitandas fornicationes maritis & uxoribus ne fraudent invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut orationibus vacent, secundum veniam, non secundum imperium, concedit Apostolus. Evidenter quippe dum tribuit veniam, denotat culpam. Nuptialis autem concubitus, quem matrimoniales quoque indicant tabulæ, causa procreandorum fieri filiorum, per se ipsum prorsus, non in comparatione fornicationis, est bonus: qui tametsi propter corpus mortis, quòd nondum est resurrectione renovatum, sine quodam bestiali motu, de quo natura erubescit humana, non potest fieri; tamen ipse concubitus non est peccatum, ubi ratio libidine utitur ad bonum, non superatur ad malum.

44. OBESSET ista carnis concupiscentia, etiam tantummodo quòd inesset, nisi peccatorum remissio sic prodesset, ut quæ * in eis * f. inest. est,

CAPUT
XXXVIII.
Nondum natus in radice damnatus.

Usus matrimonii propter solam voluptatem non sine veniæ culpa.

CAPUT
XXXIX.

est, & nato, & renato, nato quidem, & inesse, & obesse; renato autem inesse quidem, sed non obesse possit. In tantum enim obest natis, ut nisi renascantur, nihil possit prodesse, ^a si nati sunt de renatis. Manet quippe in prole, ita ut ^b ream faciat, originis vitium; etiam si in parente reatus ejusdem vitii remissione ^c ablutus est peccatorum, donec omne vitium cui consentiendo peccatur, regeneratione novissima consumatur: id est, ipsius etiam renovatione carnis, quæ in ejus resurrectione futura promittitur, ubi non solum nulla peccata faciamus, sed nec habeamus ulla desideria vitiosa, quibus consentiendo peccemus: ad quam beatam perfectionem hujus, quod nunc datur, sancti lavacri gratia pervenitur. Qua enim regeneratione spiritus modo fit ut peccata omnia præterita remittantur, ejus merito fiet etiam regeneratio carnis in æternam vitam, qua in ipsa carne incorruptibiliter resurgente peccatorum omnium incitamenta sanentur. Sed ea salus adhuc in spe facta est, non tenetur in re; neque possidetur per præsentiam, sed expectatur per patientiam. * CAP. XL. * AC per hoc non solum peccata omnia, quorum nunc remissio fit in baptismo, quæ reos faciunt, dum desiderii vitiosis consentitur atque peccatur; verum etiam ipsa desideria vitiosa, quibus si non consentitur, nullus peccati reatus contrahitur, quæ non in ista, sed in alia vita nulla erunt, eodem lavacro baptismatis universa purgantur.

45. Reatus itaque vitii ejus de quo loquimur,

^a Vatic. MS. quod nati. fortè leg. etri nati.

^b Sic MSS. Sigram. & Casal. Alii cum editis, reatum faciat

^c Duo MSS. absolutus est.

Plena per resurrectionem renovationem, baptismi est effectus.

* CAP. XL. *

mur, in regeneratorum prole carnali tamdiu manebit, donec & illic lavacro regenerationis abluatur. Regeneratus quippe non regenerat filios carnis, sed generat; ac per hoc in eos non quod regeneratus, sed quod generatus est, trajicit. Sic igitur, sive reus infidelis, sive absolutus fidelis, non ^a generat absolutos uterque, sed reos: quomodo non solum oleastri, sed etiam oleæ semina non oleas generant, sed oleastros. Sic itaque in damnatione hominem prima nativitas tenet, unde nisi secunda non liberat. Tenet ergo diabolus, liberat Christus: tenet deceptor Evæ, liberat filius Mariæ: tenet qui per conjugem venit ad virum, liberat qui de conjugate natus est, quæ non pertulit virum: tenet qui causam libidinis intulit feminæ, liberat qui sine libidine est conceptus in femina. Omnes ille prorsus per unum tenere potuit, nec ab ejus dominatione liberat nisi unus, quem tenere non potuit. Denique ipsa Ecclesiæ sacramenta, quæ tam præcæ traditionis auctoritate concelebrat, ut ea isti, quamvis in parvulis existiment simulatorie potius quam veraciter fieri, non tamen audeant aperta improbatione respuere: ipsa, inquam, sanctæ Ecclesiæ sacramenta satis indicant, parvulos à partu etiam recentissimos per gratiam Christi de diaboli servitio liberari. Excepto enim quod in peccatorum remissionem, non fallaci, sed fideli mysterio baptizantur, etiam prius exorcizatur in eis & exsufflatur potestas contraria; cui etiam verbis eorum à quibus portantur, se renuntiare respondent.

TOM. IV.

L

^a Editi, regenerat. Melius hoc loco MSS. generat.

^b Vatic. MS. concelebrant: non malè, cum ad pelagianos refertur.

Homines liberatio ipsius captivitatis modo conveniens.

Exorcismus, exsufflatio, & renuntiatio satanæ in baptismis ceremoniis.

Matt. 12.
29.
1. Cor. I. 25.

dent. Quibus omnibus rerum occultarum sacratis & evidentibus signis, à captivatore pessimo ad optimum redemptorem transire monstrantur; qui pro nobis infirmitate suscepta, alligavit fortem, ut vasa ejus eriperet: quia infirmum Dei non solum est hominibus, verum & angelis fortius. Liberans itaque Deus pusillos cum magnis, in utrisque ostendit quod locuta est per Apostolum Veritas. Non enim solos ætate majores, sed etiam pusillos eruit à potestate tenebrarum, ut transferat in regnum Filii caritatis suæ.

Coloss. I.
13.

Difficultas
contra pec-
catum ori-
ginis.

Matt. 5.
45.

46. Nec quisquam miretur, & dicat: *Cur hoc creat bonitas Dei, quod possideat malignitas diaboli?* Hoc enim suæ creaturæ seminibus ex illa bonitate largitur, qua etiam facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Hac quippe bonitate etiam ipsa semina benedixit, vel benedicendo constituit: quam benedictionem naturæ laudabili culpa damnabilis non ademit. Quæ licet per Dei punientis justitiam valuerit, ut homines cum peccati originalis vitio nascerentur; non tamen valuit, ut homines non nascerentur. Sicut in ipsis ætate majoribus quælibet vitia peccatorum non ex homine hominem tollunt; sed permanet Dei opus bonum in quantiscumque malis operibus impiorum. Nam etsi homo in honore positus, & non intelligens, comparatur pecoribus, eisque similis fit; non tamen usque adeo similis fit, ut pecus sit. Comparatur namque per vitium, non per naturam; non pecoris vitio, sed naturæ. Tantæ namque excellentiæ est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris: nec tamen ideo natura hominis in naturam vertitur pecoris. Ac per hoc

Psal. 48.
13.

Vitium ho-
minis natu-
ra est peco-
ris.

Deus

Deus hominem damnat propter vitium, quo natura dehonestatur; non propter naturam, quæ vitio non auferitur. Bestias verò absit ut opinemur poenæ damnationis obnoxias, quas justum est ut miseræ sint expertes, quæ nec beatitudinis possunt esse participes. Quid ergo mirum est, vel iniquum, ut immundo spiritui subdatur homo, non propter naturam, sed propter immunditiam suam, quam non ex opere divino, sed ex humana voluntate venientem in originis labe contraxit; cum & ipse spiritus immundus bonum sit, quod spiritus, malum, quod immundus? Illud quippe est ex Dei opere, hoc ex propria voluntate. Natura itaque fortior, id est, angelica, inferiori naturam, id est, humanam, vitii societate subditam tenet. Ideo mediator propter Angelis fortior, infirmus propter homines factus est: sic superbia captivatoris, Redemptoris humilitate destruitur; ut qui super filios hominis angelica fortitudine gloriatur, à Filio Dei suscepta humana infirmitate vincatur.

2. Cor. 8. 9.

a

47. SED jam etiam istum conclusuri librum, oportere arbitramur, ut Ambrosium antistitem Dei, cujus inter latinæ linguæ scriptores ecclesiasticos præcipue * Pelagius integerrimam fidem prædicat, sicut de gratia fecimus, ita & de peccato originali, in quo delendo ipsa gratia evidentius commendatur, calumniosæ istorum loquacitati respondere faciamus. In eo opere quod scripsit de Resurrectione sanctus Ambrosius: *Lapsus sum, inquit, in Adam, de paradiso ejectus in Adam, mortuus in Adam: quem non revocat nisi*

CAP. XLI.

* V. lib. de
gratia Christi
c. 43.

Ambrosii
pro origi-
nali pecca-
to senten-
tiæ.
Lib. de fide
resurrec-
tionis.

b

L 2

me

a Vatic. cod. filios hominum.

b Sic MSS. At editi, *Quem revocaret*: minus bene. Apud Ambrosium, *Quomodo revocet.*

me in Adam invenerit, ut in illo culpæ obnoxium, mortis debitum, ita in Christo justificatum. Item scribens contra Novatianos ait: Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum dicente David: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Ideo Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait: Quis me liberavit de corpore mortis hujus? Christi autem caro damnavit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit; ut in carne nostra esset justificatio per gratiam, ubi erat antè collusio per culpam. Item idem ipse cum exponeret Isaiam Prophetam loquens de Christo: Ideo, inquit, & quasi homo per universa tentatus est, & in similitudine hominum cuncta sustinuit: sed quasi de Spiritu natus abstinuit à peccato. Omnis enim homo mendax; & nemo sine peccato, nisi unus Deus. Servatum est igitur, ut ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers est delicti, expers est etiam hujusmodi conceptionis. Item cum exponeret Evangelium secundum Lucam: Non enim virilis coitus, inquit, vulva virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non senserit, & cælesti majestate depulerit.

48. His tamen verbis hominis Dei, quem tanto præconio ipse laudavit Pelagius, contradicit, & dicit: Sicut sine virtute, ita nos

Suprà cap.
13.

Lib. 1. de
Pœnitentia.
c. 2. vel
3.
Psal. 50. 7.

Rom. 7. 24.

Ambrosii
opus in
Isaiam, non
existat.
Hebr. 4. 15.

Ps. 115. 2.

Lib. 2. n.
56. ad illud
cap. 2. Omne
masculinum
adaperiens
vulvam.

sine vitio procreari. Quid igitur restat, nisi aut istum Pelagius suum damnet errorem, aut eum sic Ambrosium laudasse pœniteat? Sed quia ista secundum catholicam fidem beatus Ambrosius, ut episcopus catholicus, est locutus; sequitur ut ab hac via fidei devius meritò Pelagius cum Cælestio discipulo suo catholicæ Ecclesiæ sit auctoritate damnatus, nisi eum non Ambrosium laudasse, sed contra Ambrosium sensisse pœniteat. Scio vos ea quæ ad ædificationem vel confirmationem fidei conscribuntur, insatiabiliter legere: verumtamen hic liber, quantumlibet sit ad hoc utilis, jam tandem aliquando finiendus est.

EPISTOLA CXCIV. *

Augustinus Sixto Romano presbytero (& postea Pontifici) instruens illum adversus pelagianorum argumenta.

* Alias
CV.
que autem
194. erat,
nunc in Ap-
pendice est
13.

Domino in Domino dominorum dilectissimo, sancto fratri, & compresbytero SIXTO, AUGUSTINUS in Domino salutem.

1. Epistola, quam per carissimum fratrem nostrum Albinum acolythum misi, prolixior me missurum esse promisi per sanctum fratrem & compresbyterum nostrum Firmum, qui nobis litteras attulit sinceritatis tuæ, plenas sinceritate fidei tuæ, quæ nobis tantum gaudium contulerunt, quantum magis possumus habere quam dicere. Quod enim fatendum

Scripta
paucò post
superiores
epistolas.
CAPUT I.

me in Adam invenerit, ut in illo culpæ obnoxium, mortis debitum, ita in Christo justificatum. Item scribens contra Novatianos ait: Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum dicente David: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Ideo Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait: Quis me liberavit de corpore mortis hujus? Christi autem caro damnavit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit; ut in carne nostra esset justificatio per gratiam, ubi erat antè collusio per culpam. Item idem ipse cum exponeret Isaiam Prophetam loquens de Christo: Ideo, inquit, & quasi homo per universa tentatus est, & in similitudine hominum cuncta sustinuit: sed quasi de Spiritu natus abstinuit à peccato. Omnis enim homo mendax; & nemo sine peccato, nisi unus Deus. Servatum est igitur, ut ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers est delicti, expers est etiam hujusmodi conceptionis. Item cum exponeret Evangelium secundum Lucam: Non enim virilis coitus, inquit, vulva virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non senserit, & cælesti majestate depulerit.

48. His tamen verbis hominis Dei, quem tanto præconio ipse laudavit Pelagius, contradicit, & dicit: Sicut sine virtute, ita nos

Suprà cap.
13.

Lib. 1. de
Pœnitentia.
c. 2. vel
3.
Psal. 50. 7.

Rom. 7. 24.

Ambrosii
opus in
Isaiam non
existat.
Hebr. 4. 15.

Ps. 115. 2.

Lib. 2. n.
56. ad illud
cap. 2. Omne
masculinum
adaperiens
vulvam.

sine vitio procreari. Quid igitur restat, nisi aut istum Pelagius suum damnet errorem, aut eum sic Ambrosium laudasse pœniteat? Sed quia ista secundum catholicam fidem beatus Ambrosius, ut episcopus catholicus, est locutus; sequitur ut ab hac via fidei devius meritò Pelagius cum Cælestio discipulo suo catholice Ecclesiæ sit auctoritate damnatus, nisi eum non Ambrosium laudasse, sed contra Ambrosium sensisse pœniteat. Scio vos ea quæ ad ædificationem vel confirmationem fidei conscribuntur, insatiabiliter legere: verumtamen hic liber, quantumlibet sit ad hoc utilis, jam tandem aliquando finiendus est.

EPISTOLA CXCIV. *

Augustinus Sixto Romano presbytero (& postea Pontifici) instruens illum adversus pelagianorum argumenta.

* Alias
CV.
que autem
194. erat,
nunc in Ap-
pendice est
13.

Domino in Domino dominorum dilectissimo, sancto fratri, & compresbytero SIXTO, AUGUSTINUS in Domino salutem.

1. Epistola, quam per carissimum fratrem nostrum Albinum acolythum misi, prolixior me missurum esse promisi per sanctum fratrem & compresbyterum nostrum Firmum, qui nobis litteras attulit sinceritatis tuæ, plenas sinceritate fidei tuæ, quæ nobis tantum gaudium contulerunt, quantum magis possumus habere quam dicere. Quod enim fatendum

Scripta
paulò post
superiores
epistolas.
CAPUT I.

* Zosimi.

dum est caritati tuæ, tristes eramus nimis, cum fama jactaret inimicis christianæ gratiæ te favore. Sed ut hæc tristitia de nostris cordibus tergeretur, primò te priorem anathema eis in populo frequentissimo pronuntiasse eadem fama non tacuit. Deinde cum litteris * apostolica sedis de illorum damnatione ad Africam missis, tuæ quoque litteræ ad venerabilem senem Aurelium consecutæ sunt; quæ tametsi breves erant, tuum tamen vigorem adversus eorum errorem satis indicabant. Nunc verò cum apertius & latius quid de illo dogmate contraque sentires, in litteris tuis fides ipsa nobiscum romanæ ecclesiæ loqueretur, cui potissimum beatus Apostolus Paulus de gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, multa & multipliciter est locutus, non solum illud omne tristitiæ nubilum fugit de cordibus nostris; sed etiam tantum ibi lætitiæ lumen insulsit, ut nihil egisse in nobis videretur ille mœror & timor, nisi successurorum ampliorem fragrantiam gaudiorum.

2. Itaque, frater carissime, quamvis non te videamus oculis carnis, animo tamen in fide Christi, in gratia Christi, in membris Christi tenemus, amplectimur, osculamur, & remeante à nobis ad te nostrorum invicem loquijorum sanctissimo & fidelissimo perlatores, quem voluisti esse apud nos non solum ad vectorem scriptorum tuorum, verum etiam narratorem restemque factorum, rescripta persolvimus, & aliquanto diutius tecum sermocinamur, admonentes, ut docendis instes, quibus terrendis satis quantum comperimus institisti. Sunt enim quidam, qui justissimè damnatas impietates adhuc liberius defendendas putant: & sunt qui occultius penetrant do-

domos, & quod in aperto jam clamare metunt, in secreto seminare non quiescunt. Sunt autem qui omnino siluerunt magno timore compressi, sed adhuc corde retinent quod ore jam proferre non audent; qui tamen esse possunt fratribus ex priore ipsius dogmatis defensione notissimi. Proinde alii severius coercendi, alii vigilantius vestigandi, alii tractandi quidem lenius, sed non segnius sunt docendi, ut si non timentur ne perdant, non tamen negligantur ne pereant.

3. QUOD enim putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adjutorio Dei hominem habere consenserint: non intelligunt non se firmare humanum arbitrium^a, sed impellere ut per inania feratur, non in Domino tanquam in petra stabili collocetur. *Paratur enim voluntas à Domino.*

4. Quod autem personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant quòd sine ullis præcedentibus meritis, cujus vult miseretur, & quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit: parum attendunt quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste gloriatur; atque ibi potius acceptionem nullam fieri personarum, ubi una eademque massa damnationis & offensionis involvit, ut liberatus de non liberato discat, quòd etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret. Si autem gratia, utique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata.

5. *Sed injustum est, inquit, in una eademque mala causa hunc liberari, illum*

L 4

pu-

^a MSS. tres, *infirmare*. Alii totidem, *inflare*.

CAPUT II.

PROV. 8.
SEC. LXX.

*puniri. Nempe ergo justum est utrumque puniri. Quis hoc negaverit? Agamus ergo gratias Salvatori, dum nobis non redditum cernimus, quod in damnatione similium etiam nobis debitum fuisse cognoscimus. Si enim omnis homo liberaretur, utique lateret quid peccato per justitiam debeatur: si nemo, quid gratia largiretur. Ut ergo in hac difficillima questione verbis potius utamur Apostoli: *Volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, adtulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem: & ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*; cui non potest figmentum dicere: Quare sic me fecisti? Cum habeat potestatem ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Ubi quia universa ista massa merito damnata est, contumeliam debitam reddit justitia, honorem donat indebitum gratia, non meriti prerogativa, non fati necessitate, non temeritate fortunæ; sed altitudine divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quam non aperit, sed clausam miratur Apostolus, clamans: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.**

Rom. 9. 22.

Massa vitata.

Rom. II. 33. &c.

CAPUT III.

6. NOLUNT autem, ut sit ipsi gloria in justificandis impiis gratuita gratia, qui ejus ignorantes justitiam, suam volunt constituere: vel jam conclamantium religiosorum & piorum vocibus pressi, ita se fatentur ad habendam, seu faciendam justitiam divinitus adjuvari, ut

ut sui præcedat aliquid meriti, quasi priores volentes dare ut retribuatur eis ab illo, de quo dictum est: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Et suo putantes præire merito illum, de quo audiunt, aut potius audire nolunt: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Quarum autem divitiarum est altitudo sapientiæ & scientiæ ejus, ex his sunt divitiæ gloriæ ejus in vasa misericordiæ, quæ vocat in adoptionem; quas divitias notas vult facere etiam per vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem. Et quæ sunt viæ investigabiles, nisi de quibus in psalmo canitur: *Universe viæ Domini misericordia & veritas?* Igitur investigabiles sunt misericordia & veritas ejus: quoniam cujus vult miseretur, non justitia, sed misericordiæ gratia; & quem vult obdurat, non iniquitate, sed veritate vindictæ. Quæ tamen misericordia & veritas ita sibi occurrunt, quia scriptum est: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi*; ut nec misericordia impediat veritatem, qua plectitur dignus, nec veritas misericordiam, qua liberatur indignus. Quæ igitur sua merita jactaturus est liberatus, cum si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus? Nullane igitur sunt merita justorum? Sunt planè, quia justus sunt. Sed ut justus fierent, merita non fuerunt. Justus enim facti sunt, cum justificati sunt; sed sicut dicit Apostolus: *Justificati gratis per gratiam ipsius.*

Rom. II. 35.

Ps. 24. 10.

Psal. 84. II.

Rom. 3. 24.

7. Cum igitur huic gratiæ inimici infestique sint isti, Pelagius tamen in ecclesiastico judicio * palestino (non enim aliter inde im-

* Diospolitano.

a Sic Bad. Am. & Er. At Lov. non justitia, sed misericordiæ gratia. MSS. plerique, non justitia, sed misericordiæ gratia.

punitus exisset) anathematizavit eos, qui dicunt gratiam Dei secundum merita dari. Sed nihil aliud in eorum etiam posterioribus disputationibus invenitur, quam meritis dari eam gratiam, de cujus commendatione maxime ad romanos apostolica epistola loquitur, ut inde prædicatio ejus velut à capite orbis toto orbe diffunderet: ea est enim qua justificatur impius, id est, fit justus qui prius erat impius. Et ideo percipiendæ hujus gratiæ merita nulla præcedunt, quoniam meritis impii, non gratia, sed poena debetur. Nec ista esset gratia, si non daretur gratuita, sed debita redderetur.

8. Sed cum ab istis quæritur, quam gratiam Pelagius cogitaret sine ullis præcedentibus meritis dari, quando anathematizabat eos, qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari: respondent, sine ullis præcedentibus meritis gratiam ipsam humanam esse naturam, in qua conditi sumus. Neque enim antequam essemus, mereri aliquid poteramus ut essemus. Abjiciatur à christianorum cordibus ista fallacia: nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus ut homines essemus, sed qua justificati cum mali homines essemus. Ista est enim gratia per Jesum Christum Dominum nostrum. Etenim Christus non pro nullis, ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, ut justificarentur: jam quippe homo erat qui dicebat: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.*

9. Possunt quidem dicere remissionem peccatorum esse gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur. Quid enim habere homini meriti possunt peccatores? Sed nec ipsa remis-

Quæ gratia
ab Aposto-
lo com-
mendata.

Rom. 7. 24.

sio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: *Deus, propitius esto mihi peccatori*: & descendit justificatus merito fidelis a humilitatis, quoniam qui se humiliat exaltabitur. Restat igitur ut ipsam fidem unde omnis justitia sumit initium, propter quod dicitur ad Ecclesiam in Cantico canticorum: *Venies & pertransies ab initio fidei*; restat, inquam, ut ipsam fidem non humano b, quod isti extollunt, tribuamus arbitrio: nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcumque sunt merita; sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus. Quia sicut in eadem epistola legitur: *Deus unicuique partitur mensuram fidei*. Opera quippe bona fiunt ab homine; fides autem fit in homine, sine qua illa à nullo fiunt homine. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.

10. Quapropter ne se vel ipsius orationis meritum extollat, etiamsi ad vincendas temporalium rerum cupiditates, & diligenda bona æterna, atque ipsum fontem omnium bonorum Deum, adjutorium datur oranti, fides orat quæ data est non oranti, quæ utique nisi data esset, orare non posset. Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo credent, quem non audierunt? Quomodo audient, sine prædicante? Igitur fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Proinde minister Christi hujus fidei prædicator, secundum gratiam quæ data est illi, plantator est

a Bad. Am. & Er. *fidelis humiliatur*: quibus consentiunt MSS. septem.

b Sic MSS. plures. At editi habent, *quo isti extolluntur.*

Luce 18.
13.

Cant. 4.
sec. LXX.

Rom. 12. 3.

Rom. 14.
23.

Rom. 10.
14.

1. Cor. 3.
7.

est & rigator. Nec tamen qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus, qui unicuique partitur mensuram fidei. Unde & alibi dicitur: *Pax fratribus, & caritas cum fide*: quam ne sibi tribuerent, continuo subjunxit, à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo: quia nec omnium est fides, qui audiunt verbum, sed quibus Deus partitur mensuram fidei: sicut nec omnia germinant quæ plantantur & rigantur, sed quibus Deus dat incrementum. Cur autem ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, & si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident; altitudo est divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cujus inscrutabilia sunt iudicia, & apud quem non est iniquitas, dum cuius vult miseretur, & quem vult obdurat: neque enim propterea sunt ista injusta, quia occulta.

11. Deinde post remissionem peccatorum, nisi mundatam domum habitet Spiritus sanctus, nonne cum aliis septem reddit spiritus immundus, & erunt novissima hominis illius pejora quàm erant prima? Ut autem habitet Spiritus sanctus, nonne ubi vult spirat; & caritas Dei, sine qua nemo bene vivit, diffunditur in cordibus nostris, non à nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis? Hanc enim fidem Apostolus definiit, dicens: *Neque circumcisio est aliquid, neque præputium; sed fides, quæ per dilectionem operatur*. Ista quippe fides est christianorum, non dæmoniorum: nam & dæmones credunt, & contremiscunt; sed nunquid & diligunt? Nam si non crederent, non dicerent: *Tu es sanctus Dei*; vel, *Tu es Filius Dei*. Si autem diligerent, non dicerent: *Quid nobis & tibi?*

Fi-

12. Fides igitur ad Christum nos trahit, quæ nisi desuper gratuito munere nobis daretur, non ipse diceret: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, adtraxerit eum*. Unde & paulò post ait: *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt*. Deinde Evangelista subjungit: *Sciebat enim ab initio Jesus, qui essent credentes, & quis esset traditurus eum*. Et ne quisquam existimaret credentes sic ad ejus præscientiam pertinere, quomodo non credentes, id est, ut non eis fides ipsa desuper daretur, sed tantummodo voluntas eorum prænosceretur, mox adjecit atque ait: *Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo*. Hinc erat quòd eorum, qui audierant loquentem de carne sua & sanguine suo, quidam scandalizati abscesserunt, quidam credendo manserunt: quia nemo potest venire ad illum, nisi cui datum est à Patre, ac per hoc & ab ipso Filio, & à Spiritu sancto. Neque enim separata sunt dona, vel opera inseparabilis Trinitatis; sed Filius sic honorans Patrem, non affert ullius distantie documentum, sed magnum præbet humilitatis exemplum.

13. Hic iterum isti liberi arbitrii defensores, imò deceptores quia inflatores, & inflatores quia præsumtores, non adversum nos, sed adversum Evangelium locuturi, quid aliud dicunt quàm id quod Apostolus sibi, quasi à talibus diceretur, objecit? *Dicis itaque mihi: Quid adhuc conqueritur, Nam voluntati ejus quis resistit?* Hanc contradictionem sibimetipsi tanquam ab altero opposuit, velut ex eorum voce qui nolunt accipere quod supe-

Joan.6.44.

Ibid. 64.

v. 65.

Joan.6.66.

Rom.9.19.

Ibid. 18. perius dixerat : *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat.* Talibus itaque dicamus cum Apostolo (non enim melius illo invenire possumus quid dicamus) *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?*

Ibid. 20.

I. sent. dist. 40. c. Quicumque.

14. Quærimus namque meritum obdurationis, & invenimus. Merito namque peccati universa massa damnata est; **NEC OB DURAT DEUS** impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur: at potius ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiae, nec invenimus, quia nullum est, ne gratia evacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur.

15. Si enim dixerimus fidem præcessisse, in qua esset meritum gratiæ; quid meriti habebat homo ante fidem, ut acciperet fidem?

I. Cor. 4. 7.

Quid enim habet quod non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur quasi non accepit? Sicut enim non haberet homo sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem Dei, nisi secundum propheticum eloquium accepisset spiritum sapientiæ & intellectus, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis, ac timoris Dei: sicut non haberet virtutem, caritatem, continentiam, nisi accepto Spiritu, de quo dicit

Apostolus : *Non enim accepistis spiritum timoris, sed virtutis, & caritatis, & continentiae* : ita non haberet fidem nisi accepisset spiritum fidei, de quo idem ipse dicit : *Habentes autem eundem spiritum fidei, secundum quod scriptum est : Credidi, propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur.* Non autem merito ac-

* Longè aliter *Rom.* 8. 15. qui locus profertur infra n. 17. *2. Cor. 4. 13.* *Ps.* 115. 10.

cepisse, sed misericordia eius, qui cuius vult miseretur, manifestissimè ostendit, ubi de seipso ait : *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem.*

I. Cor. 7. 25. I. Tim. 1. 13.

16. Si dixerimus meritum præcedere orationis, ut donum gratiæ consequatur, impetrando quidem oratio quidquid impetrat, evidenter donum Dei esse ostendit, ne homo existimet à seipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non utique posceretur: verumtamen ne saltem orationis putarentur præcedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, sed jam nec gratia esset, quia debita redderetur, etiam ipsa oratio inter gratiæ munera reperitur. *Quid enim oremus, ait Doctor gentium, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quid est autem, *interpellat*, nisi interpellare nos facit? Indigentis enim certissimum indicium est interpellare gemitibus. Nullius autem rei esse indigentem fas est credere Spiritum sanctum. Sed ita dictum est, *interpellat*, quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi, & gemendi inspirat affectum; sicut illud in Evangelio : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Neque enim & hoc ita fit de nobis tanquam nihil facientibus nobis. Adjuvatorum igitur Spiritus sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus facit.

V. De gratia & lib. arbit. cap. 14. n. 30. 31. & 32. *Rom.* 8. 26.

Matth. 10. 20.

17. Nam non esse intelligendum spiritum nostrum, de quo dictum est, *interpellat gemitibus inenarrabilibus*, sed Spiritum sanctum, quo nostra infirmitas adjuvatur, satis ipse demonstrat Apostolus: inde enim cepit. *Spiritus, inquit, adjuvat infirmitatem nos-*

Rom. 8. 26.

Ibid.

tr. am;

tram; deinde ita subjunxit: *Quid enim oramus, sicut oportet, nescimus, & cetera.* De hoc quippe Spiritu apertius alibi dicit: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba, Pater.* Ecce hic non dixit quod ipse Spiritus clamet orando; sed, *in quo clamamus, Abba Pater.* Alio tamen loco ait: *Quoniam filii Dei estis, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba, Pater.* Non hic ait, *in quo clamamus;* sed ipsum Spiritum clamantem dicere maluit, quo efficitur ut clamemus. Sicut sunt illa: *Ipse spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus; & Spiritus Patris vestri est, qui loquitur in vobis.*

18. Sicut ergo nemo rectè sapit, rectè intelligit, rectè consilio ac fortitudine prævalet, nemo scienter pius est, vel piè sciens, nemo timore casto Deum timet, nisi acceperit spiritum sapientiæ & intellectus, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis, & timoris Dei; nec habet quisquam virtutem veram, caritatem sinceram, continentiam religiosam, nisi per spiritum virtutis & caritatis & continentiæ: ita sine spiritu fidei non est rectè quispiam crediturus, nec sine spiritu orationis salubriter oraturus. Non quia tot sunt spiritus, sed omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividendis propria unicuique prout vult: quia Spiritus ubi vult spirat; sed quod fatendum est, aliter adjuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans adjuvat ut sint fideles, inhabitans adjuvat jam fideles.

19. QUOD est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum om-

Ibid. 15.

Gal. 4. 6.

Rom. 8. 26.
Matt. 10.
20.

I. Cor. 12.

11.

Joan. 3. 8.

CAPUT V.

omne bonum meritum nostrum, non in nobis faciat nisi gratia; & cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet quam munera sua? Sicut enim ab initio fidei misericordiam consecuti sumus, non quia fideles eramus, sed ut essemus, sic in fine, quo erit vita æterna, coronabit nos, sicut scriptum est, *in misericordione & misericordia.* Non itaque frustra Deo cantatur: *Et misericordia ejus præveniet me; & Misericordia ejus subsequetur me.* Unde & ipsa vita æterna, quæ utique in fine sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur: nec ideo quia non meritis datur; sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur. Ubi autem invenimus etiam vitam æternam gratiam nuncupari, habemus apud eundem gratiæ magnificentum defensorem Apostolum Paulum: *Stipendium, inquit, peccati mors est; gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.*

20. Vide, obsecro te, in quanta brevitate quam vigilanter verba posuerit: quibus diligenter consideratis, quæstionis hujus aliquantulum dilucescat obscuritas. Cum enim dixisset: *Stipendium peccati mors;* quis non eum congruentissimè & consequenter addere judicaret, si diceret: *Stipendium autem justitiæ vita æterna?* Et verum est: quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna. Aut si nollet dicere justitiæ, diceret fidei: quoniam justus ex fide vivit. Unde etiam & merces appellatur plurimis sanc-

2. sent.
dist. 23. Ex
muneribus.Ps al. 102
4.Ps. 58. 11.
Psal. 22. 6.V. lib. de
Gratia &
lib. arbit.
cap. 8. n. 19.
20. & 21.
Rom. 6. 22.

®

Abac. 2. 4.

Rom. 1. 17.

tarum Scripturarum locis : nusquam porro dicta est merces justitia vel fides , quia justitiæ vel fidei redditur merces. Quod est autem merces operanti , hoc militanti stipendium.

21. Sed beatus Apostolus adversus elationem , quæ usque adeo magnis tentat irrepere , ut & sibi propter ipsam dicat datum angelum satanæ , à quo colaphizaretur , ne verticem præsumptionis erigeret : adversus hanc ergo elationis pestem vigilantissimè militans : *Stipendium* , inquit , *peccati mors*. Rectè stipendium , quia debetur , quia dignè retribuitur , quia merito redditur. Deinde ne justitia de humano se extolleret bono merito , sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum , non à contrario retulit , dicens : Stipendium justitiæ vita æterna ; sed *gratia* , inquit , *Dei vita æterna*. Et hæc ne præter mediatorem aliqua alia via quæreretur , adjecit : *In Christo Jesu Domino nostro*. Tanquam diceret : Audito quòd stipendium peccati sit mors , quid te disponis extollere , ò humana , non justitia , sed nomine justitiæ planè superbia ? Quid te disponis extollere , & contrariam morti vitam æternam , tanquam debitum stipendium flagitare ? Cui debetur vita æterna , vera justitia est. Si autem vera justitia est , ex te non est , desursum est descendens à Patre luminum. Ut haberes eam , si tamen habes eam , profectò accepisti. Quid enim habes quod non accepisti ? Quapropter , ò homo , si accepturus es vitam æternam , justitiæ quidem stipendium est , sed tibi gratia est , cui gratia est & ipsa justitia. Tibi enim tanquam debita redderetur , si ex te tibi esset justitia cui debetur. Nunc verò de plenitudine ejus accepimus non solum

fac. 1. 17.

1. Cor. 4. 7.

gra-

gratiam , qua nunc justè in laboribus usque in finem vivimus , sed etiam gratiam pro hac gratia , ut in requie postea sine fine vivamus. Hoc nihil salubrius fides credit , quia nihil verius intellectus invenit. Et debemus audire Prophetam dicentem : *Nisi credideritis , non intelligetis.* Isai. 7. 9.
sec. LXX.

22. *SED excusabunt se* , inquit , *homines* , CAP. VI.
qui nolunt rectè & fideliter vivere , dicentes: Quid nos fecimus qui malè vivimus , quandoquidem gratiam unde bene viveremus , non accepimus? Non possunt veraciter dicere , nihil mali se fecisse , qui malè vivunt. Si enim nihil mali faciunt , bene vivunt : si autem malè vivunt , de suo malè vivunt , vel quod originaliter traxerunt , vel quod insuper addiderunt. Sed si vasa sunt iræ , quæ perfecta sunt ad perditionem , quæ illis debita redditur , sibi hoc impudent , quia ex ea massa facta sunt , quam propter unius peccatum , in quo omnes peccaverunt , meritò Deus justèque damnavit. Si autem vasa sunt misericordiæ , quibus ex eadem massa factis supplicium debitum reddere noluit , non se inflent , sed ipsum glorificent , qui eis misericordiam non debitam præstitit ; & si quid aliter sapiunt , & hoc quoque illis ipse revelabit.

23. Postremò quonam se isti excusabunt modo ? Nempe illo quem breviter tanquam ex eorum voce sibi objecit Apostolus , ut dicant : *Quid adhuc conqueritur ? Nam voluntati ejus quis resistit ?* Hoc est enim dicere : Quid de nobis fit querela , quòd Deum offendamus malè vivendo , cum illius voluntati nemo possit resistere , qui nos obduravit misericordiam non præstando ? Si ergo illos non pudet hac excusatione , non nobis , sed Apostolo con-

Rom. 9. 19.

M 2

tra-

Ibid. 20. 21. tradicere; cur nos pigeat eis quod dixit Apostolus, hoc idem atque identidem dicere: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa, utique merito rectèque damnata, facere aliud vas in honorem, indebitum propter misericordiæ gratiam, aliud in contumeliam, debitam propter iræ justitiam; & ut notas faciat divitiarum gloriæ suæ in vasa misericordiæ, sic ostendens quid eis largiatur, cum id supplicium recipient vasa iræ, quod pariter omnibus debebatur? SATIS SIT INTERIM christiano ex fide adhuc viventi, & nondum cernenti quod perfectum est, sed ex parte scienti, nosse vel credere quod neminem Deus liberet nisi gratuita misericordiâ per Dominum nostrum Jesum Christum; & neminem damnet nisi æquissima veritate per eundem Dominum nostrum Jesum Christum. Cur autem illum potius quam illum liberet aut non liberet, scrutetur qui potest iudiciorum ejus tam magnum profundum; verumtamen caveat præcipitium. Numquid enim*

Rom. 9. 14. est iniquitas apud Deum? Absit. Sed inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.

24. Et in majoribus dumtaxat ætatibus merito dici potest: Hi noluerunt intelligere, ut bene agerent: Hi, quod gravius est, intellexerunt, & non obedierunt: quia sicut scriptum est: *Verbis non emendabitur servus durus; si enim & intellexerit, non obediet.* Unde non obediet, nisi sua pessima voluntate? Cui gravior damnatio divina æquitate debetur. Cui enim plus datur, plus exigitur ab eo. Istos quippe Scriptura dicit inexcusabiles, quos non latet veritas, & in eis perseverat iniquitas. *Re-*

26-

velatur enim ira Dei de cælo, ait Apostolus, super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem in injustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ejus à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas, ut sint inexcusabiles. *Rom.* 1. 19. 20.

25. Si ergo istos inexcusabiles dicit, qui invisibilia illius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciere potuerunt, nec obedierunt tamen veritati, sed iniqui & impii permanserunt, neque enim non cognoverunt, sed *cognoscentes*, inquit, *Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt;* quanto magis inexcusabiles sunt, qui ex lege ejus instructi confidunt se ipsos duces esse cæcorum, & alios docentes, se ipsos non docent: qui prædicant non furandum, & furantur; & cetera quæ de ipsis Apostolus loquitur? Eis quippe dicit: *Propterea inexcusabilis es, ò homo omnis, qui judicas: in quo enim alium judicas, te metipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas.* *Ibid.* 21. *Rom.* 2. 1.

26. Dicit etiam ipse Dominus in Evangelio: *Si non venissem, & locutus eis fuisset, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Non utique peccatum nullum haberent, qui pleni erant aliis magnis multisque peccatis; sed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuisse, si non venisset, quo, cum audissent eum, non crediderunt in eum. Hanc eos excusationem non habere asserit, qua possint dicere: Non audivimus, ideo non credidimus. Humana quippe superbia tanquam præsumens de viribus liberi ar-

M 3

bi-

bitrii excusatam se putat, quando ignorantia, non voluntatis^a videtur esse quod peccat.

27. Secundum hanc excusationem, inexcusabiles dicit Scriptura divina quoscumque scientes peccare convincit. Dei tamen justum iudicium nec illis parcit, qui non audierunt. Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Et quamvis se ipsi excusare videantur, non admittit hanc excusationem, qui scit se fecisse hominem rectum, eique obedientia dedisse preceptum, nec nisi ejus, quo male usus est, libero voluntatis arbitrio, etiam quod transiret in posteros, manasse peccatum. Neque enim damnantur qui non peccaverunt, quandoquidem illud ex uno in omnes pertransit, in quo ante propria in singulis quibusque peccata omnes communiter peccaverunt. Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriae voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat; sive qui iudicat, sive qui non iudicat. Quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, poena peccati. Ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.

28. Ideo autem divina eloquia eos inexcusabiles dicunt, qui non ignorantes, sed scientes peccant, ut secundum iudicium superbiae suae, quo multum confidunt de viribus propriae voluntatis, se inexcusabiles videant; quia de ignorantia jam non habent excusationem suam, & nondum est justitia, cui praesentis

^a Lov. voluntatis est quod peccat. At editiones antiquiores & MSS. novem habent, videtur esse quod peccat.

^b Sic Bad. Am. Er. & melioris notae MSS. At Lov. habet, & dum non est &c.

sumebant sufficere voluntatem. At vero ille cui Dominus & sciendi & obediendi largitus est gratiam: *Per legem, inquit, cognitio peccati*; & *Peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Nec vult intelligi hominem preceptoris legis ignarum, sed liberatricis indignum gratia, ubi dicit: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem*; & cum hac non solum scientia, verum etiam & delectatione legis, postea dicit: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Nemo itaque liberat a vulneribus illius trucidatoris, nisi hujus gratia Salvatoris. Nemo liberat venundatos sub peccato a vinculis captivantis, nisi gratia redimentis.

29. Ac per hoc universi, qui se in nequitiiis & iniquitatibus excusatos volunt, ideo justissime puniuntur, quoniam qui liberantur, non nisi gratia liberantur. Nam si excusatio illic justa esset, non inde jam gratia, sed justitia liberaret. Cum vero non liberat, nisi gratia, nihil justum invenit in eo quem liberat, non voluntatem, non operationem, non saltem ipsam excusationem: nam si haec justa est, quisquis ea utitur, merito, non gratia liberatur. Novimus enim liberari per gratiam Christi quosdam etiam eorum, qui dicunt: *Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus quis resistit?* Quae si justa est excusatio, non jam gratuita gratia, sed propter hujus excusationis justitiam liberantur. Si autem gratia est qua liberantur, profecto haec excusatio justa non est. Tunc enim vera gratia est, qua homo liberatur, si non secundum debitum jus-

titia retribuitur. Nihil ergo fit in eis, qui dicunt: *Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus quis resistit?* nisi quod legitur in libro Salomonis: *Insapientia viri violat vias ejus: Deum autem causatur in corde suo.*

Prov. 19. 3.

30. Quamvis itaque Deus faciat vasa iræ in perditionem, ut ostendat iram, & demonstret potentiam suam, qua bene etiam utitur malis; & ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ facit in honorem, non damnabili massæ debitum, sed suæ gratiæ largitate donatum: tamen in eisdem iræ vasis propter meritum massæ in contumeliam debitam factis, id est, in hominibus propter naturæ quidem bona creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem quam rectissime veritas improbat, damnare novit ipse, non facere. Sicut enim voluntati ejus tribuitur humana natura, nullo dubitante laudanda; sic hominis voluntati culpa tribuitur, nullo recusante damnanda. Quæ voluntas hominis aut hereditarium vitium transmisit in posteros, quos in se habuit cum peccaret; aut adquisivit etiam cetera vitia, cum in seipso unusquisque perditè viveret. Sed neque ab illo quod originaliter trahitur, neque ab his quæ unusquisque in vita propria, vel ^a non intelligendo, vel nollendo intelligere, mala congregat, vel etiam instructus ex lege, additamento prævaricationis exaggerat; quisquam liberatur & justificatur, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solum remissione peccatorum, sed prius ipsius inspi-

^a In excussis deerat hęc negatio, quam restitimus quinque MSS. auctoritate.

ratione fidei & timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu & effectu, donec sanet omnes languores nostros, & redimat de corruptione vitam nostram, & coronet nos in miseratione & misericordia.

Psal. 102.
& Eccl.

CAP. VII.

31. VERUM isti, qui personarum acceptorem fieri existimant Deum, si in una eademque causa super alios veniat misericordia ejus, super alios verò maneat ira ejus, nempe totas vires argumentationis humanæ in parvulis perdunt. Nam ut interim taceam, quod non est præter parvulos, quàmlibet materno utero recentissimos, ea poena, de qua loquens Apostolus ait: *Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem*; unde non liberat nisi unus ille, de quo idem ait: *Per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ*: ut ergo hoc interim omitram, & hoc solum de parvulis dicam, quod ipsi quoque auctoritate evangelica terri, vel potius christianorum populorum concordissima fidei conspiratione perfracti, sine ulla recusatione concedunt, quod nullus parvulus, nisi renatus ex aqua & Spiritu, intrat in regnum cælorum: quam, quæso, allaturi sunt causam, quod alius sic gubernatur ut baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium prius quam ab eis baptizandus offeratur, expirat? An hoc fato vel fortunæ daturi sunt? Non opinor eos in tantam dementia prorupturos, quantumque nomen christianum tenere cupientes.

Rom. 5. 18.

Ibid.

32. Cur ergo in regnum cælorum, non accepto regenerationis lavacro, parvulus nullus

^a Sic omnes codices, excepto Lov. qui habet, *fieri*.

Ius intrabit? Numquidnam ipse sibi parentes infideles, vel negligentes de quibus nasceretur, elegit? Quid dicam de inopinatis, & repentinis innumerabilibus mortibus, quibus sæpe etiam religiosorum christianorum præveniuntur, & baptismo præripiuntur infantes; cum è contrario sacrilegorum & inimicorum Christi aliquo modo in christianorum manus venientes, ex hac vita non sine sacramento regenerationis emigrent? Quid hæc dicturi sunt, qui ut gratia dari possit, nonnulla præcedere merita humana contendunt, ne sit personarum acceptor Deus? Quæ tandem hæc merita præcesserunt? Si eorundem cogitaveris parvulorum, nulla sunt propria; utrisque est illa massa communis. Si parentum adtenderis, bona sunt illa quorum filii repentinis mortibus sine Christi baptismo perierunt; mala verò illa quorum filii per christianorum aliquam potestatem ad sacramenta Ecclesiæ pervenerunt. Et tamen providentia Dei, cui nostri capilli numerati sunt, sine cujus voluntate non cadit passer in terram, quæ nec fato premitur, nec fortuitis casibus impeditur, nec ulla iniquitate corrumpitur; ut renascantur ad hæreditatem cælestem, non consulit omnibus parvulis filiorum suorum, & nonnullis consulit etiam parvulis impiorum. Iste infans de fidelibus conjugatis ortus, lætitia parentum susceptus, matris vel nutricis somnolentia suffocatus, fit extorris, & expers fidei suorum: ille infans de sacrilego stupro nascitur, crudeli timore matris exponitur, alienorum misericordie pietate colligitur, eorum christiana sollicitudine baptizatur, fit æterni consors & particeps regni. Ista cogitent, ista considerent, hæc audeant dicere Deum vel acceptorem in sua

Matt. 10.
30.

sua gratia personarum, vel remuneratorem præcedentium meritorum.

33. Nam & si conabuntur majoris ætatis aliqua merita suspicari, seu bona seu mala; quid de istis infantibus dicent, quorum nec iste sibi ullis propriis meritis malis potuit adquirere violentiam suffocantis, nec bonis ille diligentiam baptizantis? Nimia vanitatis & cæcitatibus sunt, si etiam his consideratis nondum dignantur exclamare nobiscum: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Non itaque misericordiæ gratuita Dei pertinacissima adversentur insania. Sinant Filium hominis in qualibet ætate querere, & salvum facere quod perierat. Nec de inscrutabilibus judiciis ejus audeant judicare, cur in una eademque causa super alium veniat misericordia ejus, super alium maneat ira ejus.

Rom. 11.
33.

Lucæ 19.
10.

34. QUI enim sunt isti qui respondeant Deo, quandoquidem ille Rebeccæ habenti geminos ex uno concubitu Isaac patris nostri, cum illi nondum nati nihil egissent boni vel mali, ut secundum electionem propositum ejus maneret, electionem, scilicet, gratiæ, non debiti, electionem qua eligendos facit ipse, non invenit; non ex operibus, sed ex vocante dicit, minori servitutum esse majorem? In quam sententiam beatus Apostolus etiam testimonium Prophetæ longè posterioris assumpsit: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*: ut intelligeretur hoc apertum postea per Prophetam, quod antequam illi nascerentur, erat in Dei prædestinatione per gratiam. Quid enim diligebat in Jacob, antequam natus fecisset aliquid bo-

CAP. VIII.
Rom. 9. 10.

Mal. 1. 2.
3.

188 S. AUGUSTINI AD SIXTUM

boni, nisi gratuitum misericordiae suae donum? Et quid oderat in Esau, antequam natus fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat; neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse fecerat.

35. Mirum est autem cum his coartantur angustiis, in quanta se abrupta praecipitent metuentes retia veritatis. *Ideo*, inquit, *nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera praevidebat.* Quis istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando sibi velut adversantis objecta quaestione, non id potius tam breve, tam apertum, tam (sicut isti putant) verum absolutumque respondit. Cum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni aut mali, recte dici potuerit, quod unum Deus dilexerit, alium odio habuerit, ipsa sibi objecta quaestione motum exprimens auditoris: *Quid ergo dicemus*, inquit? *Numquid iniquitas apud Deum? Absit.* Hic ergo erat locus, ut diceret quod isti sentiunt: *Futura enim Deus opera praevidebat, quando minori majorem servitutum esse dicebat.* Non autem hoc Apostolus dicit, sed potius ne quisquam de suorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam & gloriam commendandam voluit valere quod dixit. Cum enim dixisset: *Absit, ut sit iniquitas apud Deum*; tamquam ei diceremus: Unde hoc ostendis, cum asseras non ex operibus, sed ex vocante dictum esse: Major serviet minori? *Moysi enim dicit*, inquit, *Miserebor cui misertus ero, & misericordiam praestabo cui misericors fue-*

Rom. 9. 14.

Ibidem 15.

16.

Exod. 33.

19.

70.

ro. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Ubi nunc merita, ubi opera, vel praeterita vel futura, tamquam liberi arbitrii viribus adimpleta, vel adimplenda? Nonne apertam protulit Apostolus de gratuita gratiae, hoc est, verae gratiae commendatione sententiam? Nonne stultam fecit Deus haereticorum sapientiam?

36. Quid autem agebatur, ut hoc Apostolus diceret, ut eorum geminorum commemoraret exemplum? Quid persuadere moliebatur? Quid inculcare cupiebat? Nempe hoc quod ipsorum oppugnat amentia, quod a superbi non capiunt, quod sapere nolunt, qui ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiae Dei non sunt subjecti. De ipsa quippe gratia satis agebat Apostolus, & ideo promissionis filios commendabat. Quod enim promittit Deus, non facit nisi Deus. Habet namque aliquid rationis & veritatis, ut homo promittat, & Deus faciat: ut autem homo se facere dicat quod promiserit Deus, superba impietatis est reprobis sensus.

37. Commendans ergo filios promissionis, hoc primum significatum ostendit, per Isaac filium Abrahæ. Evidentiùs namque opus Dei apparet in eo, quem non genuit usitatus ordo naturæ de sterilibus visceribus & senectute confectis; ut in filiis Dei, qui futuri praenuntiabantur, hoc esset signum divini operis, non humani. *In Isaac*, inquit, *vocabitur tibi semen: hoc est, non qui filii carnis, ii filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semen.* Promissionis enim verbum hoc est: *Ad hoc tempus veniam, & erit Sara*

Rom. 10. 3

Rom. 9. 7.

a Editi, superbia. At MSS. plures, superbi.

filius. Non solum autem, inquit, sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri. Quod pertinet ut adderet, ex uno concubitu, nisi ut non solum de suis, neque de parentum meritis aliorum, sed ne de ipsius quidem unius patris, mutata forte in melius voluntate, gloriaretur Jacob, dicens: Ideo se à Creatore dilectum, quia pater ejus, quando eum seminavit, melioribus laudabilior moribus fuit? Ex uno, inquit, concubitu: unum tunc ad eos seminandos meritum patris, unum ad concipiendos meritum matris. Quia etsi mater eos donec pareret visceribus portavit inclusos, & forte voluntates affectionesque variavit, non uni, sed ambobus utique variavit, quos pariter ventre portavit.

38. Intentio igitur intuenda est Apostoli, quomodo propter gratiam commendandam nolit eum, de quo dictum est, *Jacob dilexi*; nisi in Domino gloriari: ut cum ex eodem patre, eadem matre, uno concubitu, antequam aliquid egissent boni aut mali, alterum Deus diligit, odit alterum, intelligat Jacob ex illa massa originalis iniquitatis, ubi fratrem suum, cum quo habuit communem causam, videt per justitiam meruisse damnari, non nisi per gratiam se potuisse discerni. Nondum enim nascentibus, nec agentibus bonum aut malum, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Major serviet minori.

39. Electionem autem gratiæ nullis fieri operum præcedentibus meritis, alio loco apertissime idem Apostolus ostendens: *Sic ergo*, inquit, & *in hoc tempore reliquia secundum*

Rom. II. 5.
6.

dum electionem gratiæ salva facta sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Secundum hanc ergo gratiam, etiam propheticum testimonium consequenter assumens: *Sicut scriptum est*, inquit, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; & continuo: *Quid ergo dicemus?* inquit: *Numquid iniquitas est apud Deum? Absit.* Sed quare, absit? An propter opera quæ futura præciebat amborum? Imò & hoc absit. *Moyse enim dicit: Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Atque ut in vasis, quæ perfecta sunt in perditionem, quæ damnatæ debita est massæ, agnoscant vasa ex eadem massa in honorem facta, quid eis misericordia divina largita sit: *Dicit enim*, inquit, *Scriptura ad Pharaonem: Quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, & ut glorificetur nomen meum in universa terra.* Denique ad utrumque concludit: *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult obdurat.* Hoc facit apud quem non est iniquitas. Miseretur itaque gratuito dono, obdurat autem justissimo merito.

Rom. 9. 13.

Rom. 9. 15.

Exod. 33. 19.

Rom. 9. 17.

Exod. 9. 16.

40. Sed dicat adhuc, vel superbi infidelis elatio, vel puniti damnabilis excusatio: *Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus quis resistit?* Dicat, & audiat quod convenit homini: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Et cetera de quibus jam, quantum potui, satis ac sæpe disserui. Audiat hæc, & non contemnat. Quod si contemserit, etiam ut contemneret, se inveniat obduratum. Si autem non contemserit, etiam ut non contem-

Rom. 9. 19.

Ibid. 20.

ne-

neret, se credat adjutum; sed obduratum * debito, adjutum gratiâ.

CAPUT IX.

41. NEQUE enim si duorum de Isaac patriarcha geminorum (quod quidem jam ostendimus quanta cæcitate dicatur) futura prævidit Deus opera, qui vixerunt atque senuerunt; & propterea Jacob dilexit, Esau autem odio habuit; ideo moriturorum etiam parvulorum potest quisquam dicere, ut huic ad percipiendum baptismum non consulat, illi autem consulat, Deum futura opera eorum prævidere. Quomodo enim futura dicuntur, quæ nulla erunt?

42. *Sed Deus, inquit, in eis quos hinc aufert, prævidet, quemadmodum victurus esset quisque si viveret: & ideo quem nequiter novit fuisse victurum, sine baptismo facit emori, sic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, sed quæ facturus fuit.* Si ergo divinitus etiam quæ commissa non sunt, mala opera puniuntur; primò adtendant quàm falsò polliceantur in damnationem parvulos non ituros, qui sine baptismo moriuntur, qui propterea non baptizantur, quia malè victuri erant, si viverent: propter ipsam quippe malam vitam proculdubio damnabuntur, si etiam mala quæ fuerant futura damnantur. Deinde si eis ad percipiendum baptismatis consulitur sacramentum, quos novit Deus si viverent bene fuisse victuros, cur non omnes tenentur in vita, quam bonis operibus ornaturi sunt? Cur etiam eorum, qui baptizantur, quidam diu viventes pessimè vivunt, & usque ad apostasiam aliquando perveniunt? Cur ipsum primum conjugium peccat-

* MSS. duodecim, obduratum debito, adjutum gratis.

catorum, quos utique noverat Deus peccaturos, non de paradiso antè projecit, ne ibi committerent quod tam sancto loco esset indignum, si justè peccata etiam nondum commissa puniuntur? Quid denique præstatur ei, qui rapitur, ne malitia mutet intellectum ejus, & ne fictio decipiat animam ejus, si justè etiam illa puniuntur, quæ licèt non fecerit, fuerat tamen vivendo facturus? Postremò cur non ad percipiendum regenerationis lavacrum, ei magis consulitur morituro, qui malè fuerat victurus si viveret, ut ei peccata quæ fuerat commissurus, remittantur in baptismo? Quis enim est tam vecors, qui ea neget per baptismum posse dimitti, quæ sine baptismo dicit posse puniri?

43. SED disputando adversus eos, qui usquequaque convicti, etiam non commissorum peccatorum Deum persuadere moluntur ultorem, verendum est ne nos in eos ista fingere existimemur; illi autem nullo modo tam hebetes esse credantur, ut hæc vel sentiant, vel cuiquam persuadere conentur: verumtamen nisi eos hæc dicere audissem, refellenda esse non arbitrarer. Circumstipantur enim & divinarum auctoritate lectionum, & antiquitus tradito & retento firmo Ecclesiæ ritu in baptismo parvulorum, ubi apertissimè demonstrantur infantes, & cum exorcizantur, & cum ei se per eos, à quibus gestantur, renuntiare respondent, à diaboli dominatione liberari; & non inveniunt quæ exeat, pergunt in præcipitem stultitiam, dum nolunt mutare sententiam.

44. Illud sanè sibi videntur acutissimè dicere: *Quomodo peccatum transit in filios fidelium, quod in parentibus non dubitamus*

V. de Gen.
ad litte-
ram lib.
10. cap. 13.

dimissum esse per baptismum? Quasi propterea possit non habere generatio carnalis, quod sola tollit, regeneratio spiritalis; aut vero in baptismo concupiscentiæ carnis infirmitas continuò sanetur, sicut continuò reatus ejus aboletur, sed gratia renascendi, non conditione nascendi. Unde quisquis per hanc concupiscentiam etiam de renato nascitur, sine dubitatione oberit nato, nisi & ipse similiter renascatur. Verùm quidquid est in hac quæstione difficultatis, ita in agro Christi non impedit operarios ejus, quominus ab eis in remissionem peccatorum baptizentur infantes, sive de fidelibus, sive de infidelibus nati sint, sicut agricolas non impedit, quominus ab eis inserendi cura in oleas convertantur oleastri, sive de oleastris sive de oleis oriantur. Nam & hoc si, ut respondeat, rustico proponatur, quæ causa sit ut cum aliud sit olea, aliud oleaster, non tamen nisi oleaster de semine utroque nascatur; non omittit inserendi operationem, etiamsi non possit istam solvere quæstionem. Alioquin dum ex olivæ semine exorta virgulta non aliud quàm olea esse existimat, efficit desidia vanitatis, ut totus ille ager amara sterilitate silvescat.

45. Nam illud quod excogitaverunt, cum veritatis pondere premerentur, quia fidelis Dominus in verbis suis, & propterea ejus Ecclesia nullo modo fallaciter parvulos in remissionem peccatorum baptizat, sed ut fide agatur quod agitur, utique fit quod dicitur: quod ergo excogitaverunt, cum hæc eos apertissima moles veritatis urgeret, quis non christianus irrideat quàmlibet versutissimum cernat? Dicunt enim: *Veraciter quidem respondere parvulos per ora gestantium, in remissionem*

nem se credere peccatorum; non tamen quia sibi remittantur, sed quia credant quòd in Ecclesia vel in baptismo remittantur, in quibus inveniuntur, non in quibus nulla sunt. Ac per hoc nolunt eos ita baptizari in remissionem peccatorum tamquam in eis fiat ipsa remissio, quos contendunt nullum habere peccatum: sed quoniam licet sine peccato, in eo tamen baptismate baptizantur, quo fit in quibusque peccatoribus remissio peccatorum.

46. Fieri quidem potest ut hæc versipellis astutia subtilius & acutius ex otio refellatur: verumtamen secundum istam suam calliditatem non inveniunt quid ad hoc respondeant, quòd exorcizantur, & exsufflantur infantes; hoc enim proculdubio fallaciter fit, si diabolus eis non dominatur. Si autem dominatur, & ideo non fallaciter exorcizantur & exsufflantur, per quid dominatur nisi per peccatum princeps utique peccatorum? Proinde si jam erubescunt, nec audent dicere hæc in Ecclesia mendaciter geri, fateantur, quod perierat, etiam in parvulis quæri. Neque enim nisi propter peccatum perierat, quod nisi per gratiam non potest quæri, non potest inveniri. Sed Deo gratias, quòd saltem cum argumentantur contra remissionem peccatorum, ne fieri credatur in parvulis, jam tamen quamvis per corda & ora majorum credere parvulos confitentur. Sicut ergo audiunt Dominum dicentem: *Qui non renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum calorum;* propter quod eos baptizandos esse concedunt: sic audiant eundem Dominum dicentem: *Qui non crediderit, condemnabitur;* quia sicut eos renasci per

Joan. 3. 5.

Marci 16.
16.

ministerium baptizantium, ita etiam credere per corda & ora confitentium confitentur. Audeant ergo dicere, quòd à justo Deo innocens condemnabitur; si nullo vinculo peccati originalis innectitur.

47. Si sermo iste prolixus est, & onerosus occupationibus tuis, da veniam; quia ut hæc ad te scriberem, & occupatus litteris tuis indicibus erga nos benevolentia tua, tecum ista colloqueter, etiam ego vim feci interrumpendis occupationibus meis. Siqua illos alia excogitare adversus fidem catholicam scieritis, & quæcumque adversus eos, ne dominici gregis infirma devastent, vos quoque fideli & planè pastoralis dilectione disse- ritis, nota facite nobis. Hæreticorum quippe inquietudine, ut Scripturas vigilantius perscrutemur, unde, ne ovili Christi noceant, eis possit occurri, tamquam de somno ignavia nostra excitatur industria: ita per multiplicem gratiam Salvatoris, etiam quod inimicus in perniciem machinatur, Deus convertit in adiutorium; quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Semper in Deo vivas memor nostri, frater carissime.

Rom. 8. 28.

EPIS-

EPISTOLA CCXVII. *

Augustinus Vitali carthaginensi, delato quòd doceret initium fidei non esse donum Dei, reclamavit fortiter, ipsumque ex precibus ecclesie confutat, ac duodecim regulas proponit ad fidem ecclesie pertinentes circa quæstionem de gratia Dei.

AUGUSTINUS episcopus servus Christi, & per ipsum servus servorum ipsius, VITALI fratri in ipso salutem.

I. CUM de te mihi essent nuntiata non bona, & rogavi Dominum, & donec mihi bona nuntientur, adhuc rogo, ut litteras meas nec aspernanter sumas, & salubriter legas. Si hanc exaudit pro te orationem meam, etiam de te gratiarum actionem, donat, ut offeram. Quod si impetro, proculdubio non contradices huic ipsi principio epistolæ meæ. Hoc enim pro te oro, ut sis rectæ fidei. Si hoc ergo pro caris nostris non tibi displicet ut oremus, si hanc orationem recognoscis esse christianam, si & tu pro caris tuis talia vel orare te recolis, vel orare te debere cognoscis; quomodo dicis quod te audio dicere: *Ut rectè credamus in Deum, & Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis, id est, ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse?* Et ad hoc, cum audieris; Quid est ergo quod ait Apóstolus: *Deus in vobis operatur & velle, & perficere?* res-

* *Aliàs*
CVII.
quæ autem
217. *erat,*
nunc 59.

Scripta
circ. an.
427.
CAPUT I.

N 3

pon-

ministerium baptizantium, ita etiam credere per corda & ora confitentium confitentur. Audeant ergo dicere, quòd à justo Deo innocens condemnabitur; si nullo vinculo peccati originalis innectitur.

47. Si sermo iste prolixus est, & onerosus occupationibus tuis, da veniam; quia ut hæc ad te scriberem, & occupatus litteris tuis indicibus erga nos benevolentia tua, tecum ista colloqueter, etiam ego vim feci interrumpendis occupationibus meis. Siqua illos alia excogitare adversus fidem catholicam scieritis, & quæcumque adversus eos, ne dominici gregis infirma devastent, vos quoque fideli & planè pastoralis dilectione disse- ritis, nota facite nobis. Hæreticorum quippe inquietudine, ut Scripturas vigilantius perscrutemur, unde, ne ovili Christi noceant, eis possit occurri, tamquam de somno ignavia nostra excitatur industria: ita per multiplicem gratiam Salvatoris, etiam quod inimicus in perniciem machinatur, Deus convertit in adiutorium; quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Semper in Deo vivas memor nostri, frater carissime.

Rom. 8. 28.

EPIS-

EPISTOLA CCXVII. *

Augustinus Vitali carthaginensi, delato quòd doceret initium fidei non esse donum Dei, reclamavit fortiter, ipsumque ex precibus ecclesie confutat, ac duodecim regulas proponit ad fidem ecclesie pertinentes circa quæstionem de gratia Dei.

AUGUSTINUS episcopus servus Christi, & per ipsum servus servorum ipsius, VITALI fratri in ipso salutem.

I. CUM de te mihi essent nuntiata non bona, & rogavi Dominum, & donec mihi bona nuntientur, adhuc rogo, ut litteras meas nec aspernanter sumas, & salubriter legas. Si hanc exaudit pro te orationem meam, etiam de te gratiarum actionem, donat, ut offeram. Quod si impetro, proculdubio non contradices huic ipsi principio epistolæ meæ. Hoc enim pro te oro, ut sis rectæ fidei. Si hoc ergo pro caris nostris non tibi displicet ut oremus, si hanc orationem recognoscis esse christianam, si & tu pro caris tuis talia vel orare te recolis, vel orare te debere cognoscis; quomodo dicis quod te audio dicere: *Ut rectè credamus in Deum, & Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis, id est, ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse?* Et ad hoc, cum audieris; Quid est ergo quod ait Apóstolus: *Deus in vobis operatur & velle, & perficere?* res-

* *Aliàs*
CVII.
quæ autem
217. *erat,*
nunc 59.

Scripta
circ. an.
427.
CAPUT I.

N 3

pon-

pondes: *Per legem suam, per Scripturas suas, Deum operari ut velimus, quas vel legimus, vel audimus: sed eis consentire vel non consentire ita nostrum est, ut si velimus fiat; si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippe ille, dicit, quantum in ipso est ut velimus, cum nobis nota sunt ejus eloquia: sed si eis acquiescere nolumus, nos ut operatio ejus nihil in nobis prosit efficiamus. Quæ si dicitis, profecto nostris orationibus contradicis.*

2. Dic ergo apertissime nos pro iis, quibus Evangelium prædicamus, non debere orare ut credant, sed eis tantummodo prædicare. ^a Exsere contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas, & quando audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis ut eos Deus convertat ad fidem, & pro catechumenis ut eis desiderium regenerationis inspiret, & pro fidelibus ut in eo quod esse cœperunt, ejus munere perseverent; subsanna piæ voces, & dic te non facere quod hortatur: id est, Deum pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare, eo quod non sint ista divinæ miserationis beneficia, sed humanæ officia voluntatis. Et homo in carthaginensi eruditus ecclesia, etiam beatissimi Cypriani librum, *De dominica oratione* condemna, quam doctor ille cum exponeret, ea petenda esse ostendit à Deo patre, quæ tu dicitis esse homini ab homine, hoc est, à seipso.

3. Quod si de precibus ecclesiæ, & de martyre Cypriano parum putas esse quod dixi, au-

^a Editi, *Exerce*, At MSS. præstantiores, *Exsere*.

aude majora; reprehende Apostolum, qui dixit: *Oramus ad Deum, ne quid faciatis mali.* Neque enim dicturus es, nihil mali eum facere, qui non credit in Christum, aut qui fidem deserit Christi; ac per hoc qui dicit, *ne quid faciatis mali*, nec ista vult fieri: satisque ille non est præcipere, sed confitetur se Deum rogare ne fiant, sciens hominis voluntatem ab ipso corrigi ac dirigi, ut ista non faciat. *A Domino enim gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet.* Non dixit, et viam ejus discet, aut tenebit, aut ambulabit, aut aliquid hujusmodi, quod posses dicere à Domino quidem dari, sed homini jam volenti; ut scilicet beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, ut viam ejus discat, teneat, gradiatur, sua homo voluntate præcedat, & hoc Dei donum præcedente sua voluntate mereatur. Sed ideo dixit: *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet;* ut intelligeremus ipsam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere (quoniam Dei via quid est nisi fides recta?) illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit primitus ut velimus. Non enim ait Scriptura: *A Domino gressus hominis diriguntur*, quia viam ejus voluit; sed *diriguntur*, inquit, *& volet.* Non igitur quia voluit diriguntur, sed quia diriguntur volet.

4. HIC tu rursus fortasse dicturus es, hoc fieri à Domino, dum doctrina ejus legitur vel auditur, si homo veritati, quam legit vel audit, sua consentiat voluntate. *Si enim lateret eum*, inquis, *doctrina Dei, non dirigerentur gressus ejus, quibus directis vellet viam Dei.* Ac per hoc sic tantum putas à Domino gressus hominis dirigi ad eli-

gendam viam Dei, quia sine doctrina Dei non ei potest innotescere veritas, cui propria voluntate consentiat. Cui si consentit, inquis (quod in ejus libero arbitrio constitutum est) rectè utique dicuntur ab illo dirigi gressus ejus ut viam ejus velit, cujus doctrinam, suasionem præcedente, subsequente consensione sectatur; quod libertate naturali si vult facit, si non vult non facit, pro eo quod fecerit præmium, vel supplicium recepturus. Hæc est illa pelagianorum mala, malè diffamata, meritòque reprobata, & ab ipso etiam Pelagio timente damnari in orientalium episcoporum judicio damnata sententia, qua dicunt: Gratia Dei non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina; & usque adeo, frater, erimus graves corde, ut de gratia Dei, imò adversus gratiam Dei, eam pelagianam sententiam teneamus, quam pectore quidem ficto, sed tamen catholicos iudices timens Pelagius ipse damnavit?

5. Et quomodo, inquires, respondebitur? Quomodo censes facilius & apertius, quam ut illud quod de orando Deo superius egimus, sic amplectamur, ut hoc menti nostræ nulla subtrahat oblivionis irreptio, nulla caliditas argumentationis extorqueat? Si enim quod scriptum est: *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet; & præparatur voluntas à Domino; & Deus est enim qui operatur in vobis & velle;* & multa hujusmodi, quibus commendatur VERA DEI GRATIA, hoc est, quæ non secundum merita nostra datur, sed dat merita ipsa cum da-

v. lib. de Gestis Pelag. c. 14.

Psal. 36. 23.

Prov. 8. 35.

Sec. LXX.

Phil. 2. 13.

1 MSS. duo Vat. & unus è Gallic. si vult non facit.

datur; quia prævenit hominis voluntatem bonam, nec eam cujusquam invenit in corde, sed facit: si ergo ita præpararet, atque ita operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo legem suam atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta atque secreta sic ejus ageret sensum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum; proculdubiò eam legere, vel intelligere legendò, vel etiam exponere, ac prædicare sufficeret, nec opus esset orare, ut Deus ad fidem suam infidelium corda converteret, & conversis proficientem perseverantiam ejusdem gratiæ suæ largitate donaret. Si ergo hæc à Domino poscenda esse non renuis, quid restat, frater Vitalis, nisi ut ab illo ea donari fatearis, à quo poscenda esse consentis? Si autem negas ab illo nos poscere ista debere, eidem doctrinæ ipsius contradicis; quia & hoc in ea didicimus, ut ab illo ista poscamus.

6. Orationem dominicam nosti, nec dubito te Deo dicere: *Pater noster, qui es in caelis, &c.* Lege expositorem ejus beatissimum Cyprianum, & quemadmodum exposuerit quod ibi dicitur: *Fiat voluntas tua, sicut in caelo & in terra;* diligenter adtende, & obedienter intellige: profectò docebit te orare pro infidelibus inimicis Ecclesiæ, secundum præceptum Domini diceptis: *Orate pro inimicis vestris;* & hoc orare, ut fiat voluntas Dei, sicut in eis qui jam fideles sunt, & portant imaginem caelestis hominis, & propterea cæli nomine digni sunt; ita & in eis, qui per infidelitatem non nisi imaginem terreni hominis portant, & ob hoc terra meritò nuncupantur. Nempe isti, pro quibus inimi-

Matt. 6. 9.

Matth. 5. 44.

1. Cor. 15. 49.

cis

Mati. 6. 10.

cis Dominus nos iussit orare, & gloriosissimus martyr sic exposuit, quod in oratione dicimus: *Fiat voluntas tua, sicut in celo & in terra*; ut ipsis etiam poscamus fidem, quam fideles habent: nempe ergo isti christianæ pietatis inimici, legem Dei atque doctrinam, qua Christi prædicatur fides, vel omnino audire nolunt, vel ad hoc audiunt sive etiam legunt, ut irrideant, & detestentur, & quanta possunt contradictione blasphement. Inaniter igitur & perfunctorie potius quam veraciter pro eis, ut doctrinæ, cui adversantur, credendo consentiant, Deo fundimus preces, si ad ejus non pertinet gratiam convertere ad fidem suam ipsi fidei contrarias hominum voluntates. Inaniter etiam & perfunctorie potius quam veraciter magnas cum exultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, si hoc in eis ipse non facit.

7. Non fallamus homines, nam Deum fallere non valemus. Prorsus non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nosipsos, non illum, credimus facere quod oramus. Prorsus non gratias Deo agimus, sed nos agere fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus. Labia dolosa si in hominum quibuscumque sermonibus sunt, saltem in orationibus non sint. Absit ut quod facere Deum rogamus oribus & vocibus nostris, eum facere negemus cordibus nostris: & quod est gravius, ad alios etiam decipiendos, hoc non taceamus disputationibus nostris; & dum volumus apud homines defendere liberum arbitrium, apud Deum perdamus orationis auxilium, & gratiarum actionem non habeamus veram, dum veram non agnoscimus gratiam.

CAP. III.

8. Si verè volumus defendere liberum ar-

bitrium, non oppugnemus unde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam, qua nostrum ad declinandum à malo & faciendum bonum, liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captivum. Responde obsecro, quomodo dicit Apostolus: *Gratias agentes Patri idoneos facienti nos in parte sortis sanctorum in lumine; qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii caritatis suæ*; si non ipse arbitrium nostrum, sed ipsum arbitrium se liberat? Mendaciter ergo agimus gratias Patri, tamquam ipse faciat quod ipse non facit. Et erravit qui dixit, quod, *ipse nos faciat idoneos in parte sortis sanctorum in lumine, quia ipse nos eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii caritatis suæ*. Responde, quomodo ad declinandum à malo, & faciendum bonum, liberum habebamus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum? Unde nos si, quemadmodum dicit Apostolus, *Deus eruit*; ipse utique illud liberum fecit. Quod tam magnum nostrum bonum, si per suæ doctrinæ prædicationem tantummodo facit; quid de iis dicemus, quos de ipsa tenebrarum potestate nondum eruit: prædicanda tantum illis est doctrina divina, an etiam orandum pro eis, ut de tenebrarum potestate divinitus eruantur? Si tantummodo prædicandum esse dicis, jussioni Domini, & orationibus Ecclesiæ contradicis. Si autem fateris pro eis orandum, id utique orandum fateris, ut eidem doctrinæ arbitrio liberato à tenebrarum potestate consentiant. Ita fit ut neque fideles fiant, nisi libero arbitrio, & tamen illius gratia fideles fiant, qui eorum à potestate tenebrarum liberavit arbitrium. Sic & Dei gra-

Col. 1. 12.
& 13.

®

gratia non negatur, sed sine ullis humanis præcedentibus meritis vera monstratur; & liberum ita defenditur, ut humilitate solidetur, non elatione præcipitur arbitrium, & qui gloriatur, non in homine, vel quolibet alio, vel seipso, sed in Domino gloriatur.

Joan. 8. 44.

9. Potestas enim tenebrarum quid est nisi potestas diaboli & angelorum ejus, qui cum fuissent angeli lucis, in veritate per liberum arbitrium non stantes, sed inde cadentes, facti sunt tenebræ? Non te ista doceo, sed quæ nosti ut recorderis admonéo. Huic igitur potestati tenebrarum, per illius ruinam, cui primo homini ab ea potestate prævaricatio persuasa est, & in quo omnes cecidimus, subiectum est genus humanum: propter quod de hac potestate tenebrarum eruuntur & parvuli, cum regenerantur in Christo. Neque hoc apparet in eorum arbitrio liberato, nisi cum ad annos pervenerint ratione utentis ætatis, habentes consentientem doctrinæ salutari, in qua nutriti sunt, voluntatem, & in ea finientes istam vitam, si electi sunt in Christo ante constitutionem mundi, ut essent sancti & immaculati in conspectu ejus in caritate, prædestinati in adoptionem filiorum.

Eph. 1. 4.

10. Hæc autem potestas tenebrarum, id est, diabolus, qui dicitur etiam princeps potestatis aëris, operatur in filiis diffidentiae princeps iste rector tenebrarum, id est, ipsorum diffidentiae filiorum, regens eos ad arbitrium suum, quod neque ipse habet liberum ad benefaciendum, sed ad maximam malevolentiam poena sui sceleris obduratum: unde nemo sanæ fidei credit, aut dicit, hos apostatas angelos ad pristinam pietatem correcta aliquando voluntate converti. Quid ergo ope-

ra-

ratur hæc potestas in filiis diffidentiae, nisi opera sua mala, & in primis maximèque ipsam diffidentiam & infidelitatem, qua sunt inimici fidei, per quam scit eos posse mundari, posse sanari, posse perfectissimè liberari, quod eis vehementer invidet, in aternitate regnare? Itaque aliquos eorum, per quos amplius decipere affectat, sinit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudantur, per quasque gentes, præcipueque in gente romana, qui præclare gloriosissimèque vixerunt. Sed quoniam sicut veracissima Scriptura dicit: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; & *Sine fide impossibile est utique placere Deo*, non hominibus; nihil sic agit hic princeps, quàm ut non credatur in Deum, nec ad Mediatorem, à quo solvantur opera ejus, credendo veniatur.

Rom. 14.

23.

Heb. 11. 6.

11. Sed ipse Mediator intrat in domum fortis, id est, in hoc sæculum mortalium sub potestate diaboli, quantum ad ipsum pertinet, constitutum; de ipso quippe scriptum est, quod *potestatem habeat mortis*. Intrat in domum fortis, id est, in suo dominatu habentis genus humanum; & prius alligat eum, id est, ejus coërcet & cohibet potestatem, potestatis suæ fortioribus vinculis; & sic eripit vasa ejus quæcumque prædestinavit eripere, arbitrium eorum ab ejus potestate liberans, ut illo non impediante credant in istum libera voluntate. Proinde hoc opus est gratiæ, non naturæ. Opus est, inquam, gratiæ, quam nobis adtulit secundus Adam; non naturæ, quam totam perdidit in semetipso primus Adam. Opus est gratiæ tollentis peccatum, & vivificantis mortuum peccatorem; non opus legis ostendentis peccatum, nec à pec-

Matt. 12.

29.

Heb. 2. 14.

ca-

cato vivificantis. Nam ille magnus gratiæ præ-
Rom. 7. 7. dicator: *Peccatum*, inquit, *non cognovi, ni-*
Gal. 3. 21. *si per legem; & Si data esset*, inquit, *lex*
quæ posset vivificare, omnino ex lege esset
justitia. Opus est hoc gratiæ, quam qui ac-
 ciipiunt, doctrinæ salutari Scripturarum sanc-
 tarum, etsi fuerint inimici, fiunt amici; non
 opus ejusdem doctrinæ, quam qui audiunt, &
 legunt sine gratia Dei, peiores ejus efficiuntur
 inimici.

CAPUT IV.

12. NON est igitur gratia Dei in natura
 liberi arbitrii, & in lege atque doctrina, si-
 cut pelagiana perversitas desipit; sed ad sin-
 gulos actus datur illius voluntate, de quo
Ps. 67. 10. scriptum est: *Pluviam voluntariam segre-*
gabis, Deus, hæreditati tuæ. Quia & libe-
 rum arbitrium ad diligendum Deum primi
 peccati granditate perdidimus, & lex Dei at-
 que doctrina, quamvis sancta, & justa, & bo-
Rom. 7. 12. na, tamen occidit, si non vivificet Spiritus,
 per quem fit, non ut audiendo, sed ut obe-
 diendo, neque ut lectione, sed ut dilectione
 teneatur. Quapropter ut in Deum credamus,
 & piè vivamus, non volentis, neque curren-
Phil. 2. 12. tis, sed miserentis est Dei: non quia velle
 non debemus, & currere; sed quia ipse in no-
 bis & velle operatur, & currere. Unde & ip-
 se Dominus Jesus credentes à non credenti-
 bus, id est, ab iræ vasis vasa misericordiæ
Joan. 6. 66. discernens: *Nemo*, inquit, *venit ad me, ni-*
si fuerit ei datum à Patre meo. Et utique,
 ut hoc diceret, in ejus doctrina fuerant scan-
 dalizati discipuli ejus, qui eum postea non
 sunt secuti. Non ergo gratiam dicamus esse
 doctrinam, sed agnoscamus gratiam, quæ fac-
 cit prodesse doctrinam: quæ gratia si desit,
 vi-

videmus etiam obesse doctrinam.

13. Propterea Deus ut omnia futura ope-
 ra sua in prædestinatione præsciverit, sic illa
 disposuit, ut quosdam non credentes ad fi-
 dem suam, orationes credentium pro eis ex-
 audiendo, convertat; unde refutentur, & si
 ille est eis propitius, corrigantur, qui putant
 gratiam Dei esse naturam liberi arbitrii cum
 qua nascimur; aut gratiam Dei esse doctri-
 nam, quamvis utilem, quæ per linguas & lit-
 teras prædicatur. Non enim hoc oramus pro
 infidelibus, ut fiat eorum natura, id est, ut
 homines sint; aut ut doctrina eis prædicetur,
 quam malo suo audiunt, si non credunt; &
 plerumque pro eis oramus, qui cum legant
 vel audiant, nolunt credere: sed oramus, ut
 voluntas corrigatur, doctrinæ consentiatur, na-
 tura sanetur.

14. Jam verò ut perseverent in eo quod
 esse cœperunt; etiam pro se ipsis orant fide-
 les. Utile est quippe omnibus vel penè om-
 nibus propter humilitatem saluberrimam, ut
 quales futuri sint, scire non possint. Ad hoc
 dicitur: *Qui videtur stare, videat ne ca-* *i. Cor. 10.*
dat. Propter hujus timoris utilitatem ne re-
 generati & piè vivere incipientes, tamquam
 securi alta sapiamus, quidam non persevera-
 turi perseveraturis Dei permissione vel pro-
 visione ac dispositione miscentur; quibus ca-
 dentibus territi, cum timore & tremore gra-
 diamur viam justam, donec ex hac vita, quæ
 tentatio est super terram, transeamus ad aliam, *Job. 7. 1.*
 ubi jam non sit elatio comprimenda, nec
 contra ejus suggestiones tentationesque luc-
 tandum.

15. Sed de hac re, id est, cur quidam
 non permansuri in fide & sanctitate christiana,

tamen accipiant ad tempus hanc gratiam, & dimittantur hinc vivere donec cadant, cum possint rapi de hac vita, ne malitia mutet intellectum eorum, quod de sancto immatura ætate defuncto scriptum est in libro Sapientia; quærat quisque ut potuerit, & si inveni-erit præter hanc, quæ à me reddita est, aliam probabilem rationem, à rectæ fidei regula non recedens, teneat eam, & ego cum illo, si me non latuerit: verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus donec nobis Deus revelet, siquid aliter sapimus, sicut apostolicis litteris admonemur. Pervenimus autem in ea, quæ ad fidem veram & catholicam pertinere firmissimè scimus, in quibus ita nobis ambulandum est, adjuvante illo atque miserante, cui dicimus: *Deduc me, Domine, in via tua, & ambulabo in veritate tua; ut ab eis nullo modo deviemus.*

Phil. 3. 16.

Pr. 8. 11.

CAPUT V.
Duodecim
sententiæ
contra pe-
lagianos.
Sententia
I.

16. QUONIAM ergo proptio Christo christiani catholici sumus: Scimus nondum natos nihil egisse in vita propria boni seu mali, nec secundum merita prioris alicujus vitæ, a quam nullam propriam singuli habere potuerunt, in hujus vitæ venire miserias: sed tamen secundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere, nec liberari à supplicio mortis æternæ, quod trahit ex uno in omnes transiens justa damnatio, nisi per gratiam renascantur in Christo.

II. Scimus gratiam Dei nec parvulis nec majoribus secundum merita nostra dari.

III. Scimus majoribus ad singulos ætus dari.

Sci-

^a Sic MSS. duo Vat. & Gallicani omnes, necnon Bad. & Am. At Er. & Lov. habent, *quæ nulla propria.*

Scimus non omnibus hominibus dari, & IV. quibus datur, non solum secundum merita operum non dari, sed nec secundum merita voluntatis eorum quibus datur, quod maximè apparet in parvulis.

Scimus eis quibus datur, misericordia Dei V. gratuita dari.

Scimus eis quibus non datur, justo judicio VI. Dei non dari.

Scimus quod omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, non secundum ea quæ si diutius viveret, gesturus fuit, sive bonum sive malum.

Scimus etiam parvulos secundum ea quæ VIII.

per corpus gesserunt, recepturos vel bonum vel malum. Gesserunt autem non per seipsos, sed per eos quibus pro illis respondentibus, & renuntiare diabolo dicuntur, & credere in Deum; unde & in numero fidelium computantur, pertinentes ad sententiam Domini dicentis: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Propter quod & illis, qui hoc sacramentum non accipiunt, contingit quod sequitur: *Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Unde & ipsi, sicut dixi, si in illa parva ætate moriuntur, utique secundum ea quæ per corpus gesserunt, id est, tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda & ora gestantium crediderunt vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati sunt, quando carnem Christi manducaverunt vel non manducaverunt, quando & sanguinem biberunt vel non biberunt, secundum hæc ergo, quæ per corpus gesserunt, non secundum ea quæ si diu hinc viverent gesturi fuerant, judicantur.

Parvuli
baptizati à
fidei sacra-
mento fi-
deles di-
cuntur.
Marci 16.
16.

Tom. IV.

Sci-

- IX. Scimus felices esse mortuos, qui in Domino moriuntur, nec ad eos pertinere quidquam acturi fuerant, si tempore diuturniore vixissent.
- X. Scimus eos, qui corde proprio credunt in Dominum, sua id facere voluntate ac libero arbitrio.
- XI. Scimus pro eis, qui nolunt credere, nos qui jam credimus recta fide agere, cum Deum oramus ut velint.

XII. **ALB.** Scimus pro eis, qui ex illis crediderunt, tanquam de beneficiis, rectè atque veraciter & debere nos Deo agere gratias, & solere.

17. Recognoscis me, ut puto, in iis, quæ nos scire dixi, non omnia quæ ad fidem catholicam pertinent commemorare voluisse, sed ea tantum, quæ ad istam, quæ inter nos agitur, de Dei gratia quæstionem, utrum præcedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem; hoc est, ut planius id eloquar, utrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam Deus etiam hoc efficiat ut velimus. Si ergo istas duodecim sententias, quas nos dixi scire, ad fidem rectam & catholicam pertinere, etiam tu, frater, nobiscum tenes, ago Deo gratias; quas profectò non veraciter agerem, nisi gratia Dei fieret ut teneres. Quæ tibi tenenti nullum omninò remanet nobiscum de hac quæstione certamen.

CAPUT VI.

18. UT enim eadem duodecim brevi expositione percurram: Quomodo voluntatis humanæ meritum sequitur gratia; cum detur & parvulis, qui hoc nondum possunt velle seu nolle? Quomodo gratiam vel in majoribus dicuntur præcedere merita voluntatis; si gratia, ut vera sit gratia, non secundum merita nostra datur? Quam sententiam catholicam Pe-

la-

lagius ipse sic timuit, ut eos, qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari, sine dubitatione damnaret, ne à catholicis iudicibus damnaretur. Quomodo dicitur gratia Dei in natura esse liberi arbitrii, vel in lege atque doctrina; cum & istam sententiam Pelagius ipse damnaverit, proculdubio confitens gratiam Dei ad singulos actus dari, eis utique qui jam libero arbitrio utuntur?

19. Quomodo dicitur omnes homines eam fuisse accepturos, si non illi, quibus non donatur, eam sua voluntate respuerent, quoniam *Deus vult omnes homines salvos fieri*; cum multis non detur parvulis, & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem; & aliquando cupientibus festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente non detur, cum repente antequam detur expirat, pro quo, ut acciperet, currebatur? Unde manifestum est eos qui huic resistunt tam perspicuæ veritati, non intelligere omninò qua locutione sit dictum, quod *omnes homines vult Deus salvos fieri*; cum tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis. Sed sicut illud quod dictum est: *Omnes in Christo vivificabuntur*, cum tam multi æterna morte puniantur, ideo dictum est, quia omnes quicumque vitam æternam percipiunt, non percipiunt nisi in Christo: ita quod dictum est: *Omnes homines vult Deus salvos fieri*, cum tam multos nolit salvos fieri, ideo dictum est, quia omnes qui salvi fiunt, nisi ipso volente non fiunt; & siquo alio modo illa verba apostolica intelligi possunt, ut tamen huic apertissimæ veritati, in

1. Cor. 15.
22.

qua videmus, tam multos volentibus hominibus, sed Deo nolente, salvos non fieri, contraria esse non possint.

20. Quomodo ut detur gratia divina, voluntas meretur humana; si eis, quibus datur, gratuita misericordia datur, ut vera sit gratia? Quomodo in hac re merita pensantur voluntatis humanæ? quandoquidem illis, quibus gratia ista non datur, nullo plerumque merito, nulla voluntate distantibus, sed unam cum eis, quibus datur, habentibus causam, justo tamen iudicio Dei non datur (non enim est iniquitas apud Deum) ut intelligant quibus datur, quam gratis eis detur, quando justè utique non daretur, quoniam similem habentibus causam justè non datur.

Rom. 9. 14.

2. Cor. 5.
10.

21. Quomodo non gratiæ Dei est, non solum credendi voluntas ab initio, verum etiam perseverandi usque in finem; cum finis ipse vitæ hujus non in hominis, sed in Dei sit potestate; & possit utique Deus etiam hoc beneficium non perseveraturo conferre, ut rapiatur ex corpore, ne malitia mutet intellectum illius? Non enim recipiet homo seu bonum seu malum, nisi secundum ea, quæ per corpus gessit, non secundum ea, quæ, si diutius viveret, gesturus fuit.

22. Quomodo dicitur, propterea quibusdam non dari, quibusdam morituris parvulis Dei gratia dari, quia eorum futuras prævidet voluntates, quas habituri essent si viverent; cum secundum ea, quæ per corpus gessit, non secundum ea, quæ gesturus esset, si diutius fuisset in corpore, unusquisque recipiat sive bonum sive malum, sicut Apostolus definit? Quomodo secundum voluntates suas futuras homines judicantur, quas habituri fuisse dicuntur,

euntur, si diutius tenerentur in carne, cum dicat scriptura: *Felices mortui, qui in Domino moriuntur?* Quorum sine dubio certa, & secunda felicitas non est, si & ea, quæ non egerunt, sed acturi fuerant, si esset eis hæc vita prolixior, judicabit Deus: nullumque accipit beneficium, qui rapitur ne malitia mutet intellectum ejus; quia & pro illa malitia, cui forsitan imminente subtractus est, poenæ luit: nec gaudendum est de iis, quos in fide recta & vita bona novimus esse defunctos, ne secundum aliqua scelera judicentur, quæ fuerant, si viverent, fortasse facturi: nec dolendi vel detestandi sunt ii, qui vitam istam in infidelitate ac perditis moribus finierunt, quia fortè si viverent, acturi fuerant poenitentiam, piæque victuri, & secundum ista sunt iudicandi: totusque ille *De Mortalitate* liber gloriosissimi martyris Cypriani reprobatus & abjiciendus est, in quo tota ejus intentio est, ut sciamus bonis fidelibus gratulandum esse morientibus, quando hujus vitæ tentationibus auferuntur, deinceps in beatissima securitate mansuri. Sed quoniam hoc falsum non est, & sine dubitatione *felices sunt mortui, qui in Domino moriuntur*; ridendus est & execrandus error, quo putatur quòd homines secundum suas futuras, quæ morientium non sunt futuræ, iudicandi sunt voluntates.

23. Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quisquis suo corde credit in Deum, non nisi sua libera credere voluntate; cum potius illi oppugnent arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, qua verè ad bona eligenda & agenda fit liberum? Quomodo dicitur, quòd per legem Dei atque doctrinam

Prov. 8. 35.
Sec. LXX.

scripturarum fiat, quod eadem Scriptura dixit: *Præparatur voluntas à Domino*, ac non potius per occultam inspirationem gratiæ Dei; quandoquidem pro eis, qui eidem doctrinæ contradicentes nolunt ei credere, ipsum Deum fide recta rogamus, ut velint?

24. Quomodo Deus expectat voluntates hominum, ut præveniant eum quibus det gratiam; cum gratias ei non immeritò agamus de iis, quibus non ei credentibus, & ejus doctrinam voluntate impia persequentibus, misericordiam prærogavit, eosque ad seipsum omnipotentissima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit: Ut quid ei inde gratias agimus, si hoc ipse non fecit? Ut quid tanto magis eum magnificamus, quanto magis nolebant credere, quos credidisse gaudemus, si gratia divina voluntas in melius non mutatur humana? Apostolus Paulus: *Eram, inquit, ignotus facie ecclesiis Judææ, quæ sunt in Christo; tantum autem audiebant, quia qui aliquando nos persequabatur, nunc evangelizat fidem, quam aliquando vastabat; & in me magnificabant Deum.* Ut quid magnificabant Deum, si non Deus ad seipsum cor illius viri suæ gratiæ bonitate converterat, quando ut ipse confitetur, misericordiam consecutus est, ut fidelis esset, ea fide, quam aliquando vastabat? Ipsum etiam verbum quod posuit, quem nisi Deum hoc tam magnum bonum fecisse declarat? Quid est enim, *in me magnificabant Deum*, nisi in me Deum magnificum prædicabant? Quomodo autem eum magnificum prædicabant, si magnum illud factum de Pauli conversione ipse non fecerat? Et quo pacto ipse fecerat, si volentem credere ex nolente ipse non fecerat?

Gal. 1. 22.
Ec.

1. Cor. 7.
25.

Nem-

25. Nempe manifestum est ex illis duodecim sententiis, quas pertinere ad catholicam fidem negare non sineris, non solum omnibus, verum etiam singulis id confici, ut confiteamur gratia Dei præveniri hominum voluntates, & per hanc eas potius præparari, quam propter earum meritum dari. Aut si aliquid earum duodecim esse verum negas, quarum propterea commendo etiam numerum, ut facilius memoriæ mandentur, distinctiusque teneantur, non te pigeat rescribere ut sciam, & ea, quam mihi Dominus dederit, facultate respondeam. Ego enim hæreticum quidem pelagianum te esse non credo: sed ita te esse volo, ut nihil illius ad te transeat, vel in te relinquatur erroris.

26. SED inter hæc duodecim reperies fortasse aliquid, quod negandum vel dubitandum putes, & unde nos operosius disputare compellas. Numquid & orare prohibebis ecclesiam pro infidelibus, ut sint fideles; pro iis qui nolunt credere, ut velint credere; pro iis qui ab ejus lege doctrinaque dissentiant, ut legi ejus doctrinaque consentiant; ut det illis Deus quod per prophetam promisit, cor cognoscendi eum, & aures audiendi, quas utique acceperant, de quibus Salvator ipse dicebat: *Qui habet aures audiendi, audiat?* Numquid ubi audieris sacerdotem Dei ad ejus altare populum hortantem ad Deum orandum, vel ipsum clara voce orantem, ut incredulas gentes ad fidem suam venire compellat, non respondebis, Amen? An etiam hujus fidei sanitati contraria disputabis? Numquid beatissimum Cyprianum in hoc errasse clamabis vel surrabis, ubi pro inimicis fidei christianæ, ut etiam ipsi ad eam convertantur, orare nos docet?

CAP. VII.

Baruch. 2.

31.

Matt. 13.

9.

o 4

Num-

27. Numquid postremò Apostolum Paulum pro judæis infidelibus habentem talia vota culpabis? De quibus ait: *Bona voluntas quidem cordis mei, & deprecatio ad Deum sit pro illis in salutem.* Qui etiam Thessalonicensibus dicit: *De cetero, fratres, orate pro nobis, ut verbum Domini currat & glorificetur, sicut etiam apud vos; & ut eruamur ab iniquis & malis hominibus. Non enim omnium est fides.* Quomodo curreret & glorificaretur verbum Dei, nisi ad fidem conversis eis, quibus prædicaretur; quandoquidem jam credentibus dicit: *Quemadmodum & apud vos?* Scit certè hoc ab illo fieri, quem vult rogari ut hoc faciat, ut etiam eruatur ab iniquis & malis hominibus; qui profectò & illis orantibus non erant credituri. Propter quod addidit: *Non enim est omnium fides;* tamquam diceret: Non enim apud omnes etiam vobis orantibus glorificabitur verbum Dei. Quia ipsi utique fuerant credituri, qui ordinati erant in vitam æternam, prædestinati in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, & electi in ipso ante mundi constitutionem: sed ideo Deus per orationes credentium nondum credentes credere facit, ut ostendat quia ipse facit. Nemo est enim tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat Deum facere, quod rogari se præcepit ut faciat.

28. Hæc & alia testimonia divina, quæ commemorare longum est, ostendunt Deum gratia sua auferre infidelibus cor lapideum, & prævenire in hominibus bonarum merita voluntatum: ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur. Hoc & gratiarum

rum actio indicat quod oratio; oratio pro infidelibus, gratiarum actio pro fidelibus. Qui enim est orandus ut faciat, illi est actio gratiarum reddenda cum fecerit. Unde idem dicit Apostolus ad Ephesios: *Propter hoc & ego audita fide vestra in Domino Jesu, & dilectione in omnes sanctos, non cesso gratias agere pro vobis.*

29. Loquimur autem nunc de ipsis initiis, cum homines qui erant aversi & adversi, convertuntur ad Deum, & velle incipiunt quod nolebant, & habere fidem, quam non habebant; quod ut fiat in eis, oratur pro eis, quamvis non oretur ab eis. Ipsi enim quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Cum vero factum fuerit quod oratur, ei qui fecit aguntur gratiæ, & pro eis & ab eis. De orationibus autem jam fidelium, quas & pro se, & pro aliis fidelibus faciunt, ut proficiant in eo, quod esse cœperunt, & de gratiarum actionibus quia proficiunt, consilendum esse tecum non puto: contra pelagianos est iste conflictus, tibi nobisque communis. Illi quippe omnia ad fidelem piamque vitam hominum pertinentia ita tribuunt libero voluntatis arbitrio, ut habenda ex nobis, non à Domino putent esse poscenda; tu autem si ea, quæ de te audio, vera sunt, initium fidei, ubi est etiam initium bonæ, hoc est, piæ voluntatis, non vis donum esse Dei, sed ex nobis nos habere contendis ut credere incipiamus; cetera autem religiosæ vitæ bona Deum per gratiam suam jam ex fide petentibus, quærentibus, pulsantibus donare consentis. Nec adtendis ideo pro infidelibus Deum rogari ut credant, quoniam Deus donat & fidem; ideo pro eis & qui crediderint Deo gratias

tias agi, quoniam donavit & fidem.

30. Quamobrem ut hunc ad te sermonem aliquando concludam, si negas orandum esse, ut qui nolunt credere velint credere; si negas agendas esse Deo gratias, quoniam credere voluerunt qui nolebant credere; aliter tecum agendum est, ut non sic erres, aut si errare persistis, ne mittas alios in errorem. Si autem, quod de te magis credo, sentis atque consentis orare nos Deum debere ac solere pro nolentibus credere, ut velint credere, & pro eis qui adversantur & contradicunt legi ejus atque doctrinæ, ut ei credant eamque sectentur; si sentis atque consentis debere nos etiam Deo agere gratias ac solere pro talibus, cum ad fidem ejus doctrinamque conversi volentes ex nolentibus fiunt; oportet sine dubitatione fatearis voluntates hominum Dei gratia præveniri, & ut bonum velint homines, quod nolebant, Deum facere, qui rogatur ut faciat, & cui nos novimus agere gratias dignum & justum esse cum fecerit. Dominus tibi det intellectum in omnibus, domine frater.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

IN LIBRUM

DE GRATIA

ET LIBERO ARBITRIO,

LIBRI II. RETRACTATIONUM CAP. LXVI.

PROPTER eos, qui cum defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, asserentes eam secundum merita nostra dari, scripsi librum, cujus titulus est: *De gratia & libero arbitrio*. Ad eos autem scripsi monachos^a Adrumetinos, in quorum monasterio de hac re cœperat esse contentio, ita ut me consulere aliqui eorum cogerentur. Hic liber sic incipit: *Propter eos qui liberum hominis arbitrium sic prædicant.*

AU-

^a Adrumetum Africae urbs maritima, Byzacena provinciae metropolis fuit, ut scribit Procopius in lib. 6. de ædificiis Justiniani. Ibi cœnobium ab illis monachis incolebatur, in quorum gratiam Augustinus duos sequentes libros, priorem *de Gratia & libero arbitrio*, posteriorem *de Correctione & gratia* prænotatum concrispsit, anno Christi 426. aut 427. Non enim hos libros post id tempus differri posse arbitramur; quia in retractationibus circiter annum 427. editis memorantur: sed nec antè collocari; quia postremum ibidem locum occupant.

✻—————✻
AUGUSTINI AD VALENTINUM

ET CUM ILLO MONACHOS ADRUMETINOS

EPISTOLÆ DUÆ SIMUL *

CUM SUBSEQUENTE LIBRO TRANSMISSÆ.

*Vide epis-
tolam pos-
teriore[m]
n. 2.*

Epistola prior, inter Augustinianas CCXIV.

Domino dilectissimo, & in Christi membris
honorando fratri VALENTINO, & fratribus qui
tecum sunt, AUGUSTINUS in Domino
salutem.

1. **V**ENERUNT ad nos duo juvenes,
Cresconius & Felix, de vestra congregatio-
ne se esse dicentes, qui nobis retulerunt, mo-
nasterium vestrum nonnulla dissensione turba-
tum, eo quod quidam in vobis sic gratiam
predicent, ut negent hominis esse liberum ar-
bitrium; & quod gravius est, dicant, quod
in die iudicii non sit redditurus Deus uni-
cuique secundum opera ejus. Etiam hoc ta-
men indicaverunt, quod plures vestrum non
ita sentiant, sed liberum arbitrium adjuvari
fateantur per Dei gratiam, ut recta sapiamus
atque faciamus; ut cum venerit Dominus red-
dere unicuique secundum opera ejus, inveni-
at opera nostra bona, quæ præparavit Deus
ut in illis ambulemus. Hoc qui sentiunt, bene
sentiant.

*Matth. 16.
27. & Rom.
2.7.*

Eph. 2. 10.

1. Cor. 1. 10.

2. *Obsecro itaque vos, fratres, sicut Co-
rinthios obsecravit Apostolus, per nomen Do-
mini nostri Jesu Christi, ut id ipsum di-
catis omnes, & non sint in vobis schisma-*

ta.

ta. Primò enim Dominus Jesus, sicut scrip-
tum est in Evangelio Joannis Apostoli: *Non venit ut judicaret mundum, sed ut salva-
retur mundus per ipsum.* Postea verò, sicut
scribit Apostolus Paulus: *Judicabit Deus mundum quando venturus est,* sicut tota
Ecclesia in symbolo confitetur, *Judicare vi-
vos & mortuos.* Si igitur non est Dei gra-
tia, quomodo salvat mundum? Et si non est
liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?
Proinde librum vel epistolam meam, quam
secum ad nos supra dicti adtulerunt, secundum
hanc fidem intelligite, ut neque negetis
Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic de-
fendatis, ut à Dei gratia separetis, tamquam
sine illa vel cogitare aliquid vel agere se-
cundum Deum ulla ratione possimus, quod om-
nino non possumus. Propter hoc enim Do-
minus cum de fructu justitiæ loqueretur, ait
discipulis suis: *Sine me nihil potestis facere.*

Joan. 3. 17.

Rom. 3. 6.

Joan. 15.

3. Unde supra dictam epistolam * ad Six-
tum romanæ ecclesiæ presbyterum contra no-
vos hæreticos pelagianos noveritis esse cons-
criptam, qui dicunt gratiam Dei secundum
merita nostra dari, ut qui gloriatur, non in
Domino, sed in se ipso gloriatur, hoc est,
in homine, non in Domino. Quod prohibet
Apostolus, dicens: *Nemo gloriatur in homi-
ne.* Et alio loco: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Illi verò hæretici se ip-
sos à se ipsis justos fieri putantes, quasi hoc
eis non dederit Deus, sed ipsi sibi, non uti-
que in Domino, sed in semetipsis gloriatur.
Talibus enim dicit Apostolus: *Quis enim te
discernit?* Quod ideo dicit, quia de massa
illius perditionis quæ facta est ex Adam, non
discernit hominem, ut eum faciat vas in ho-
no-

*5. Epistola
194.*

*1. Cor. 3.
21.*

1. Cor. 1. 31.

*2. Cor. 10.
17.
1. Cor. 4. 7.*

✻—————✻
AUGUSTINI AD VALENTINUM

ET CUM ILLO MONACHOS ADRUMETINOS

EPISTOLÆ DUÆ SIMUL *

CUM SUBSEQUENTE LIBRO TRANSMISSÆ.

*Vide epis-
tolam pos-
teriore*

n. 2.

Epistola prior, inter Augustinianas CCXIV.

Domino dilectissimo, & in Christi membris
honorando fratri VALENTINO, & fratribus qui
tecum sunt, AUGUSTINUS in Domino
salutem.

1. **V**ENERUNT ad nos duo juvenes,
Cresconius & Felix, de vestra congregatio-
ne se esse dicentes, qui nobis retulerunt, mo-
nasterium vestrum nonnulla dissensione turba-
tum, eo quod quidam in vobis sic gratiam
predicent, ut negent hominis esse liberum ar-
bitrium; & quod gravius est, dicant, quod
in die iudicii non sit redditurus Deus uni-
cuique secundum opera ejus. Etiam hoc ta-
men indicaverunt, quod plures vestrum non
ita sentiant, sed liberum arbitrium adjuvari
fateantur per Dei gratiam, ut recta sapiamus
atque faciamus; ut cum venerit Dominus red-
dere unicuique secundum opera ejus, inveni-
at opera nostra bona, quæ præparavit Deus
ut in illis ambulemus. Hoc qui sentiunt, bene
sentiant.

*Matth. 16.
27. & Rom.
2.7.*

Eph. 2. 10.

1. Cor. 1. 10.

2. *Obsecro itaque vos, fratres, sicut Co-
rinthios obsecravit Apostolus, per nomen Do-
mini nostri Jesu Christi, ut idipsum di-
catis omnes, & non sint in vobis schisma-*

ta.

ta. Primò enim Dominus Jesus, sicut scrip-
tum est in Evangelio Joannis Apostoli: *Non venit ut judicaret mundum, sed ut salva-
retur mundus per ipsum.* Postea verò, sicut
scribit Apostolus Paulus: *Judicabit Deus mundum quando venturus est,* sicut tota
Ecclesia in symbolo confitetur, *Judicare vi-
vos & mortuos.* Si igitur non est Dei gra-
tia, quomodo salvat mundum? Et si non est
liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?
Proinde librum vel epistolam meam, quam
secum ad nos supra dicti adtulerunt, secundum
hanc fidem intelligite, ut neque negetis
Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic de-
fendatis, ut à Dei gratia separetis, tamquam
sine illa vel cogitare aliquid vel agere se-
cundum Deum ulla ratione possimus, quod om-
nino non possumus. Propter hoc enim Do-
minus cum de fructu justitiæ loqueretur, ait
discipulis suis: *Sine me nihil potestis facere.*

Joan. 3. 17.

Rom. 3. 6.

Joan. 15.

3. Unde supra dictam epistolam * ad Six-
tum romanæ ecclesiæ presbyterum contra no-
vos hæreticos pelagianos noveritis esse cons-
criptam, qui dicunt gratiam Dei secundum
merita nostra dari, ut qui gloriatur, non in
Domino, sed in se ipso gloriatur, hoc est,
in homine, non in Domino. Quod prohibet
Apostolus, dicens: *Nemo gloriatur in homi-
ne.* Et alio loco: *Qui gloriatur, in-
Domino gloriatur.* Illi verò hæretici se ip-
sos à se ipsis justos fieri putantes, quasi hoc
eis non dederit Deus, sed ipsi sibi, non uti-
que in Domino, sed in semetipsis gloriatur.
Talibus enim dicit Apostolus: *Quis enim te
discernit?* Quod ideo dicit, quia de massa
illius perditionis quæ facta est ex Adam, non
discernit hominem, ut eum faciat vas in ho-
no-

*5. Epistola
194.*

*1. Cor. 3.
21.*

1. Cor. 1. 31.

*2. Cor. 10.
17.
1. Cor. 4. 7.*

no-

Rom. 9. 21. norem, non in contumeliam, nisi Deus. Sed quoniam homo carnalis & inaniter inflatus cum audisset: *Quis enim te discernit?* posset respondere vel voce vel cogitatione, & dicere: Discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit me justitia mea; mox Apostolus occurrit cogitationibus ejus, & dixit: *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperint, qui se à se ipsis justificari putant; ac per hoc in semetipsis, non in Domino gloriantur.*

1. Cor. 4. 7.

4. Propter quod ego in hac epistola, quæ ad vos pervenit, probavi per testimonia sanctarum Scripturarum, quæ ibi potestis inspicere, & bona opera nostra, & pias orationes, & rectam fidem nullo modo in nobis esse potuisse, nisi hæc acciperemus ab illo, de quo dicit Apostolus Jacobus: *Omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Nec quisquam dicat meritis operum suorum, vel meritis orationum suarum, vel meritis fidei suæ, sibi traditam Dei gratiam, & putetur verum esse quod illi hæretici dicunt, gratiam Dei

Jac. 1. 17.

Merita in nobis seu bona seu mala.

Rom. 3. 6.

Ps. 58. 11.

secundum merita nostra dari; quod omnino falsissimum est: non quia nullum est meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum (alioquin quomodo judicabit Deus mundum?) sed misericordia & gratia Dei convertit hominem, de qua Psalmus dicit: *Deus meus, misericordia ejus præveniet me;* ut justificetur impius, hoc est, ex impio fiat justus, & incipiat habere meritum bonum, quod Deus coronabit quando judicabitur mundus.

Mul-

5. Multa erant, quæ vobis mittere cupiebam; quibus lectis, totam ipsam causam, quæ conciliis episcopalibus acta est adversus eosdem pelagianos hæreticos, diligentius & plenius nosse possetis: sed festinaverunt fratres, qui ex numero vestro ad nos venerunt; per quos vobis non rescripsimus ista, sed scripsimus. Nullas enim ad nos vestræ caritatis litteras adtulerunt: tamen suscepimus eos, quoniam simplicitas eorum satis indicabat, nihil illos nobis potuisse confingere. Ideo autem festinaverunt, ut apud vos agerent Pascha, quò possit adjuvante Domino tam sanctus dies vestram pacem quam dissensionem potius invenire.

6. Melius autem facietis (quod multum rogo) si ipsum, à quo dicunt se fuisse turbatos, ad me mittere non gravemini. Aut enim non intelligit librum meum, aut forte ipse non intelligitur, quando difficillimam quæstionem, & paucis intelligibilem, solvere atque enodare conatur. Ipsa est enim quæstio de gratia Dei, quæ fecit ut homines non intelligentes putarent Apostolum Paulum dicere: *Faciamus mala, ut veniant bona.* Unde Apostolus Petrus in secunda epistola sua: *Quapropter, inquit, carissimi, hæc expectantes, satagite involati & immaculati apud eum reperiri in pace, & Domini nostri patientiam salutem existimate. Sicut & dilectissimus frater noster Paulus secundum eam quæ data est ei sapientiam scripsit vobis, ut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles homines pervertunt sicut & ceteras Scripturas, ad proprium suum interitum.*

Rom. 3. 8.

2. Pet. 3.

14. & seq.

Ca-

7. Cavete ergo quod tantus Apostolus tam terribiliter dicit: & ubi sentitis vos non intelligere, interim credite divinis eloquiis, quia & liberum est hominis arbitrium, & gratia Dei, sine cuius adiutorio liberum arbitrium nec converti potest ad Deum, nec proficere in Deo. Et quod piè creditis, ut etiam sapienter intelligatis orate. Et ad hoc ipsum enim, id est, ut sapienter intelligamus, est utique liberum arbitrium. Nisi enim libero arbitrio intelligeremus atque saperemus, non nobis præciperetur, dicente Scriptura: *Intelligite ergo, qui insipientes estis in populo, & stulti, aliquando sapite.* Eo ipso quippe quo præceptum & imperatum est, ut intelligamus atque sapiamus, obedientia nostra requiritur, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio. Sed si posset hoc ipsum sine adiutorio Dei gratiæ fieri per liberum arbitrium, ut intelligeremus atque saperemus; non diceretur Deo: *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua:* neque in Evangelio scriptum esset: *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas:* nec Iacobus Apostolus diceret: *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non impropert, & dabitur ei.* Potens est autem Dominus qui & vobis donet & nobis, ut de vestra pace & pia consensione nuntiis celerrimis gaudeamus. Saluto vos, non solum meo nomine, sed etiam fratrum qui mecum sunt, & rogo ut pro nobis concorditer atque instanter oretis. Sit vobiscum Dominus.

Pral. 93.8.

Pral. 118. 73.

Luc. 24.45.

Fac. 1. 5.

Epis-

*Epistola posterior, inter Augustinianas
CCXV.*

Domino dilectissimo & in Christi membris honorando fratri VALENTINO, & fratribus qui tecum sunt, AUGUSTINUS in Domino salutem.

1. CRESCONIUM, Felicem, & alium Felicem, Dei servos, qui ex vestra congregatione ad nos venerunt, nobiscum egisse Pascha noverit caritas vestra. Quos ideo tenuimus aliquanto diutiùs, ut instructiores ad vos redirent adversus novos hæreticos pelagianos, in quorum errorem cadit, qui putat secundum aliqua merita humana dari gratiam Dei, quæ sola hominem liberat per Dominum nostrum Jesum Christum. Sed rursus qui putat, quando ad iudicium Dominus venerit, non iudicari hominem secundum opera sua, qui jam per ætatem uti potuit libero voluntatis arbitrio, nihilominus in errore est. Soli enim parvuli, qui nondum habent opera propria, vel bona vel mala, secundum solum originale peccatum damnabuntur, quibus per lavacrum regenerationis non subvenit gratia Salvatoris. Ceteri autem omnes, qui jam utentes libero arbitrio, sua propria peccata originali peccato insuper addiderunt, si de potestate tenebrarum per gratiam Dei non eruuntur, nec transferuntur ad regnum Christi, non solum secundum originis, verum etiam secundum propriæ voluntatis merita, iudicium reportabunt. Boni verò etiam ipsi quidem secundum suæ bonæ voluntatis merita præmium consequentur, sed etiam ipsam bonam voluntatem per Dei gratiam consecuti sunt: ac sic

Tom. IV. im-

Coloss. 1. 13.

7. Cavete ergo quod tantus Apostolus tam terribiliter dicit: & ubi sentitis vos non intelligere, interim credite divinis eloquiis, quia & liberum est hominis arbitrium, & gratia Dei, sine cuius adiutorio liberum arbitrium nec converti potest ad Deum, nec proficere in Deo. Et quod piè creditis, ut etiam sapienter intelligatis orate. Et ad hoc ipsum enim, id est, ut sapienter intelligamus, est utique liberum arbitrium. Nisi enim libero arbitrio intelligeremus atque saperemus, non nobis præciperetur, dicente Scriptura: *Intelligite ergo, qui insipientes estis in populo, & stulti, aliquando sapite.* Eo ipso quippe quo præceptum & imperatum est, ut intelligamus atque sapiamus, obedientia nostra requiritur, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio. Sed si posset hoc ipsum sine adiutorio Dei gratiæ fieri per liberum arbitrium, ut intelligeremus atque saperemus; non diceretur Deo: *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua:* neque in Evangelio scriptum esset: *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas:* nec Iacobus Apostolus diceret: *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Potens est autem Dominus qui & vobis donet & nobis, ut de vestra pace & pia consensione nuntiis celerrimis gaudeamus. Saluto vos, non solum meo nomine, sed etiam fratrum qui mecum sunt, & rogo ut pro nobis concorditer atque instanter oretis. Sit vobiscum Dominus.

Præl. 93. 8.

Præl. 118. 73.

Luc. 24. 45.

Fac. 1. 5.

Epis-

*Epistola posterior, inter Augustinianas
CCXV.*

Domino dilectissimo & in Christi membris honorando fratri VALENTINO, & fratribus qui tecum sunt, AUGUSTINUS in Domino salutem.

1. CRESCONIUM, Felicem, & alium Felicem, Dei servos, qui ex vestra congregatione ad nos venerunt, nobiscum egisse Pascha noverit caritas vestra. Quos ideo tenuimus aliquanto diutiùs, ut instructiores ad vos redirent adversus novos hæreticos pelagianos, in quorum errorem cadit, qui putat secundum aliqua merita humana dari gratiam Dei, quæ sola hominem liberat per Dominum nostrum Jesum Christum. Sed rursus qui putat, quando ad iudicium Dominus venerit, non iudicari hominem secundum opera sua, qui jam per ætatem uti potuit libero voluntatis arbitrio, nihilominus in errore est. Soli enim parvuli, qui nondum habent opera propria, vel bona vel mala, secundum solum originale peccatum damnabuntur, quibus per lavacrum regenerationis non subvenit gratia Salvatoris. Ceteri autem omnes, qui jam utentes libero arbitrio, sua propria peccata originali peccato insuper addiderunt, si de potestate tenebrarum per gratiam Dei non eruuntur, nec transferuntur ad regnum Christi, non solum secundum originis, verum etiam secundum propriæ voluntatis merita, iudicium reportabunt. Boni verò etiam ipsi quidem secundum suæ bonæ voluntatis merita præmium consequentur, sed etiam ipsam bonam voluntatem per Dei gratiam consecuti sunt: ac sic

Tom. IV. im-

Coloss. 1. 13.

Rom. 2. 8. impletur quod scriptum est: *Ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, iudei primum & græci gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, iudeo primum & græco.*

2. De qua difficillima quæstione, hoc est, de voluntate & gratia, non opus habui etiam in hac epistola diutius disputare; quoniam & aliam jam eis dederam, tamquam citius redditurus. Et scripsi ad vos etiam librum *, quem si adjuvante Domino diligenter legeritis, & vivaciter intellexeritis, nullas existimo inter vos de hac re dissensiones ulterius jam futuras. Portant autem secum & alia, quæ vobis dirigenda esse credidimus, quibus cognoscatis quemadmodum catholica Ecclesia, in Dei misericordia, pelagianæ hæresis venena repulerit. Quod enim scriptum est ad papam Innocentium romanæ urbis episcopum, de concilio provinciæ carthaginiensis, & de concilio Numidiæ, & aliquanto diligentius à quinque episcopis, & quæ ipse ad tria ista rescripsit: item quod papæ Zosimo de africano concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad universos totius orbis episcopos missum: & quod posteriori concilio plenario totius africæ contra ipsum errorem breviter constituimus; & supra memoratum librum meum, quem modo ad vos scripsi; hæc omnia & in præsentia legimus cum ipsis, & per eos misimus vobis.

3. Legimus eis etiam librum beatissimi martyris Cypriani de Oratione dominica, & ostendimus quemadmodum docuerit, omnia quæ ad mores nostros pertinent, quibus rectè vivimus, à Patre nostro qui in cælis est, esse

poscenda; ne de libero præsumentes arbitrio, à divina gratia decidamus. Ubi etiam demonstravimus, quomodo admonerit idem gloriosissimus Martyr, etiam pro inimicis nostris, qui nondum in Christum crediderunt, nos ut credant orare debere: quod utique inaniter fieret, nisi Ecclesia crederet, etiam malas atque infideles hominum voluntates per Dei gratiam in bonum posse converti. Sed hunc librum sancti Cypriani, quia dixerunt etiam illic apud vos esse, non misimus. Meam quoque epistolam * ad Sixtum romanæ ecclesiæ presbyterum datam, quam secum ad nos attulerunt, legimus cum eis, & ostendimus adversus eos esse conscriptam qui dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari, hoc est, adversus eosdem pelagianos.

4. Quantum ergo potuimus, egimus cum istis, & vestris, & nostris fratribus, ut in fide sana catholica perseverent: quæ neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam sive in bonam; neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid, sive ut ex malo convertatur in bonum, sive ut in bono perseveranter proficiat, sive ut ad bonum sempiternum perveniat, ubi jam non timeat ne deficiat. Vos quoque, carissimi, etiam in hac epistola exhortor, quod nos omnes exhortatur Apostolus: *Non plus sapere, quam oportet sapere; sed sapere ad temperantiam, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei.*

5. Attendite quid per Salomonem moneat Spiritus sanctus: *Rectos cursus, inquit, fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, ne declines in dexteram, neque in sinistram; averte autem pedem tuum à via mala. Vias enim quæ à dextris sunt, novit Dominus:*

* Subsequenter librum de Gratia & libero arbitrio.

Epist. 175.

Epist. 176.

Epist. 177.

Epist. 181.
182. 183.

* Epistola 194.

Rom. 12. 3.

Prov. 4. 26.

perversa verò sunt, quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet. In his verbis sanctæ Scripturæ considerate, fratres, quia si non esset liberum arbitrium, non diceretur: *Rectos cursus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, ne declines in dexteram, neque in sinistram.* Et tamen sine Dei gratia si posset hoc fieri, non postea diceretur: *Ipse autem rectos faciet cursus tuos, & itinera tua in pace producet.*

6. Nolite ergo declinare in dexteram, neque in sinistram: quàmvis laudentur viæ quæ à dextris sunt, & vituperentur quæ sunt à sinistris. Hoc est enim propter quod addidit: *Averte autem pedem tuum à via mala, hoc est, à sinistra: quod manifestat in consequentibus, dicens: Vias enim quæ à dextris sunt, novit Dominus: perversa verò sunt, quæ à sinistris sunt.* Eas utique vias ambulare debemus, quas novit Dominus; de quibus in Psalmo legitur: *Novit Dominus viam justorum, & via impiorum peribit.* Hanc enim non novit Dominus, quia sinistra est. Sicut dicitur est etiam illis ad sinistram constitutis: *Non novi vos.*

Psal. 1. 6.

Matth. 7. 23.

Quid est autem quod ille non novit, qui utique novit omnia, sive bona hominum, sive mala? Sed quid est: *Non novi vos*; nisi tales vos ego non feci? Quemadmodum illud, quod dictum est de ipso Domino Jesu Christo, quia *non noverat peccatum*, quid est, non noverat, nisi quia non fecerat? Ac per hoc quod dictum est: *Vias quæ à dextris sunt, novit Dominus*, quomodo intelligendum est, nisi quia ipse fecit vias dextras, id est, vias justorum, quæ sunt utique opera bona, quæ preparavit Deus, sicut dicit Apostolus, *ut in illis am-*

Eph. 2. 10.

bu-

blemus. Vias autem sinistras perveras, id est, vias impiorum, non utique novit, quia non eas ipse fecit homini, sed homo sibi. Propter quod dicit: *Odivi autem ego perveras vias malorum, ipsæ sunt à sinistris.*

7. Sed respondetur nobis: Cur ergo dixit: *Ne declines in dexteram, neque in sinistram*; cum potius dicere debuisset videatur: *Tene dexteram, & ne declines in sinistram*; si bonæ sunt viæ quæ à dextris sunt? Cur, putamus, nisi quia ita viæ sunt bonæ quæ à dextris sunt, ut in dexteram tamen declinare non sit bonum? Declinare quippe ille est intelligendus in dexteram, qui bona ipsa opera quæ ad vias dexterarum pertinent, sibi vult assignare, non Deo. Et ideo cum dixisset: *Vias enim quæ à dextris sunt novit Dominus, perversa autem sunt quæ à sinistris sunt*; tanquam diceretur ei: Quomodo ergo non vis ut declinemus ad dexteram? secutus adjunxit: *Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.* Sic ergo intellige quod tibi præceptum est: *Rectos cursus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige*; ut noveris, cum hoc facis, à Domino Deo tibi præstari ut hoc facias; & non declinabis ad dexteram, quàmvis ambules in viis dextris, non confidens in virtute tua: & ipse erit virtus tua, qui rectos faciet cursus tuos, & itinera tua in pace producet.

8. Quapropter, dilectissimi, quicumque dicit: *Voluntas mea mihi sufficit ad facienda opera bona, declinat in dexteram.* Sed rursus illi, qui putant bonam vitam esse deserendam, quando audiunt sic Dei gratiam prædicari, ut credatur & intelligatur voluntates hominum ipsa ex malis bonas facere, ipsa etiam quas fecerit custodire; & propterea dicunt: *Faciamus*

Rom. 3. 8.

p 3

ma-

*mala, ut veniant bona; in sinistram declinant. Ideo vobis dixi: Non declinetis in dexteram, neque in sinistram: hoc est, non sic defendatis liberum arbitrium, ut ei bona opera sine Dei gratia tribuatis: nec sic defendatis gratiam, ut quasi de illa securi mala opera diligatis; quod ipsa gratia Dei avertat à vobis. Talium quippe verba sibi proponens Apostolus, ait: Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Atque his verbis hominum errantium & Dei gratiam non intelligentium, respondit ut debuit, dicens: Absit. Si enim mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo? Nihil potuit dici brevius & melius. Quid enim nobis gratia Dei utilius confert in hoc præsentis sæculo maligno, nisi ut moriamur peccato? Ac per hoc ipsi gratiæ invenitur ingratus, qui propter illam vult vivere in peccato, per quam morimur peccato. Deus autem qui dives est in misericordia, det vobis & sanum sapere, & usque in finem proficenter in bono proposito permanere. Hoc pro vobis, hoc pro nobis, hoc pro omnibus qui vos diligunt, & pro eis qui vos oderunt, instanter in pace fraterna & vigilanter orate. Deo vivatis. Si quid de vobis mereor, veniat ad me frater Flo-
rus.*

Rom. 6. 1.

Ibid. 2.

Eph. 2. 4.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO
AD VALENTINUM
ET CUM ILLO MONACHOS,
LIBER UNUS.*

Docet, cavendum esse, ne vel gratia negato libero arbitrio, vel negata gratia liberum arbitrium defendatur: nam liberum voluntatis arbitrium inesse homini, constare ex Scripturarum testimoniis: de ipsa etiam gratia Dei, sine qua nihil boni agere possumus, data esse in iisdem Scripturis divina documenta. Postea contra pelagianos probat gratiam non secundum merita nostra dari. Explicat, quomodo vita æterna, quæ bonis operibus redditur, verè sit gratia. Tum verò monstrat, quod neque scientia legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum sit illa gratia quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur, sed ipsa gratia faciat ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur. Expugnat vanum illud pelagianorum perfugium, quo dicunt, gratiam, etsi non secundum merita bonorum operum detur, tamen dari secundum merita bonæ voluntatis, quæ præcedit, credentis & orantis. Incidit in questionem, cur Deus jubet, quod ipse daturus est; & an jubeat aliqua, quæ non possumus. Caritatem, si ne qua præcepta non implentur, non in no-

* Script.
an. Chris-
ti 426.
aut 427.

*mala, ut veniant bona; in sinistram declinant. Ideo vobis dixi: Non declinetis in dexteram, neque in sinistram: hoc est, non sic defendatis liberum arbitrium, ut ei bona opera sine Dei gratia tribuatis: nec sic defendatis gratiam, ut quasi de illa securi mala opera diligatis; quod ipsa gratia Dei avertat à vobis. Talium quippe verba sibi proponens Apostolus, ait: Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Atque his verbis hominum errantium & Dei gratiam non intelligentium, respondit ut debuit, dicens: Absit. Si enim mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo? Nihil potuit dici brevius & melius. Quid enim nobis gratia Dei utilius confert in hoc præsentis sæculo maligno, nisi ut moriamur peccato? Ac per hoc ipsi gratiæ invenitur ingratus, qui propter illam vult vivere in peccato, per quam morimur peccato. Deus autem qui dives est in misericordia, det vobis & sanum sapere, & usque in finem proficenter in bono proposito permanere. Hoc pro vobis, hoc pro nobis, hoc pro omnibus qui vos diligunt, & pro eis qui vos oderunt, instanter in pace fraterna & vigilanter orate. Deo vivatis. Si quid de vobis mereor, veniat ad me frater Flo-
rus.*

Rom. 6. 1.

Ibid. 2.

Eph. 2. 4.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO
AD VALENTINUM
ET CUM ILLO MONACHOS,
LIBER UNUS.*

*Docet, cavendum esse, ne vel gratia negato libero arbitrio, vel negata gratia liberum arbitrium defendatur: nam liberum voluntatis arbitrium inesse homini, constare ex Scripturarum testimoniis: de ipsa etiam gratia Dei, sine qua nihil boni agere possumus, data esse in iisdem Scripturis divina documenta. Postea contra pelagianos probat gratiam non secundum merita nostra dari. Explicat, quomodo vita æterna, quæ bonis operibus redditur, verè sit gratia. Tum verò monstrat, quod neque scientia legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum sit illa gratia quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur, sed ipsa gratia faciat ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur. Expugnat vanum illud pelagianorum perfugium, quo dicunt, gratiam, etsi non secundum merita bonorum operum detur, tamen dari secundum merita bonæ voluntatis, quæ præcedit, credentis & orantis. Incidit in questionem, cur Deus jubet, quod ipse daturus est; & an jubeat aliqua, quæ non possumus. Caritatem, si-
ne qua præcepta non implentur, non in no-*

* Script.
an. Chris-
ti 426.
aut 427.

bis nisi ex ipso Deo esse convincit. Ostendit operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quodcumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, iudicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen iusto. Tandem gratuita gratia nec meritis redditae luculentum exemplum suppetere in iis parvulis qui salvantur, dum alii unam cum ipsis causam habentes pereunt.

CAPUT I.
Occasio &
argumentum huius
libri.

I. PROPTER eos qui hominis liberum arbitrium sic prædicant & defendunt, ut Dei gratiam, qua vocamur ad eum & à nostris malis meritis liberamur, & per quam bona merita comparamus quibus ad vitam perveniamus æternam, negare audeant & conentur auferre; multa jam disseruimus, litterisque mandavimus, quantum nobis Dominus donare dignatus est. Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium; aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium: hinc aliquid scribere ad vestram caritatem, Valentine frater, & ceteri qui simul Deo servitis, compellente mutua caritate curavi. Nuntiatum est enim mihi de vobis, fratres, ab aliquibus qui in vestra congregatione sunt, & ad nos inde venerunt, per quos & ista direximus, quod de hac re dissensiones in vobis sint. Itaque, dilectissimi, ne vos perturbet huius questionis obscuritas, moneo vos primum, ut de iis quæ intelligitis, agatis Deo gratias: quidquid est autem quod pervenire nondum potest vestrae mentis intentio, pacem inter vos & caritatem servantes, à Domino ut intelligatis ora-

orate; & donec vos ipse perducatur ad ea quæ nondum intelligitis, ibi ambulate quod pervenire potuistis. Hoc admonet Apostolus Paulus, qui cum dixisset nondum se esse perfectum, paulò post ait: *Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus*; id est, ita nos esse perfectos, ut nondum ad perfectionem quæ nobis sufficit venerimus; continuoque subjunxit: *Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit*; verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus. Ambulando quippe in quod pervenimus, & quod nondum pervenimus pervenire poterimus, Deo nobis revelante si quid aliter sapimus, si ea quæ jam revelavit non relinquamus.

Philip. 3.
15.

Ibid. & 16.

2. REVELAVIT autem nobis per Scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autem revelaverit, commemoro vos, non humano eloquio, sed divino. Primum, quia ipsa divina præcepta homini non prodesse, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perveniret. Ideo enim data sunt, ut homo excusationem de ignorantia non haberet: sicut Dominus dicit in Evangelio de Judæis: *Si non venissem & locutus eis fuisset, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. De quo peccato dicit, nisi de illo magno, quod præsciebat eorum futurum, quando ista dicebat, id est, quo eum fuerant occisuri? Neque enim nullum habebant peccatum, antequam Christus venisset in carne ad eos. Item dicit Apostolus: *Revelatur ira Dei de celo in omnem impietatem & iniquitatem hominum eorum, qui veritatem in iniquitate detinent: quia quod notum est Dei,*

CAPUT II.
Liberum arbitrium esse in homine probatur ex divinis præceptis.

Præcepta data, ut non sit excusatio de ignorantia. Joan. 15. 22.

Rom. 1. 18.
&c.

Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ejus à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas, ut sint inexcusabiles. Quomodo dicit inexcusabiles, nisi de illa excusatione qua solet dicere humana superbia: Si scissem, fecissem; ideo non feci, quia nescivi? Aut, si scirem facerem; ideo non facio, quia nescio? Hæc eis excusatio tollitur, quando præceptum datur, vel scientia non peccandi manifestatur.

Peccatores se de Deo excusare conantes ideo arguuntur, quia liberum habent arbitrium.

^a Jacob. I. 13. &c.

Prov. 19. 3.

Ecclesi. 15. 11. &c.

3. Sed sunt homines qui etiam de ipso Deo se excusare conantur, quibus dicit Apostolus Jacobus: *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentor. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem.* Item de ipso Deo se excusare volentibus, respondet liber Proverbiorum Salomonis: *Insipientia viri violat vias ejus, Deum autem causatur in corde suo.* Et liber Ecclesiasticus dicit: *Ne dixeris, quia propter Dominum recessi; quæ enim odit non facias. Ne dixeris, quia ipse me induxit: non enim opus habet viro peccatore. Omne execramentum odit Dominus, & non est amabile timentibus illum. Ipse ab initio fecit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui. Si volueris, conservabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponit tibi ignem & aquam, ad quodcumque volueris extende manum tuam. In conspectu hominis vita*

^a Plures MSS. tentatur. Græcè est, *πειράζουαι*.

& mors, & quodcumque placuerit dabitur ei. Ecce apertissimè videmus expresum liberum humanæ voluntatis arbitrium.

4. Quid illud quòd tam multis locis omnia mandata sua custodiri & fieri jubet Deus? Quomodo jubet, si non est liberum arbitrium? Quid beatus ille, de quo Psalmus dicit, quòd *in lege Domini fuit voluntas ejus; nonne satis indicat voluntate sua hominem in lege Dei consistere? Deinde tam multa mandata, quæ ipsam quodam modo nominatim conveniunt voluntatem, sicut est: Noli vinci à malo: & alia similia, sicut sunt: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; & Noli repellere consilia matris tuæ; & Noli esse sapiens apud te ipsum; & Noli deficere à disciplina Domini; & Noli negligere legem; & Noli abstinere bene facere egenti; & Noli fabricare in amicum tuum mala; & Noli intendere fallaci mulieri; & Noluit intelligere ut bene ageret; & Noluerunt accipere disciplinam; & innumerabilia talia in veteribus libris divinorum eloquiorum, quid ostendunt, nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ? In libris etiam novis evangelicis & apostolicis quid aliud ostenditur, ubi dicitur: *Nolite vobis condere thesauros in terra; & Nolite timere eos qui occidunt corpus; & Qui vult venire post me, abneget semetipsum; & Pax in terra hominibus bonæ voluntatis; & quod dicit Apostolus Paulus: Quod vult faciat, non peccat si nubat: qui autem statuit in corde suo, non habens necessitatem, potest**

Mandata divina quæ præsertim ipsam convenient voluntatem, ostendunt liberum arbitrium. Pr. I. 2.

Rom. 12. 21.

Pr. 31. 9.

Prov. 1. 8.

Prov. 3. 7.

Ibid. 11.

Ibid. 27.

& 29.

Prov. 5. 2.

Psal. 35. 4.

Prov. 1. 29.

Matt. 6.

19.

Matt. 10.

28.

Matt. 16.

24.

Luc. 2. 14.

1. Cor. 7.

36.

^a MSS. hic & infra constanter, non peccat, nubat: ommissa particula, si, quæ nec est in græco.

testatem autem habens suae voluntatis, & hoc statuit in corde suo, servare virginem suam, bene facit. Item dicit: Si autem volens, hoc facio, mercedem habeo. Et alio loco: Sobrii stote justè, & nolite peccare. Et iterum: Ut quemadmodum promissus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi. Et ad Timotheum dicit: Cum enim in deliciis egerint in Christo, nubere volunt. Et alibi: Sed & omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Et ipsi Timotheo: Noli negligere gratiam quae in te est. Et ad Philemonem: Ne bonum tuum velut ex necessitate esset, sed ex voluntate. Servos etiam ipsos monet, ut dominis suis ex animo serviant cum bona voluntate. Item Jacobus: Nolite itaque errare, fratres mei, & nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi; & Nolite detrahers de alterutro. Item Joannes in epistola sua: Nolite diligere mundum; & cetera hujusmodi. Nempe ubi dicitur, Noli hoc, & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur; satis liberum demonstratur arbitrium. Nemo ergo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque, cum peccat. Neque cum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate. Quando enim volens facit, tunc dicendum est opus bonum, tunc speranda est boni operis merces ab eo, de quo dictum est: Qui reddet unicuique secundum opera sua.

Matth. 16.
27.

CAPUT III.

Quod nec ignorantia excuset, ut à poena liberet.

5. QUI ergo noverunt divina mandata, aufertur eis excusatio, quam solent homines habere de ignorantia. Sed nec ipsi sine poena erunt, qui legem Dei nesciunt. Qui enim si-

ne

ne lege peccaverunt, sine lege peribunt: qui autem in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Quod mihi non videtur Apostolus ita dixisse, tamquam pejus aliquid significaverit esse passuros, qui legem nesciunt in peccatis suis, quam illos qui sciunt. Pejus enim videtur esse perire, quam judicari. Sed cum hoc de gentibus & de judæis loqueretur, quia illi sine lege sunt, isti autem legem acceperunt; quis audeat dicere judæos qui in lege peccant, non esse perituros, cum in Christum non crediderint; quandoquidem de illis dictum est: Per legem judicabuntur? Sine fide enim Christi nemo liberari potest; ac per hoc ita judicabuntur ut pereant. Nam si peior est conditio nescientium quam scientium legem Dei, quomodo verum erit quod Dominus in Evangelio ait: Servus qui nescit voluntatem domini sui, & facit digna plagis, vapulabit pauca; servus autem qui scit voluntatem domini sui, & facit digna plagis, vapulabit multa? Ecce ubi ostendit gravius peccare hominem scientem quam nescientem. Nec tamen ideo confugiendum est ad ignorantiae tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem. Aliud est enim nescisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: Noluit intelligere ut bene ageret. Sed & illa ignorantia quae non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino quid crederet; sed fortasse ut mitius ardeat. Non enim sine causa dictum est: Effunde iram tuam in gentes quae te non noverunt. Et illud quod ait Apostolus: Cum ve-

Rom. 2. 12.

Luce 12.
48. & 47.

Scientem
quam igno-
rantem
peccare
gravius.

Ignorantia
duplex, sci-
re nolen-
tium, &
simpliciter
nescientium

Ps. 35. 4.

Psal. 78.
6.
2. Thess. 1.
8.

ne-

nerit in flamma ignis dare vindictam in eos, qui ignorant Deum. Verumtamen ut habeamus & ipsam scientiam, ne dicat unusquisque: Nescivi, non audivi, non intellexi; voluntas convenitur humana, ubi dicitur: *No- lite esse sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; quamvis pejor appareat, de quo dictum est: Verbis non emendabitur servus durus; si enim & intellexerit, non obaudit.* Quando autem dicit homo: Non possum facere quod præcipitur, quoniam concupiscentia mea vincor; jam quidem de ignorantia non habet excusationem, nec Deum causatur in corde suo, sed malum suum in se cognoscit & dolet; cui tamen dicit Apostolus: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Et utique cui dicitur, *noli vinci, arbitrium voluntatis ejus sine dubio convenitur.* Velle enim & nolle propriæ voluntatis est.

Ps. 31. 9.
Prov. 29. & 19.
Rom. 12. 21.
CAP. IV.
Gratia Dei defendenda contra pelagianos.

6. SED metuendum est, ne ista omnia divina testimonia, & quæcumque alia sunt, quæ sine dubitatione sunt plurima, in defensione liberi arbitrii, sic intelligantur, ut ad vitam piam, & bonam conversationem, cui merces æterna debetur, adjutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur; & audeat miser homo, quando bene vivit, & bene operatur, vel potius bene vivere, & bene operari sibi videtur, in se ipso, non in Domino gloriari, & spem rectè vivendi in se ipso ponere; ut sequatur eum maledictum Jeremiæ Prophetæ dicentis: *Maledictus homo qui spem habet in homine, & firmat carnem brachii sui, & à Domino discedit cor ejus.* Intelligite, fratres, hoc propheticum testimonium. Quia enim non dixit Propheta: Maledictus homo qui spem ha-

Jerem. 17. 5.

habet in se ipso; posset alicui videri ideo dictum esse: *Maledictus homo qui spem habet in homine*; ut nemo habeat spem in altero homine, sed in se. Ut ergo ostenderet sic se admonuisse hominem, ut nec in se ipso haberet spem, propterea cum dixisset: *Maledictus homo qui spem habet in homine*; mox addidit, & *firmat carnem brachii sui.* Brachium pro potentia posuit operandi. In nomine autem carnis intelligenda est humana fragilitas. Ac per hoc firmat carnem brachii sui, qui potentiam fragilem atque invalidam, id est, humanam, sibi sufficere ad bene operandum putat, nec adjutorium sperat à Domino. Propterea subjecit, & *à Domino discedit cor ejus.* Talis est hæresis pelagiana, non antiqua, sed ante non multum tempus exorta: contra quam hæresim cum fuisset diutius disputatum, etiam ad concilia episcopalia novissima necessitate perventum est; unde vobis non quidem omnia, sed tamen aliqua legenda direxi. Nos ergo ad bene operandum spem non habeamus in homine, firmantes carnem brachii nostri: nec à Domino discedat cor nostrum; sed ei dicat: *Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.*

7. Proinde, carissimi, sicut superioribus testimoniis sanctarum Scripturarum probavimus, ad bene vivendum & rectè agendum esse in homine liberum voluntatis arbitrium; sic etiam de gratia Dei, sine qua nihil boni agere possumus, quæ sint divina testimonia videamus. Ac primum de ipsa vestra professione aliquid dicam. Neque enim congregaret vos ista societas, in qua a continenter vivitis, nisi

a Corbejensis codex ante nongentos vel mille annos scriptus, continentes vivitis.

Pelagiana hæresis non antiqua.

Psal. 26. 9.

Gratia cum libero arbitrio necessaria ad bene vivendum.

Continentia ex Dei dono & libe-

bero arbitrio.

Matth. 19.
10.

I. Tim. 5.
22.

I. Cor. 7.
37.

Quibus datur, sic volunt ut impleant.

Pudicitia conjugalis & ipsa Dei donum.
Ibid. 36.
Prov. 19.
14.

I. Cor. 7.
7.

Matth. 26.
41.

si voluntatem conjugalem contemneretis. Hinc autem Domino loquenti cum dixissent discipuli: *Si talis est causa hominis cum uxore, non expedit nubere*; respondit eis: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Numquid non liberum arbitrium Timothei est exhortatus Apostolus dicens: *Continete ipsum?* Et in hac re potestatem voluntatis ostendit, ubi ait: *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, ut seruet virginem suam.* Et tamen, non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Quibus enim non est datum, aut nolunt, aut non implent quod volunt: quibus autem datum est, sic volunt ut impleant quod volunt. Itaque, ut hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur; & Dei donum est, & liberum arbitrium.

8. De ipsa quoque pudicitia conjugali nempe Apostolus ait: *Quod vult faciat, non peccat si nubat*; & tamen etiam hoc Dei donum est, dicente Scriptura: *A Domino jungitur mulier viro.* Ideo Doctor gentium & pudicitiam conjugalem per quam non fiunt adulteria, & perfectiorem continentiam per quam nullus concubitus quaeritur, sermone suo commendans, & hoc & illud donum Dei esse monstravit, scribens ad Corinthios, & admonens conjuges ne se invicem fraudent: quos cum admonuisset, adjecit: *Vellem autem omnes homines esse sicut & me ipsum*; quia utique ipse ab omni concubitu continebat; & continuo subjunxit: *Sed unusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic.* Numquid tam multa quae praecipuntur in lege Dei, ne fornicationes & adulteria committantur, indicant aliud quam

liberum arbitrium? Neque enim praeciperentur, nisi homo haberet propriam voluntatem, qua divinis praecceptis obediret. Et tamen Dei donum est, sine quo servari castitatis praeccepta non possunt. Unde ait ille in libro Sapientiae: *Cum scirem quia nemo esse potest continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientiae, scire cujus esset, hoc donum.* Ut autem ista non serventur castitatis sancta mandata, unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Ubi si dixerit: *Volo servare, sed vincor à concupiscentia mea*: respondet Scriptura libero ejus arbitrio, quod jam superius dixi: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Quod tamen ut fiat, adjuvat gratia: quae nisi adjuverit, nihil lex erit nisi virtus peccati. Augetur enim concupiscentia, & majores vires accipit lege prohibente, nisi adjuvet spiritus gratiae. Hoc est quod dicit ille ipse Doctor gentium: *Aculeus autem mortis est peccatum, virtus vero peccati lex.* Ecce unde dicit homo: *Volo legis servare mandatum, sed virtute concupiscentiae meae vincor.* Et cum voluntas ejus convenitur, & dicitur: *Noli vinci à malo*; quid ei prodest nisi gratia succurrente fiat? Quod ipse Apostolus secutus adjunxit: nam cum dixisset, *virtus peccati lex*; continuo subjecit: *Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Ergo & victoria qua peccatum vincitur, nihil aliud est quam donum Dei, in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium.

9. Propter quod dicit & caelestis Magister: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Ergo unusquisque contra suam concupiscentiam dimicans oret, ne intret in ten-

Sine gratia non possunt servari praeccepta.
Sap. 8. 21.

Fac. 1. 14.

Rom. 12.
21.

Lex sine gratia.

I. Cor. 15.
56.

Ibid. 57.

Matth. 26.
41.
Intrare in tentationem.

tationem, id est, ne sit ab illa abstractus & illeceus. Non autem intrat in tentationem, si voluntate bona vincat concupiscentiam malam. Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanae, nisi à Domino victoria concedatur oranti, ne intret in tentationem. Quid verò evidentius quàm Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur accipitur? Si enim dixisset Salvator noster: *Vigilate, ne intretis in tentationem;* admonuisse tantummodo videretur hominis voluntatem: cum verò addidit, & *orate*, ostendit Deum adjuvare, ne intretur in tentationem. Dictum est libero arbitrio: *Fili, noli deficere à disciplina Domini;* & Dominus dixit: *Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua.* Homo ergo gratia juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur.

Oratio gratiae argumentum.

Prov. 3. 11.

Luce 22. 22.

CAPUT V.
Liberum arbitrium & Dei gratia simul commemorantur.

Zach. 1. 3.
Pelagianorum error, gratiam secundum merita dari.

* V. lib. de gestis Pelag. c. 14.

10. CUM dicit Deus: *Convertimini ad me, & convertar ad vos;* unum horum videtur esse nostrae voluntatis, id est, ut convertamur ad eum; alterum verò ipsius gratiae, id est, ut etiam ipse convertatur ad nos. Ubi possunt putare pelagiani suam obtinere sententiam, qua dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari. Quod quidem in oriente, hoc est, in provincia palæstina, in qua est civitas Jerusalem, cum ipse Pelagius* ab episcopis audiretur, affirmare non ausus est. Nam inter cetera quae illi objecta sunt, & hoc objectum est, quòd diceret, gratiam Dei secundum merita nostra dari: quod sic alienum est à catholica doctrina & inimicum gratiae Christi, ut nisi hoc objectum sibi anathemasset, ipse inde anathematus exisset. Sed fallaciter eum anathemasse, posteriores ejus indicant libri, in quibus omninò nihil aliud defendit, quàm gratiam Dei secundum

me-

merita nostra dari. Talia ergo de Scripturis colligunt, quale est hoc unum quod paulò ante dixi: *Convertimini ad me, & convertar ad vos;* ut secundum meritum conversionis nostrae ad Deum, detur gratia ejus, in qua ad nos & ipse convertitur. Nec adtendunt qui hoc sentiunt, quia nisi donum Dei esset etiam ipsa ad Deum nostra conversio, non ei diceretur: *Deus virtutum, converte nos;* & *Deus, tu convertens vivificabis nos;* & *Converte nos, Deus, sanitatum nostrarum;* & hujusmodi alia, quae commemorare longum est. Nam & venire ad Christum, quid est aliud nisi ad eum credendo converti? Et tamen ait: *Nemo potest venire ad me; nisi datum fuerit ei à Patre meo.*

Zachariae testimonio abutuntur.

Psal. 79. 8.
Psal. 84. 7.
& 5.

Venire ad Christum.

Joan. 6. 66.

11. Item quod scriptum est in libro secundo Paralipomenon: *Dominus vobiscum, cum vos estis cum eo, & si quaesieritis eum, invenietis; si autem reliqueritis eum, derelinquet vos;* manifestat quidem voluntatis arbitrium. Sed illi qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari, ista testimonia sic accipiant, ut dicant meritum nostrum in eo esse, quòd sumus cum Deo; ejus autem gratiam secundum hoc meritum dari, ut sit & ipse nobiscum. Item meritum nostrum in eo esse, quòd quaerimus eum; & secundum hoc meritum dari ejus gratiam, ut inveniamus eum. Et in libro primo quod dictum est: *Et tu, Salomon fili mi, cognosce Deum, & servi ei in corde perfecto & anima volente; quia omnia corda scrutatur Dominus, & omnem cogitationem mentium novit: si quaesieris eum, invenietur tibi; & si dimiseris eum, repellat te in perpetuum;* declarat voluntatis arbitrium. Sed illi in eo ponunt meritum hominis,

Alia Scripturae loca quibus abutuntur pelagiani.
2. Par. 15. 2.

1. Par. 28. 9.

quod dictum est a, *si quaesieris eum*: & secundum hoc meritum dari gratiam, in eo quod dictum est, *invenietur tibi*: & omnino laborant, quantum possunt, ostendere gratiam Dei secundum merita nostra dari; hoc est, gratiam non esse gratiam. Quibus enim secundum meritum redditur, non imputatur merces secundum gratiam, sed secundum debitum, sicut apertissime dicit Apostolus.

Rom. 4. 4.

Gratiam non secundum meritum dari, probat ex Paulo.

1. Cor. 15.

9.

Ibid. 10.

2. Cor. 6. 1.

1. Cor. 15. 10.

Act. 9.

12. Meritum enim fuit quidem in Apostolo Paulo, sed malum, quando persequeretur Ecclesiam: unde dicit: *Non sum idoneus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei*. Cum ergo haberet hoc meritum malum, redditum est ei bonum pro malo: ideoque secutus adjunxit: *Sed gratia Dei sum id quod sum*. Atque ut ostenderet & liberum arbitrium, mox addidit, & *gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi*. Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur & in aliis, quibus dicit: *Rogamus ne in vacuum gratiam Dei suspiciatis*. Ut quid enim eos rogat, si gratiam sic susceperunt, ut propriam perderent voluntatem? Tamen ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur boni aliquid posse, continuo cum dixisset: *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi*; subjunxit atque ait: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*; id est, non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Ut autem de caelo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola; quia

^a In editis exciderant illa verba: *si quaesieris eum: & secundum hoc meritum dari gratiam, in eo quod dictum est: quae huc revocantur ex MSS.*

merita ejus erant magna, sed mala. Denique & alibi dicit ad Timotheum: *Collabora Evangelio secundum virtutem Dei salvos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu*. Item merita sua, sed mala, commemorans dicit: *Fuimus enim stulti & nos aliquando, & increduli, errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, abominabiles, invicem odio habentes*. Quid istis tam malis meritis nisi poena utique debebatur? Sed Deo reddente bona pro malis, per gratiam quae non secundum merita nostra datur, factum est quod deinde subjungit & dicit: *Cum autem benignitas & humanitas illuxit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, quem ditissime effudit super nos, per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati ipsius gratia, haeredes efficiamur secundum spem vitae aeternae*.

Tit. 3. 3.

Ibid. 4. 6a.

13. HIS & talibus testimoniis divinis probatur, gratiam Dei non secundum merita nostra dari: quandoquidem non solum nullis bonis, verum etiam multis meritis malis praecedentibus videmus datam, & quotidie dari videmus. Sed plane cum data fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per illam tamen: nam si se illa subtraxerit, cadit homo, non erectus, sed praecipitatus libero arbitrio. Quapropter nec quando coeperit homo habere merita bona, debet sibi tribuere illa, sed Deo, cui dicitur in Psalmo: *Adjutor meus*

CAPUT VI.

Psal. 26.9. esto, ne derelinquas me. Dicendo, ne derelinquas me, ostendit quia si derelictus fuerit, nihil boni valet ipse per se: unde & ille ait: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum.* Putaverat enim suum fuisse bonum, quod ei sic abundabat, ut non moveretur: sed ut ostenderetur illi, cujus esset illud, de quo tamquam suo coeperat gloriari, paululum gratiā deserente admonitus dicit: *Domine, in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem, avertisti autem faciem tuam a me, & factus sum conturbatus.* Ideo necessarium est homini, ut gratia Dei non solum justificetur impius, id est, ex impio fiat justus, cum redduntur ei bona pro malis; sed etiam cum fuerit jam justificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, & incumbat super ipsam ne cadat. Propter hoc scriptum est in

Psal. 29.7. *Ibid. 8.* *Cant. 8.5.* *Isaie 1.18.* *Joan. 15.5.*

Ibid. 8. *Cant. 8.5.* *Isaie 1.18.* *Joan. 15.5.*

Cant. 8.5. *Isaie 1.18.* *Joan. 15.5.*

Isaie 1.18. *Joan. 15.5.*

Joan. 15.5. *2.Tim.4.6.*

immolator, inquit, & tempus resolutionis meae instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Ista utique jam merita sua bona commemorat; ut post bona merita consequatur coronam, qui post merita mala consecutus est gratiam. Denique adtendite quid sequatur: *Superest*, inquit, *mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex.* Cui redderet coronam justus iudex, si non donasset gratiam misericors pater? Et quomodo esset ista corona justitiae, nisi praecessisset gratia quae justificat impium? Quomodo ista debita redderetur, nisi prius illa gratuita donaretur?

15. Sed cum dicunt pelagiani hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur; illam vero quae datur in fine, id est, aeternam vitam, meritis nostris praecedentibus reddi; respondendum est eis. Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset a reprobanda ista sententia: quoniam verò merita humana sic praedicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissime respondet Apostolus: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Prorsus talia cogitanti verissime dicitur: *Dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi à te ipso, non ab illo sunt merita tua.* Haec enim si talia sunt, mala sunt, quae non coronat Deus: si autem bona sunt, Dei dona sunt; quia sicut dicit Apostolus Jacobus: *Omne datum optimum & om-*

Q 4
a MSS. Vaticani, Gallici, & Belgici, *reproba.*
b Editio Am. quae sunt. Er. & Lov. quae mala sunt. In MSS. nec sunt additur, nec mala.

Ibid. 8.

Solam gratiam remissionis peccatorum non condum merita dari, volunt pelagiani.

a

1. Cor. 4. 7

Coronat in nobis Deus dona sua, non merita nostra.

b

Jac. 1. 17.

*na donum perfectum de sursum est, descen-
dens à Patre luminum.* Unde dicit & Joan-
nes præcursor Domini: *Non potest homo ac-
cipere quidquam, nisi fuerit ei datum de
caelo*; utique de caelo, unde etiam venit Spi-
ritus sanctus, quando Jesus adscendit in al-
tum, captivavit captivitatem, dedit dona homi-
nibus. Si ergo Dei dona sunt bona merita
tua, non Deus coronat merita tua tamquam
merita tua, sed tamquam dona sua.

16. PROINDE consideremus ipsa merita
Apostoli Pauli, quibus dixit coronam justitiæ
redditurum judicem justum, & videamus utrum
merita ipsius tamquam ipsius, id est, ex ipso
illi comparata, an dona sint Dei. *Bonum, in-
quit, certamen certavi, cursum consumma-
vi, fidem servavi.* Primò ista bona opera, si
non ea præcessissent cogitationes bonæ, nulla
essent. Adtendite itaque quid de ipsis cogita-
tionibus dicat: ait enim scribens ad Corinthios:
*Non quia idonei sumus cogitare ali-
quid à nobis, tamquam ex nobismetipsis;
sed sufficientia nostra ex Deo est.* Deinde
singula inspiciamus: *Bonum, inquit, certamen
certavi.* Quæro qua virtute certaverit,
utrum quæ illi ex semetipso fuerit, an quæ
desuper data sit? Sed absit ut tantus doctor
ignoraverit legem Dei, cujus vox est in Deu-
teronomio: *Ne dicas in corde tuo: Fortitudo
mea & potentia manus meæ fecit mihi
virtutem magnam hanc; sed memoraberis
Domini Dei tui, quia ipse tibi dat fortitudinem
facere virtutem.* Quid autem prodest
bonum certamen, nisi sequatur victoria? Et
quis dat victoriam, nisi ille de quo dicit ipse:
*Gratias Deo qui dat nobis victoriam per
Dominum nostrum Jesum Christum?* Et alio
lo-

Joan. 3. 27.
Ps. 67. 19.
Eph. 4. 8.
CAPUT VII.
2. Tim. 4. 7.
2. Cor. 3. 5.
Deut. 8. 17.
1. Cor. 15. 57.

loco cum commemorasset testimonium de
Psalmo: *Quoniam propter te mortificamur
tota die, deputati sumus velut oves occisio-
nis*; subjecit atque ait: *Sed in his omnibus
supervincimus per eum qui dilexit nos*: non
ergo per nos, sed per eum qui dilexit nos.
Deinde dixit: *Cursum consummavi*; sed ille
hoc dixit, qui alio loco dicit: *Igitur non vo-
lentis neque currentis, sed miserentis est
Dei.* Quæ sententia nullo modo potest etiam
sic converti ut dicatur: Non miserentis Dei,
sed volentis & currentis est hominis: quisquis
enim hoc ausus fuerit dicere, apertè se os-
tendit Apostolo contradicere.

17. Postremò dixit: *Fidem servavi*; sed
ille hoc dixit, qui alibi ait: *Misericordiam
consecutus sum, ut fidelis essem.* Non enim
dixit: *Misericordiam consecutus sum*, quia
fidelis eram; sed, *ut fidelis essem*: hinc os-
tendens etiam ipsam fidem haberi nisi Deo mi-
serante non posse, & esse donum Dei. Quod
apertissimè docet, dicens: *Gratia salvi fac-
ti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed
Dei donum est.* Possent enim dicere: Ideo
accepimus gratiam, quia credidimus, tam-
quam sibi fidem tribuentes, gratiam Deo:
propter hoc Apostolus cum dixisset, *per fi-
dem; & hoc*, inquit, *non ex vobis, sed
Dei donum est.* Rursus ne dicerent suis ope-
ribus se donum tale meruisse, continuo sub-
jecit: *Non ex operibus, ne fortè quis extolla-
tur.* Non quia negavit aut evacuavit opera bo-
na, cum dicat Deum unicuique reddere se-
cundum opera ejus: sed quia opera sunt ex
fide, non ex operibus fides; ac per hoc ab
illo sunt nobis opera justitiæ, à quo est ipsa
fides, de qua dictum est: *Justus ex fide vivit.*

Ps. 43. 22.

Rom. 8. 37.

Rom. 9. 16.

Apostoli

senten-

tiam:

Non volentis

neque

currentis,

sed mise-

rentis est

Dei, non

posse con-

verti.

2. Tim. 4. 7.

1. Cor. 7.

25.

Fides do-

num Dei

gratuitum.

Eph. 2. 8.

Ibid. 9.

Rom. 2. 6.

Habac. 2. 4.

Ho-

18. Homines autem non intelligentes quod ait ipse Apostolus: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis*; putaverunt eum dicere sufficere homini fidem, etiam si malè vivat, & bona opera non habeat. Quod absit ut sentiret vas electionis: qui cum dixisset quodam loco: *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium*; mox addidit, *sed fides quæ per dilectionem operatur*. Ipsa est fides quæ fideles Dei separat ab immundis dæmonibus: nam & ipsi, sicut dicit Apostolus Jacobus, *credunt & contremiscunt*; sed non bene operantur. Non ergo habent istam fidem ex qua justus vivit, id est, quæ per dilectionem operatur, ut reddat ei Deus vitam æternam secundum opera ejus. Sed quia & ipsa bona opera nobis ex Deo sunt, à quo nobis & fides est, & dilectio, propterea idem ipse Doctor gentium, etiam ipsam vitam æternam gratiam nuncupavit.

Rom. 6. 23.

CAPUT VIII.

Vita æterna quomodo & merces sit, & gratia.

Matt. 16.

27.

Rom. 4. 4.

Rom. 11. 5.

19. ET nascitur inde non parva quæstio, quæ Domino donante solvenda est. Si enim vita æterna bonis operibus redditur, sicut aperitissimè dicit Scriptura: *Quoniam Deus reddet unicuique secundum opera ejus*; quomodo gratia est vita æterna, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur ipso Apostolo dicente: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*? Et iterum: *Reliquiæ*, inquit, *per electionem gratiæ salvæ factæ sunt*. Et mox addidit: *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia*. Quomodo est ergo gratia vita æterna, quæ ex operibus sumitur? An fortè vitam æternam non dixit Apostolus gratiam? Imò verò sic dixit, ut

ut negari omnino non possit; nec intellectorem acutum, sed tantummodo intentum desideret auditorem. Cum enim dixisset: *Stipendium peccati mors*; continuo subdidit: *Gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro*.

Rom. 6. 23.

20. Ista ergo quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolvi, nisi intelligamus & ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere, propter illud quod ait Dominus Jesus: *Sine me nihil potestis facere*. Et ipse Apostolus cum dixisset: *Gratiæ salvæ facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex ex operibus, ne fortè quis extollatur*; vidit utique putare posse homines hoc ita dictum, quasi necessaria non sint opera bona credentibus, sed eis fides sola sufficiat; & rursus posse homines de bonis operibus extolli, velut ad ea facienda sibi ipsi sufficiant: mox itaque addidit: *Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*. Quid est hoc, quod cum Dei gratiam commendans dixisset, *non ex operibus, ne fortè quis extollatur*; cur hoc dixerit rationem reddens, *Ipsius enim sumus, inquit, figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis*? Quomodo ergo, *non ex operibus, ne fortè quis extollatur*? Sed audi, & intellige, *non ex operibus* dictum, tamquam tuis ex te ipso tibi existentibus, sed tamquam his in quibus te Deus finxit; id est, formavit & creavit. Hoc enim ait: *Ipsius sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis*; non illa creatione qua homines facti sumus, sed ea de qua ille dicebat, qui utique jam

Respondet quæstioni.

Joan. 15. 5.

Eph. 2. 8.

Ibidem 10.

Ex operibus quo sensu salvari nos negat Apostolus.

Psalm. 50.
12.
2. *Cor. 5.*
17.

iam homo erat: *Cor mundum crea in me, Deus: & de qua dicit Apostolus: Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt; ecce facta sunt nova, omnia autem ex Deo.* Fingimur ergo, id est, formamur & creamur in operibus bonis, quæ non præparavimus nos, sed præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Itaque, carissimi, si vita bona nostra nihil aliud est quam Dei gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. Sed illa cui datur, tantummodo gratia est: hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia, tamquam merces pro justitia; ut verum sit, quoniam verum est, quia *reddet unicuique Deus secundum opera ejus.*

Justificatio tantum est gratia, vita æterna & merces & gratia.

Ps. 61. 13.
Apoc. 22.

12.

CAPUT IX.
Vita æterna gratia pro gratia.

Joan. 1. 16.

Rom. 12. 3.
1. Cor. 7. 7.

Rom. 6. 23.

21. UTRUM autem legerimus in libris sanctis, gratiam pro gratia, forsitan queritis. Sed habetis Evangelium secundum Joannem tanta luce clarissimum, ubi Joannes baptista de Domino Christo dicit: *Nos omnes ex plenitudine ejus accepimus, & gratiam pro gratia.* Ex ejus itaque plenitudine accepimus pro modulo nostro tamquam particulas nostras ut bene vivamus, *sicut Deus partitus est mensuram fidei; quia unusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic; & ipsa est gratia: sed insuper accipiemus & gratiam pro gratia, quando nobis vita æterna reddetur, de qua dixit Apostolus: Gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro; cum prius dixisset: Stipendium peccati mors.* Merito enim stipendium, quia militiæ diabolicæ mors æterna tamquam debitum redditur. Ubi cum posset dicere, & rectè dicere: Stipendium autem jus-

justitiæ vita æterna; maluit dicere: *Gratia autem Dei vita æterna;* ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere. De quo in Psalmo dicit homo ejus animæ suæ: *Qui coronat te in miseratione & misericordia.* Numquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille in a bonis operatur, de quo dictum est: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate;* ideo dixit Psalmus: *Coronat te in miseratione & misericordia;* quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona redditur. Non enim quia dixit: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate;* ideo liberam arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset, non superius dixisset: *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Quando enim jubetur ut operentur, liberum eorum convenitur arbitrium: sed ideo cum timore & tremore, ne sibi tribuendo quod bene operantur, de bonis tamquam suis extollantur operibus. Tamquam ergo interrogaretur Apostolus, & diceretur ei: *Quare dixisti, cum timore & tremore? horum verborum rationem reddidit, dicens: Deus est enim qui operatur in vobis.* Si enim timetis & tremitis, non extollimini tamquam de vestris operibus bonis, quia Deus est qui operatur in vobis.

22. ITAQUE, fratres, debetis quidem per liberum arbitrium non facere mala, & facere bona; hoc enim nobis lex Dei præ-

a Vaticani quatuor MSS. & antiquissimus Corbeiensis, in nobis operatur.

Psal. 102.

4.

a
Philip. 2.
13.

Ibid. 12.

CAPUT X.

capit in libris sanctis, sive veteribus, sive novis: sed legamus, & adjuvante Domino intelligamus Apostolum dicentem: *Quia non justificabitur ex lege omnis caro coram illo: per legem enim cognitio peccati. Cognitio, dixit, non consumtio. Quando autem cognoscit homo peccatum, si non adjuvat gratia ut cognitum caveatur, sine dubio lex iram operatur. Quod alio loco ipse Apostolus dicit, ipsius enim verba sunt: Lex iram operatur. Hoc autem dixit, quia ira Dei major est in prævaricatore, qui per legem cognoscit peccatum, & tamen facit: talis quippe homo prævaricator est legis, sicut & in alio loco dicit: Ubi enim lex non est, nec prævaricatio est. Propter hoc & alibi ait: Ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate litteræ: legem volens intelligi litteræ vetustatem, novitatem verò spiritus quid nisi gratiam? Et ne putaretur accusasse legem vel reprehendisse; continuo sibi opposuit quæstionem, & ait: Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Deinde subjunxit: Sed peccatum non cognovi, nisi per legem; hoc est quod dixerat: Per legem cognitio peccati. Nam concupiscentiam, inquit, nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam: sine lege enim peccatum mortuum est, ego autem aliquando vivebam sine lege; adveniente autem mandato, peccatum revixit, ego autem mortuus sum, & inventum est mihi mandatum quod erat in vitam,*

^a Editi, mortuum erat. MSS. mortuum est. Græcè est *περὶ*.

Rom. 3. 20.

Rom. 4. 15.

Legis prævaricator quis. Ibidem.

Rom. 7. 6.

Litteræ vetustas. Novitas spiritus. Ibidem 7. & seq.

Exodi 20. 17.

^a

tam, hoc esse in mortem; peccatum enim occasione accepta per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat, supra modum a peccator aut peccatum per mandatum. Et ad Galatas dicit: *Scientes autem quoniam non justificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christo Jesu credidimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis, quoniam ex operibus legis non justificabitur omnis caro.*

23. QUID est ergo quod vanissimi homines & perversissimi pelagiani legem dicunt esse Dei gratiam, qua juvamus ad non peccandum? Quid est miseri quod dicunt, qui sine ulla dubitatione tanto Apostolo contradicunt? Ille dicit peccatum vires adversus hominem accepisse per legem, & eum per mandatum, quàmvis sanctum, & justum, & bonum, tamen occidere, & per bonum operari ei mortem, de qua non liberaretur, nisi vivificaret spiritus eum, quem littera occiderat, sicut alio loco dicit: *Littera occidit, spiritus autem vivificat;* & isti indociles contra lucem Dei cæci, & contra vocem Dei surdi, occidentem litteram vivificare dicunt, & vivificanti spiritui contradicunt. Ergo, fratres, ut ipsius potius Apostoli verbis vos moneam, *debitores sumus non carni, ut secundum*

^a Am. & Er. supra modum peccatum. Lov. supra modum peccans peccatum. MSS. verò supra modum peccator aut peccatum: paucis exceptis, qui particulam aut prætereunt.

Gal. 2. 16.

CAPUT XI.
Dei gratiam qua juvamus ad non peccandum, pelagiani legem esse dicunt.

2. Cor. 3. 6.

Rom. 8. 12.

dum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis. Hæc dixi, ut apostolicis verbis liberum arbitrium vestrum à malo deterrerem, & exhortarer ad bonum: nec tamen ideo debetis in homine, hoc est, in vobis ipsis, non in Domino gloriari, quando non secundum carnem vivitis, sed spiritu actiones carnis mortificatis. Ut enim non se extollerent quibus ista dicebat, existimantes se suo spiritu tanta hæc bona opera facere posse, non Dei, propterea cum dixisset: *Si autem spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis*; continuo subjecit: *Quoquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei*. Quando ergo spiritu actiones carnis mortificatis ut vivatis, illum glorificate, illum laudate, illi gratias agite, cujus spiritu agimini ut ista valeatis, ut vos filios Dei esse monstretis. *Quoquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei*.

Ibid. 14.

CAP. XII.

24. QUOTQUOT ergo adjuncto solo adjutorio legis, sine adjutorio gratiæ, confidentes in virtute sua, suo spiritu aguntur, non sunt filii Dei. Tales sunt de quibus idem dicit Apostolus, quod *ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiam Dei non sunt subjecti*. De judæis hoc dixit, qui de se præsumentes, gratiam repellebant, & in Christum propterea non credebant. Sram verò justitiam dicit eos volentes constituere, quæ justitia est ex lege; non quia lex ab ipsis est constituta, sed in lege quæ ex Deo est, suam justitiam constituerant, quando eandem legem suis viribus se implere posse credebant: ignorantes Dei justitiam, non quæ justitiâ Deus justus est, sed quæ justitia est

Suam justitiam qui constituere velle dicuntur.

Rom. 10. 3.

homini ex Deo. Et ut sciatis hanc illum eorum dixisse justitiam, quæ est ex lege; hanc autem Dei, quæ homini est ex Deo: audite quid alio loco dicat, cum de Christo loqueretur. *Propter quem omnia*, inquit, *non solum detrimenta esse credidi, verum & stercora existimavi esse, ut Christum lucrificiam, & inventiar in illo non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo*. Quid est autem, non habens meam justitiam quæ ex lege est, cum sua non esset lex ipsa, sed Dei, nisi quia suam dixit justitiam, quàmvis ex lege esset, quia sua voluntate legem se posse putabat implere sine adjutorio gratiæ, quæ est per fidem Christi? Ideo cum dixisset, *non habens meam justitiam quæ ex lege est*; secutus adjunxit: *sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo*. Hanc ignorabant, de quibus ait, *ignorantes Dei justitiam*, id est, quæ est ex Deo (hanc enim dat non littera occidens, sed vivificans spiritus) & suam volentes constituere, quam dixit ipse ex lege justitiam, cum diceret, *non habens meam justitiam quæ ex lege est: justitiæ Dei non sunt subjecti*, hoc est, gratiæ Dei non sunt subjecti. Sub lege enim erant, non sub gratia; & ideo eis dominabatur peccatum, à quo non fit homo liber lege, sed gratia. Propter quod alibi dicit: *Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim estis sub lege, sed sub gratia*; non quia lex mala est; sed quia sub illa sunt quos reos facit jubendo, non adjuvando. Gratia quippe adjuvat ut legis quisque sit factor, sine qua gratia sub lege positus tantummodo erit legis auditor. Talibus itaque

Dei justitia dicta, quæ homini ex Deo est.

Phil. 3. 8.

Justitia ex lege.

Rom. 6. 14.

Gal. 5. 4. dicit: *Qui in lege justificamini, à gratia excidistis.*

CAP. XIII.
Ut non lex,
sic nec ip-
sa natura
est gratia
qua chris-
tiani sumus.

25. **QUIS** ita sit surdus adversus apostolicas voces, quis ita desipiat, imò insaniat nesciens quid loquatur, ut audeat dicere, legem esse gratiam, cum clamet qui sciebat quid loqueretur: *Qui in lege justificamini, à gratia excidistis?* Si autem lex non est gratia, quia ut ipsa lex fiat, non potest lex adjuvare, sed gratia; numquid natura erit gratia? Nam & hoc pelagiani ausi sunt dicere, gratiam esse naturam, in qua sic creati sumus, ut habeamus mentem rationalem, qua intelligere valeamus, facti ad imaginem Dei, ut dominemur piscibus maris, & volucribus cæli, & omnibus pecoribus quæ repunt super terram. Sed non hæc est gratia, quam commendat Apostolus per fidem Jesu Christi. Hanc enim naturam etiam cum impiis & infidelibus certum est nobis esse communem: gratia verò per fidem Jesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides. *Non enim omnium est fides.* Denique sicut eis qui volentes in lege justificari, à gratia exciderunt, verissimè dicit: *Si ex lege justitia, ergo Christus gratis mortuus est;* sic & his qui gratiam quam commendat & percipit fides Christi, putant esse naturam, verissimè dicitur: *Si ex natura justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Jam hinc enim erat lex, & non justificabat; jam hinc erat & natura, & non justificabat: ideo Christus non gratis mortuus est, ut & lex per illum impleretur, qui dixit: *Non veni solvere legem, sed implere:* & natura per Adam perditam, per illum repararetur, qui dixit, *venisse se querere & salvare quod perierat;* in

2. Thess. 3. 2.

Gal. 2. 21.
Si ex lege
vel natura
est justitia,
Christus
gratis mor-
tuus.

Matth. 5. 17.

Matth. 18. 11.

quem

quem venturum antiqui etiam patres crediderant, qui diligebant Deum.

26. Dicunt etiam gratiam Dei, quæ data est per fidem Jesu Christi, quæ neque lex est neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur. Sed si hoc verum esset, utique in oratione dominica cum dixissemus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris;* non adderemus, *Et ne nos inferas in tentationem.* Illud enim dicimus ut peccata dimittantur; hoc autem ut caveantur, sive vincantur: quod à Patre qui in cælis est, nulla ratione peteremus, si virtute voluntatis humanæ hoc posse efficere. Com-moneo autem caritatem vestram, & multum exhortor, ut beati Cypriani librum quem scripsit de Oratione dominica, diligenter legatis; & quantum vos Dominus adjuverit, intelligatis, memoriæque mandetis. Ibi videbitis quemadmodum sic alloquatur liberum arbitrium eorum, quos conscriptione sui sermonis ædificat, ut ostendat tamen ea quæ implenda jubentur in lege, in oratione esse poscenda. Quod utique vanissimè fieret, si ad illa agenda sine divino adjutorio voluntas humana sufficeret.

27. **SED** cum fuerint convicti, non defensores, sed inflatores & præcipitatores liberi arbitrii, quia neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur, sed ipsa facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur: cum ergo in his convicti fuerint, ad hoc se convertunt, ut quocum-

Lucæ 19. 10.

Gratiam
quæ nec
lex sit nec
natura, va-
lere tan-
tum ut
præterita
peccata di-
mittantur,
non ut fu-
tura viten-
tur, con-
tendunt
pelagiani.
Matth. 6. 12.

CAP. XIV.

Gratia fa-
cit, ut lex
impleatur,
ut natura
liberetur,
ne pecca-
tum domi-
netur.

que modo conentur ostendere gratiam Dei secundum merita nostra dari. Dicunt enim: *Et si non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur; tamen secundum merita bonæ voluntatis datur: quia bona voluntas, inquit, præcedit orantis, quam præcessit voluntas credentis, ut secundum hæc merita gratia sequatur exaudientis Dei.*

Fidem Dei donum esse. ** Suprà cap. 7.*
 1. Cor. 7. 25. *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem.* Sunt & alia testimonia, in quibus est quod ait: *Sapite ad temperantiam, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei.* Et quod jam commemoravi: *Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est.* Et illud quod scripsit ad Ephesios: *Pax fratribus & caritas cum fide à Deo Patre & Domino Jesu Christo.* Et illud, ubi ait: *Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo.* Utrumque ergo ad Dei gratiam pertinet, & fides credentium, & tolerantia patientium, quia utrumque dixit esse donatum. Et illud maxime, ubi dicit: *Habentes autem eundem spiritum fidei.* Non enim ait, scientiam fidei, sed, *spiritum fidei:* quod propterea dixit, ut intelligeremus, quia fides & non perita conceditur, ut ei petenti alia concedantur. *Quomodo enim invocabunt, inquit, in quem non crediderunt?* Ergo spiritus gratiæ facit ut habeamus fidem, ut per

fidem impetremus orando, ut possimus facere quæ jubemur. Ideo ipse Apostolus assidue legi præponit fidem: quoniam quod lex jubet, facere non valemus, nisi per fidem rogando impetremus, ut facere valeamus.

29. Nam si fides liberi est tantummodo arbitrii, nec datur à Deo, propter quid pro eis qui nolunt credere, oramus ut credant? Quod prorsus faceremus inaniter, nisi rectissime crederemus, etiam perversas & fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad credendum posse convertere. Liberum quidem hominis arbitrium pulsatur, ubi dicitur: *Hodie si vocent ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Sed nisi posset Deus etiam duritiam cordis auferre, non diceret per Prophetam: *Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum.* Quod de novo Testamento fuisse prædictum, satis Apostolus ostendit, ubi ait: *Epistola nostra vos estis, scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Quod non ideo dictum putemus, ut carnaliter vivant qui debent spiritaliter vivere: sed quia lapis sine sensu est, cui comparatum est cor durum, cui nisi carni sentienti cor intelligens debuit comparari? Sic enim hoc dicitur per Ezechielem prophetam: *Et dabo eis, inquit, cor aliud, & spiritum novum dabo eis, & evellam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, & justificationes meas observent, & faciant eas: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, dicit Dominus.* Numquid ergo possumus nisi absurdissime dicere, bonum meritum bonæ voluntatis in homine præces-

Deus potest contrarias voluntates convertere & duritiam cordis auferre.

Psal. 94. 8.

Ezech. II. 19.

2. Cor. 3. 2.

Ezech. II. 19. &c.

sisse, ut evelleretur ab eo cor lapideum; quandoquidem ipsum cor lapideum non significat nisi durissimam voluntatem, & adversus Deum omnino inflexibilem? Ubi enim præcedit bona voluntas, jam non est utique cor lapideum.

Gratia qua cor lapideum auferitur, non bonis meritis, sed malis præceditur.

Ezech. 36. 22. & seq.

30. Nam & alio loco per eundem Prophetam Deus manifestissime ostendit, non propter eorum aliqua bona merita, sed propter nomen suum ista facere, ubi ait: *Ego facio, domus Israël, sed propter nomen meum sanctum quod profanastis in gentibus, quod intrastis illuc: & sanctificabo nomen meum magnum quod profanatum est in gentibus, quod profanastis in medio eorum: & scient gentes quia ego sum Dominus, dicit Adonai Dominus, cum sanctificatus fuero in vobis ante oculos eorum: & accipiam vos de gentibus, & congregabo vos ex omnibus terris, & inducam vos in terram vestram: & adspargam vos aqua munda, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris, & ab omnibus idolis vestris, & mundabo vos: & dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo in vobis: & auferetur cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum dabo in vobis: & faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis.* Quis ita sit cæcus, ut non videat; quis ita lapideus, ut non sentiat, istam gratiam non secundum merita bonæ voluntatis dari, Domino dicente

a Am. Er. & aliquot MSS. Non propter vos ego facio, domus Israël.

b Hic particulam & adjecimus ex MSS. quibus consentit græca lectio LXX.

atque testante: *Ego facio, domus Israël, sed propter nomen meum sanctum?* Quare enim dixit, *ego facio, sed propter nomen meum sanctum*; nisi ne illi putarent propter bona merita sua fieri, quod non erubescunt dicere pelagiani? Non solum autem bona merita eorum nulla, verum etiam mala merita præcessisse demonstrat, dicendo, *sed propter nomen meum sanctum, quod profanastis in gentibus.* Quis non videat horrendum malum esse, nomen sanctum Domini profanare? Et tamen propter ipsum nomen meum, inquit, quod profanastis vos, ego faciam vos bonos, non propter vos: *Et sanctificabo, inquit, nomen meum magnum, quod profanatum est in gentibus, quod profanastis in medio eorum.* Sanctificare se dicit nomen suum, quod superius dixerat sanctum. Hoc est ergo quod oramus in oratione dominica, dicentes: *Sanctificetur nomen tuum*; ut sanctificetur in hominibus, quod per se ipsum sine dubio semper est sanctum. Denique sequitur: *Et scient omnes gentes, quia ego sum Dominus, dicit Adonai Dominus, cum sanctificatus fuero in vobis.* Cum ergo ipse semper sit sanctus, sanctificatur tamen in eis quibus largitur gratiam suam, auferendo ab eis cor lapideum, per quod nomen Domini profanaverunt.

31. NE autem putetur, nihil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideo in Psalmo dicitur: *Nolite obdurare corda vestra.* Et per ipsum Ezechielem: *Projicite à vobis omnes impietates vestras, quas impiè egistis in me, & facite vobis cor novum & spiritum novum, & facite omnia mandata mea. Ut quid moriemini, domus*

Quomodo sanctificatur nomen Dei in electis. *Matt. 6.9.*

CAP. XV.
Liberum arbitrium non nihil facere in cordis conversione. *Psal. 94.8. Ezech. 18. 31.*

Israël, dicit Dominus; quia nolo mortem morientis, dicit Adonai Dominus, a & convertimini & vivetis? Meminerimus eum dicere, et convertimini & vivetis; cui dicitur: *Converte nos, Deus. Meminerimus eum dicere, projicite à vobis omnes impietates vestras; cum ipse justificet impium. Meminerimus ipsum dicere, facite vobis cor novum & spiritum novum; qui dicit: Dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo in vobis.* Quomodo ergo qui dicit: *Facite vobis;* hoc dicit: *Dabo vobis?* Quare jubet, si ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est; nisi quia dat quod jubet, cum adjuvat, ut faciat, cui jubet? Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à justitia libera est, quando servit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando servit justitiæ, & tunc est bona. Gratia verò Dei semper est bona, & per hanc fit ut sit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cum valdè perfectèque voluerit. Ad hoc enim valet quod scriptum est: *Si volueris, conservabis mandata;* ut homo qui voluerit & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut faciat quod jubetur. Tunc enim utile est velle, cum possumus; & tunc utile est posse, cum volumus: nam quid prodest,

a Sic MSS. Vatic. & Gallic. At editi, sed convertimini.

Psal. 79. 4.
vel Psal. 84. 5.
Rom. 4. 5.

Ezech. 36. 26.

Deus dat
quod ju-
bet.

Eccli. 15. sec. LXX.
Si volueris, conservabis mandata, quo sensu dicitur.

dest, si quod non possumus volumus, aut quod possumus nolumus?

32. MAGNUM aliquid pelagiani se scire putant, quando dicunt: *Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri.* Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat quod lex imperat. Denique ipse qui dixit: *Si volueris, conservabis mandata;* in eodem libro Ecclesiastico aliquantò post dicit: *Quis dabit in ore meo custodiam, & super labia mea signaculum astutum, ne fortè cadam ab eo, & lingua mea perdat me?* Jam certè mandata acceperat: *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Cum ergo verum sit quod dixit: *Si volueris, conservabis mandata;* quare quærit in ore suo dari custodiam; similis ei qui dicit in Psalmo: *Pone Domine custodiam ori meo?* Quare non ei sufficit mandatum Dei & voluntas sua; quandoquidem si voluerit, conservabit mandata? Quàm multa Dei mandata sunt contra superbiam: jam novit ea; si voluerit, conservabit ea. Quare ergo paulò post dicit: *Domine Pater & Deus vitæ meæ, elationem oculorum ne dederis mihi?* Jam dixerat ei lex: *Non concupisces;* velit ergo, & faciat quod jubetur; quoniam si voluerit, conservabit mandata. Quare sequitur & dicit: *Concupiscentiam averte à me?* Contra luxuriam Deus quàm multa mandavit: faciat ea; quia si voluerit, conservabit mandata. Quid est quod clamat ad Deum: *Ventris appetitio, & concubitus ne apprehendat me?* Si hæc ei præsentem diceremus, rectissimè nobis responderet & diceret: *Ex ista oratione mea, qua hæc à*

CAP. XVI.
Deus jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.

Eccli. 22. 33.

Ps. 35. 14.

Ps. 140. 3.

Eccli. 23. 4 & 5.
Ezod. 20. 17.

Eccli. 23. 6.

Ibidem.

Deo

Dei mandata si volumus, servamus, quo sensu rectè dicatur.

Prov. 8.
sec. LXX.
Pr. 36. 23.

Phil. 2. 13.

Ezech. 36.
27.

Ezech. 11.
19. & 36.
26.

Ps. 140. 3.

Psal. 38. 2.

CAP. XVII.
Voluntas bona parva & invalida.

Magna voluntas, magna caritas.

Joan. 15.
13.

Deo peto, intelligite quomodo dixerim: *Si volueris, conservabis mandata.* Certum est enim nos mandata servare, si volumus: sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. Certum est nos velle, cum volumus: sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulò ante posui: *Præparatur voluntas à Domino;* de quo dictum est: *A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet;* de quo dictum est: *Deus est qui operatur in vobis & velle.* Certum est nos facere, cum facimus: sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit: *Faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis.* Cum dicit, *faciam ut faciatis;* quid aliud dicit, nisi *auferam à vobis cor lapideum,* unde non faciebatis; & *dabo vobis cor carneum,* unde faciatis? Et hoc quid est, nisi auferam cor durum, unde non faciebatis; & dabo cor obediens, unde faciatis? Ille facit ut faciamus, cui dicit homo: *Pone Domine custodiam ori meo.* Hoc est enim dicere: *Fac ut ponam custodiam ori meo: quod beneficium Dei jam fuerat consecutus, qui dixit: Posui ori meo custodiam.*

33. QUI ergo vult facere Dei mandatum & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit & robustam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magnam utique voluntate, hoc est, magnam caritate fecerunt: de qua caritate ipse Dominus ait: *Majorem hac caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro*

pro amicis suis. Unde & Apostolus dicit: *Qui enim diligit proximum, legem implevit: nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitatur: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur: plenitudo ergo legis, dilectio.* Ipsam caritatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. *Timor enim non est in caritate, sicut ait Joannes Evangelista in epistola sua; sed perfecta caritas foras mittit timorem.* Et tamen quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino: *Animam meam pro te ponam;* putabat enim se posse, quod se velle sentiebat. Et quis istam etsi parvam dare coeperat caritatem, nisi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: *Certus sum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus. De operante illo ut velimus, dictum est: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle.* De cooperante autem cum jam volumus & volendo facimus: *Scimus,* inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum.* Quid est omnia, nisi & ipsas terribiles sævasque passiones? Sarcina quippe illa Christi, quæ infirmitati gravis est, levis effici-

Rom. 13. 8.
& seq.

Lev. 19. 18.

Matt. 26.
69. & seq.
1. Joan. 4.
18.

Joan. 13.
37.

Gratia operans & cooperans.

Phil. 1. 6.

Phil. 2. 13.

Rom. 8. 28.

Sarcina passionum infirmitati

gravis, caritati levis.
Math. II. 30.

Caritas ab Apostolo commendata.

Rom. 8. 35. & seq.

Prat. 43. 22.

I. Cor. 12. 31. & I. Cor. 13. 1. & seq.

citur caritati. Talibus enim Dominus dixit esse suam sarcinam levem, qualis Petrus fuit quando passus est pro Christo, non qualis fuit quando negavit Christum.

34. Istam caritatem, id est, divino amore ardentissimam voluntatem commendans Apostolus, dicit: Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est: Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus velut oves occisionis. Sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque presentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Et alio loco dicit: Adhuc supereminentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum ærumentum sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & si sciero omnia sacramenta, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero omnia mea pauperibus, & si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Caritas magnanima est, benigna est; caritas non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non dehonestatur, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat,

rat, omnia suffert; caritas numquam cadit.

Et paulò post: Manet, inquit, fides, spes, caritas, tria hæc; major autem horum caritas: sectamini caritatem. Item dicit ad Galatas: Vos enim in libertatem vocati estis, fratres; tantum ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per caritatem servite invicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur, in eo quoddam diliges proximum tuum tanquam te ipsum. Hoc est quod ad Romanos ait: Qui diligit alterum, legem implevit. Item dicit ad Colossenses: Super omnia autem hæc caritatem, quæ est vinculum perfectionis. Et ad Timotheum: Finis, inquit, præcepti est caritas; & adjungens qualis caritas, de corde, inquit, puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Ad Corinthios autem a cum dicit: Omnia vestra cum caritate fiant; satis ostendit, etiam ipsas correptiones, quas asperas & amaras sentiunt qui corripiuntur, cum caritate esse faciendas. Unde alibi cum dixisset: Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes; mox adjunxit: Videte ne quis malum pro malo alicui reddat. Ergo & quando corripiuntur inquieti, non malum pro malo, sed potius bonum redditur. Hæc autem omnia quæ nisi caritas operatur?

35. Et Apostolus Petrus: Ante omnia, inquit, mutuam inter vos caritatem b perpetuam habentes, quia caritas cooperit multitudinem peccatorum. Dicit etiam Apostolus Jacobus: Si tamen legem perficitis regalem, Jac. 2. 8.

a Particula cum à Lov. & nonnullis MSS. omissa est.
b Editi & aliquot MSS. perpetua.

Ibid. 13.

I. Cor. 14. 1.

Gal. 5. 13.

Lev. 19. 18.

Rom. 13. 8.

Colos. 3. 14.

I. Tim. 1.

5.

a

I. Cor. 16.

14.

Correptio

cum cari-

tate fa-

cienda.

I. Thess. 5.

14.

I. Pet. 4. 8.

b

Jac. 2. 8.

se-

- Lev. 19. 18. secundum Scripturas : Diliges proximum tuum tamquam te ipsum, bene facitis. Item
1. Joan. 2. 10. Joannes Apostolus: Qui diligit, inquit, fratrem suum, in lumine manet. Et alio loco: Qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum: quia hæc est annuntiatio quam audivimus ab initio, ut diligamus invicem. Itemque alibi: Hoc est, inquit, mandatum illius, ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, & diligamus invicem. Et iterum: Hoc, inquit, mandatum habemus ab ipso, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Et paulo post: In hoc, inquit, cognoscimus, quia diligimus filios Dei, cum Deum diligimus, & præcepta ejus facimus. Hæc est enim dilectio Dei, ut præcepta ejus servemus, & præcepta ejus gravia non sunt. Et in epistola secunda scriptum est: Non quasi præceptum novum scribam tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus invicem.
2. Joan. 5. 2. 36. Dicit etiam ipse Dominus Jesus, in duobus præceptis dilectionis Dei & dilectionis proximi totam legem Prophetasque pendere. De quibus duobus præceptis in Evangelio secundum Marcum scriptum est: Et accessit unus de scribis qui audierat illos perquirentes, & videns quoniam illis bene responderit, interrogavit eum, quod esset primum omnium mandatum. Jesus autem respondit ei: Primum omnium mandatum est: Audi, Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est; & Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: hoc est primum mandatum. Secundum autem simile illi: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum:
- ma-

majus horum aliud non est mandatum. Dicit etiam in Evangelio secundum Joannem: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

37. HÆC omnia præcepta dilectionis, id est, caritatis, quæ tanta & talia sunt, ut quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine caritate, nullo modo fiat bene; hæc ergo præcepta caritatis inaniter darentur hominibus, non habentibus liberum voluntatis arbitrium: sed quia per legem dantur & veterem & novam (quamvis in nova venerit gratia quæ promittebatur in vetere, lex autem sine gratia littera est occidens, in gratia verò spiritus vivificans) unde est in hominibus caritas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt pelagiani: si autem ex Deo, vicimus pelagianos. Sedeat ergo inter nos judex Apostolus Joannes, & dicat nobis: Carissimi, diligamus invicem. In his verbis Joannis cum se illi extollere cœperint & dicere: Ut quid nobis hoc præcipitur, nisi quia ex nobis habemus ut invicem diligamus? sequitur continuo idem Joannes, confundens eos & dicens: quia dilectio ex Deo est. Non itaque ex nobis, sed ex Deo est. Cur ergo dictum est: Diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est; nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium, ut quæreretur Dei donum? Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreretur, unde quod jubebatur impleteret. Cum dicitur, diligamus invicem, lex est: cum dicitur,

quia

Joan. 13. 34.

CAPUT XVIII
Caritas quæ præcepta implentur, non ex nobis est, sed ex Deo.

Lex sine gratia littera est occidens.

1. Joan. 4. 7.

Ibidem.

Prov. 3. 16. sec. LXX. quia dilectio ex Deo est, gratia est. Sapientia quippe Dei legem & misericordiam in lingua portat. Unde scriptum est in Psalmo: *Psal. 83. 8.* Etenim benedictionem dabit qui legem dedit.

38. Nemo ergo vos fallat, fratres mei: quia nos non diligemus Deum, nisi nos prior ipse diligeret. Idem Joannes apertissime hoc ostendit, & dicit: *Nos a diligamus, quia ipse prior dilexit nos.* Gratia nos facit legis dilectores, lex verò ipsa sine gratia non nisi prævaricatores facit. Et quod discipulis suis dicit Dominus: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos;* nihil aliud indicat nobis. Si enim nos prius dileximus, ut hoc merito nos ipse diligeret; prius illum nos elegimus, ut ab illo eligi mereremur. Sed ipse qui veritas est, aliud dicit, & huic vanitati hominum apertissime contradicit: *Non vos me elegistis,* inquit. Si ergo non elegistis, sine dubio nec dilexistis: quomodo enim eum eligerent, quem non diligerent? *Sed ego,* inquit, *vos elegi.* Numquid non & ipsi postea elegerunt eum, & omnibus bonis hujus sæculi prætulērunt?

Sed quia electi sunt, elegerunt: non quia elegerunt, electi sunt. Eligentium hominum meritum nullum esset, nisi eos eligentis gratia Dei præveniret. Unde & Apostolus Paulus benedicens ^b Thessalonicenses: *Vos,* inquit, *Dominus multiplicet, & abundare faciat in caritate in invicem & in omnes.* Hanc benedictionem dedit ut nos invicem diligeremus, qui legem dederat ut invicem diligamus. Denique alio loco ad eosdem, quia sine dubio in quibusdam eorum jam erat, quod eis ut

^a In MSS. Vatic. & Gallic. *Nos diligimus.*

^b Omnes MSS. benedicens *Colosenses.*

eset optaverat: *Gratias,* inquit, *agere debemus Deo semper pro vobis, fratres, sicut dignum est, quoniam supercrevit fides vestra, & abundat caritas uniuscujusque vestrum in invicem.* Hoc dixit, ne fortè de tanto bono quod ex Deo habebant, tamquam ex se ipsis id habentes extollerentur. Quòd ergo supercrevit fides vestra, inquit, & abundat caritas uniuscujusque vestrum in invicem, gratias agere debemus Deo de vobis; non ita vos laudare, tamquam hoc habeatis ex vobis.

39. Et ad Timotheum dicit: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & caritatis, & continentie.* In quo sanè Apostoli testimonio cavere debemus, ne nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est Dei donum, de quo dicit Propheta Isaias: *Requiescet super eum spiritus sapientie & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientie & pietatis, spiritus timoris Domini.* Non quo timore Petrus Christum negavit, sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Christus: *Eum timete, qui habet potestatem & animam & corpus perdere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete.* Hoc autem dixit, ne illo timore negaremus eum, quo turbatus est Petrus. Hunc enim auferri voluit à nobis, cum prius dixit: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant.* Hujus timoris non accepimus spiritum, sed virtutis, & caritatis, & continentie. De quo spiritu idem ipse ad Romanos ait: *Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundet.*

fundit; quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Non itaque per nos, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis: ipsa caritate fit, quam Dei donum esse manifestat, ut tribulatio non auferat, sed potius operetur patientiam. Ad Ephesios etiam; Pax, inquit, fratribus, & caritas cum fide. Magna bona: sed dicat unde? à Deo, inquit, Patre & Domino Jesu Christo. Ergo hæc magna bona, non sunt nisi Dei dona.

Ephes. 6.
23.

CAPUT
XIX.

Joan. 1. 5.

1. Joan. 3.

1.

Pelagianorum tenebræ, cum scientiam legis ex Deo, caritatem vero ex nobis esse volunt.

1. Cor. 2.

12.

1. Joan. 4.

16.

1. Cor. 8. 1.

Eph. 3. 19.

40. SED non est mirum, si lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehendunt. In Joanne Lux dicit: *Ecce qualem dilectionem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur & simus.* Et in pelagianis tenebræ dicunt: *Dilectio nobis ex nobis est.* Quam si veram, id est, christianam dilectionem haberent, scirent & unde haberent; sicut sciebat Apostolus, qui dicebat: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est; ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Joannes dicit: *Deus dilectio est.* Et pelagiani etiam ipsum Deum non ex Deo, sed ex semetipsis habere se dicunt: & cum scientiam legis ex Deo nobis esse fateantur, caritatem ex nobis ipsis volunt. Nec audiunt Apostolum dicentem: *Scientia inflat, caritas autem ædificat.* Quid est ineptius, imò verò quid est amentius, & ab ipsa sanctitate caritatis alienius, quàm confiteri ex Deo esse scientiam, quæ sine caritate inflat, & ex nobis esse caritatem, quæ facit ut scientia inflare non possit? Item cum dicat Apostolus: *Supereminentem scientiæ caritatem Christi;* quid est insanius, quàm putare ex Deo esse scientiam, quæ subdenda est caritati, & ex hominibus

ca-

caritatem, quæ supereminet scientiæ? Fides autem vera & doctrina sana ambas esse dicit ex Deo, quia scriptum est: *A facie ejus scientia & intellectus procedit;* scriptum est: *Caritas ex Deo est.* Et legimus: *Spiritum scientiæ & pietatis;* legimus: *Spiritum virtutis, & caritatis, & continentie.* Sed majus est donum caritas quàm scientia: nam scientia quando est in homine, caritas est necessaria, ne inflatur; caritas autem non amulatur, non agit perperam, non inflatur.

41. SATIS me disputasse arbitror adversus eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, & cum bona fuerit adjuvatur: & sic disputasse, ut non magis ego, quàm divina ipsa Scriptura vobiscum locuta sit evidentissimis testimoniis veritatis. Quæ Scriptura divina si diligenter inspicatur, ostendit non solum bonas hominum voluntates quas ipse facit ex malis, & à se factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam, verum etiam illas quæ conservant sæculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse judicat, occultissimo quidem judicio, sed sine ulla dubitatione justissimo. Nam invenimus aliqua peccata etiam pœnas esse aliorum peccatorum: sicut sunt vasa iræ, quæ perfecta dicit Apostolus in perditionem: sicut est induratio Pharaonis, cujus & caussa dicitur, ad ostendam in illo virtutem Dei: sicut est fuga Israëlitarum à facie hostium de civitate Gai: in animo enim factus est timor ut fugerent, & hoc factum est ut vindicaretur peccatum

Prov. 2.
sec. 1XX.

1. Joan. 4.

7.

Isa. II. 2.

2. Tim. 1.

7.

1. Cor. 8. 1.

1. Cor. 13. 4.

CAPUT
XX.

Voluntates hominum ita esse in Dei potestate, ut eas quò voluerit faciat inclinari.

Confer. lib.
5. contra
Fulianum
cap. 4.

Peccata quaedam pœnas esse aliorum peccatorum.

Rom. 9. 22.

Exod. 7. 3.

& 10. 1.

Foris 7. 4.

52

eo

eo modo, quo fuerat vindicandum, unde dicit Dominus ad Jesum Nave: *Non poterunt filii Israël subsistere ante faciem inimicorum suorum. Quid est, Non poterunt subsistere?* Quare non subsistebant per liberum arbitrium, sed per timorem turbata voluntate fugiebant; nisi quia Deus dominatur & voluntatibus hominum, & quos vult in formidinem convertit iratus? Numquid non hostes Israëlitarum adversus populum Dei, quem ducebat Jesus Nave, sua voluntate pugnarunt? Et tamen dicit Scriptura: *Quia per Dominum factum est confortari cor eorum, ut obviam irent ad bellum ad Israël, ut exterminarentur.* Numquid non sua voluntate homo improbus filius Gemini male dicebat regi David? Et tamen quid ait David, plenus vera, & alta, & pia sapientia? Quid ait illi qui maledicentem percutere voluit? *Quid mihi, inquit, & vobis, filii Sarviae? Dimittite eum, & maledicat; quia Dominus dixit illi maledicere David. Et quis dicet ei: Quare fecisti sic?* Deinde Scriptura divina plenam sententiam regis velut ab alio initio repetendo commendans: *Et dixit, inquit, David ad ^a Abessa & ad omnes pueros ejus: Ecce filius meus qui exiit de utero meo quaerit animam meam ^b, & adhuc modo filius Gemini? Sinite illum, maledicat, quoniam dixit illi Dominus, ut videat Dominus humilitatem meam, & retribuatur mihi bona pro maledicto ejus in die isto.* Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere David,

^a Editi, ad Abirai. At MSS. ad Abessa: ut in LXX.

^b Sic MSS. Gallic. Vatic. & Belgic. juxta graecum LXX. *καὶ κερσέτι τὸν υἱὸν τοῦ Γεμίνι.* Editi ferebant, quanto magis hic filius Gemini.

vid, quis sapiens & intelliget? Non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur; sed quod ejus voluntatem proprio vitio suam in hoc peccatum judicio suo justo & occulto inclinavit, ideo dictum est, *dixit ei Dominus.* Nam si jubenti obtemperasset Deo, laudandus potius quam puniendus esset; sicut ex hoc peccato postea novimus esse puni- tum. Nec causa tacita est, cur ei Dominus isto modo dixerit maledicere David, hoc est, cor ejus malum in hoc peccatum miserit vel dimiserit: *Ut videat, inquit, Dominus humilitatem meam, & retribuatur mihi bona pro maledicto ejus in die isto.* Ecce quomodo probatur, Deum uti cordibus etiam malorum ad laudem atque adjumentum bonorum. Sic usus est Juda tradente Christum, sic usus est Judæis crucifigentibus Christum. Et quanta inde bona præstitit populis credituris? Qui & ipso diabolo utitur pessimo, sed optimè, ad exercendam & probandam fidem & pietatem bonorum, non sibi, qui omnia scit ante quàm fiant, sed nobis, quibus erat necessarium, ut eo modo ageretur nobiscum. Numquid non sua voluntate ^a Abessalon elegit consilium quod sibi oberat? Et tamen ideo fecit, quia exaudierat Dominus ejus patrem orantem, ut hoc fieret. Propter quod Scriptura ait: *Et Dominus mandavit dissipare consilium Achitophel bonum, ut inducat Dominus super Abessalon omnia mala.* Bonum consilium dixit, quod ad tempus proderat causæ, quia pro ipso erat contra pa-

2. Reg. 17.
14.

s 3

^a Editi Abssalon. Et infra cap. 21. *Achie Silonita.* At MSS. cum LXX. constanter ferunt, *Abessalon, Achie Silonita.*

trem ejus, contra quem rebellaverat, ut posset eum opprimere, nisi Dominus consilium dissipasset quod dederat Achitophel, agendo in corde Abessalon, ut tale consilium repudiaret, & aliud quod ei non expediebat eligeret.

CAPUT XXI.

Deum in cordibus etiam malorum agere quidquid vult.

3. Reg. 12. 8. & 14.

Ibid. 15.

2. Par. 21. 16.

42. QUIS non ista judicia divina contremiscat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum quidquid vult, reddens eis tamen secundum merita eorum? Roboam filius Salomonis respuit consilium salubre seniorum, quod ei dederant, ne cum populo dure ageret, & verbis coarvorum suorum potius adquevit, respondendo minaciter quibus laniter debuit. Unde hoc nisi propria voluntate? Sed hinc ab eo recesserunt decem tribus Israël, & alium regem sibi constituerunt Jeroboam, ut irati Dei voluntas fieret, quod etiam futurum esse prædixerat. Quid enim Scriptura dicit? *Et non audivit rex plebem, quoniam erat conversio à Domino, ut statueret verbum suum quod locutus est in manu Achiaæ Selonitæ de Jeroboam filio Nabath.* Nempe sic factum est illud per hominis voluntatem, ut tamen conversio esset à Domino. Legite libros Paralipomenon, & invenietis in secundo libro scriptum: *Et suscitavit Dominus super Joram spiritum Philistinum & Arabum, qui finitimi erant Æthiopicibus, & adscenderunt in terram Juda, & dissipaverunt eam, & ceperunt omnem substantiam, que in domo regis inventa est.* Hic ostenditur, Deum suscitare hostes eis terris vastandis, quas tali pœna judicat dignas. Numquid tamen philistinum & arabes in terram Judæam dissipandam sine sua voluntate venerunt, aut sic venerunt sua volun-

tate, ut mendaciter scriptum sit, quod Dominus ad hoc faciendum eorum spiritum suscitavit? Imò utrumque verum est, quia & sua voluntate venerunt, & tamen spiritum eorum Dominus suscitavit. Quod etiam sic dici potest: & eorum spiritum Dominus suscitavit, & tamen sua voluntate venerunt. Agit enim Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino injustè aliquid velle non novit. Quid est quod homo Dei dixit ad a Amessiam regem:

Non veniat tecum exercitus Israël, non est enim Dominus cum Israël b, omnibus filiis

*Ephrem: quoniam si putaveris obtinere in illis, in fugam convertet te Deus ante inimicos, quoniam virtus est Deo vel adjuvare vel in fugam vertere? Quomodo virtus Dei alios adjuvat in bello dando eis fiduciam, alios immisso timore vertit in fugam, nisi quia ille qui in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, etiam in cordibus hominum operatur? Legimus quid dixerit Joas rex Israël, mittens nuntium ad Amessiam regem volentem pugnare cum illo. Nam post aliqua dixit: *Nunc sede in domo tua. Quia provocas in malum, & cadis tu, & Juda tecum?* Deinde Scriptura subjunxit: *Et non audivit Amessias; quoniam à Deo erat ut traderetur in c manus, quoniam quesierunt deos Edom.* Ecce Deus idololatriæ peccatum volens vindicare, hoc operatus est in ejus*

s 4

con-

a Sic MSS. juxta LXX. At editi, Amasiam

b Hic particulam & delevimus, quia abest à MSS. & LXX.

c Plerique MSS. in manum. Editi, in manus ejus. Abest ejus à MSS. & LXX.

corde, cui utique justè irascebatur, ut admonitionem salubrem non audiret, sed ea contempta iret in bellum, ubi cum suo exercitu caderet. Per Ezechielem Prophetam dicit Deus: *Et Propheta si erraverit & locutus fuerit, ego Dominus seduxi Prophetam illum, & extendam manum meam super eum, & exterminabo eum de medio populo meo Israël.* In libro Esther scriptum est,

Ezech. 14.
9.

Esther 3.
4.

Esther 5.
sec. LXX.

quæ mulier ex populo Israël in terra captivitatis facta erat uxor alienigenæ regis Assueri: ergo in ejus libro scriptum est, quòd cum haberet necessitatem interveniendi pro populo suo, quem rex, ubicumque in regno ejus esset, jusserat trucidari, oravit ad Dominum: cogebat enim eam magna necessitas, ut præter jussum regis & præter ordinem suum ad illum auderet intrare. Et videte quid Scriptura dicat: *Et intuitus est eam tamquam taurus impetu indignationis suæ, & timuit regina, & conversus est color ejus per dissolutionem, & inclinavit se super caput delicata suæ, quæ præcedebat eam: & convertit Deus, & transtulit indignationem ejus in lenitatem.* Scriptum est & in Proverbiis Salomonis: *Sicut impetus aquæ, sic cor regis in manu Dei; quodcumque voluerit, declinavit illud.* Et in Psalmo centesimo quarto legitur dictum de Ægyptiis, quid eis fecerit Deus: *Et convertit cor eorum ut odissent eum.* In litteris etiam apostolicis videte quæ scripta sunt. In epistola Pauli Apostoli ad Romanos: *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam.* Item paulò post: *Propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominie.* Item paulò

Prov. 21.1.

Psal. 104.
25.

Rom. 1.24.

Ibid. 26.

post:

post: *Sicut non probaverunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt.* Et ad Thessalonicenses in epistola secunda ait de quibusdam: *Pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, & ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

Ibid. 28.

2. Thess. 2.
10.

43. His & talibus testimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quodcumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen justo. Fixum enim debet esse & immobile in corde vestro, quia non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc quando legitis in litteris veritatis, à Deo seduci homines, aut obtundi vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, ut justè ista paterentur: ne incurritis in illud proverbium Salomonis: *In sapientia viri violat vias ejus, Deum autem causatur in corde suo.* Gratia verò non secundum merita hominum datur, alioquin gratia jam non est gratia: quia ideo gratia vocatur, quia gratis datur. Si autem potens est, sive per Angelos, vel bonos vel malos, sive quocumque alio modo operari etiam in cordibus malorum, pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab Adam, aut crevit per propriam

Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quod voluerit.

Rom. 9.14.

Prov. 19.3.

Rom. 11.6.

Malitia originaliter ab Adam tracta.

VO-

voluntatem: quid mirum est, si per Spiritum sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est ut ipsa corda essent ex malis bona?

CAPUT
XXII.
Gratiæ
gratuitæ
exemplum
in parvulis.

44. SED suspicentur homines qualibet merita bona, quæ putant præcedere, ut iustificentur per Dei gratiam; non intelligentes, cum hoc dicunt, nihil aliud quàm se negare gratiam: sed, ut dixi, quod volunt de maioribus suspicentur; de parvulis certè pelagiani quid respondeant non inveniunt, quorum nec voluntas ulla est in accipienda gratia, cujus voluntatis meritum præcessisse dicant, & insuper eos etiam cum fletu reluctari videmus, quando baptizantur & divina sacramenta percipiunt; quod eis ad magnum impietatis peccatum imputaretur, si jam libero uterentur arbitrio: & tamen hæret etiam in reluctantibus gratia, apertissimè nullo bono merito præcedente, alioquin gratia jam non esset gratia. Et aliquando filiis infidelium præstatur hæc gratia, cum occulta Dei providentia in manus piorum quomodocumque perveniunt; aliquando autem filii fidelium non eam consequuntur, aliquo impedimento existente, ne possit periclitantibus subveniri. Fiunt verò ista per occultam Dei providentiam, cujus inscrutabilia sunt judicia, & investigabiles viæ: quod ut Apostolus diceret, quid prædixerit intuemini. Agebat enim de judæis & gentibus, eum scriberet ad romanos, id est, ad gentes, & ait: *Sicut enim aliquando vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis in illorum incredulitate: ita & hi nunc non crediderunt in vestra misericordia, ut & ipsi misericordiam consequantur: conclusit enim Deus om-*

Rom. II.
30.

*omnes in infidelitate, ut omnium misereatur. Et cum adtendisset quid dixerit, admirans sententiæ suæ certam quidem veritatem, sed magnam profunditatem, quomodo concluderit Deus omnes in infidelitate, ut omnium misereatur, quasi faciens mala ut venirent bona, mox exclamavit atque ait: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Hæc enim inscrutabilia judicia & investigabiles vias perversi homines non cogitantes, & proclives ad reprehendum, non idonei ad intelligendum, putabant & jactabant Apostolum dicere: *Faciamus mala, ut veniant bona.* Quod absit ut Apostolus diceret: sed homines non intelligentes hoc putabant dici, quando audiebant quod dixit Apostolus: *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.* Sed utique gratia id agit, ut jam fiant bona ab eis qui fecerunt mala; non ut perseverent in malis, & reddi sibi existiment bona. Non itaque debent dicere: *Faciamus mala, ut veniant bona;* sed Fecimus mala, & venerunt bona; jam faciamus bona, ut in futuro sæculo recipiamus pro bonis bona, qui in hoc sæculo recipimus pro malis bona. Propter quod scriptum est in Psalmo: *Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine.* Prius itaque non ideo venit Filius hominis in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum; hoc propter misericordiam: postea verò propter judicium venturus est judicare vivos & mortuos; quàmvis & in hoc tempore ipsa salvatio non fiat sine judicio, sed occulto. Ideo ait: *In judicium ve-**

Ibidem 33.

Rom. 3. 8.

Rom. 5. 20.

Psal. 100. 1.
Joan. 3. 17.

Joan. 9. 39.

ni

ni in hunc mundum, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.

CAPUT
XXIII.
Cur huic
subvenitur,
illi non
subvenitur,
revocan-
dum ad ju-
dicia Dei
occulta.

Sap. 4. II.

Phil. 3. 16.
& 15.

a

Matt. 10.
26.

Ezech. 14.
9.

Rom. 9. 18.
b

Exod. 8.
32.

45. AD occulta ergo Dei judicia revoca-
te, quando videtis in una caussa, quam cer-
tè habent omnes parvuli, hereditarium malum
trahentes ex Adam, huic subveniri ut bapti-
zetur, illi non subveniri ut in ipsa obligatio-
ne moriatur; illum baptizatum in hac vita re-
linqui, quem præcivit Deus impium futurum,
istum verò baptizatum rapi ex hac vita, ne
malitia mutet intellectum ejus: & nolite in
istis dare injustitiam vel insipientiam Deo, apud
quem justitiæ fons est, & sapientiæ: sed sicut
vos exhortatus sum ab initio sermonis hujus,
in quod pervenistis, in eo ambulate, & a hoc
quoque vobis Deus revelabit, & si non in
hac vita, certè in altera: *Nihil est enim oc-
cultum quod non revelabitur.* Quando ergo
auditis dicentem Dominum: *Ego Dominus
seduxi prophetam illum;* & quod ait Apos-
tolus: *Cujus vult miseretur, & quem vult
obdurat;* in eo quem seduci permittit vel
obdurari, mala ejus merita credite; in eo ve-
rò ejus miseretur, gratiam Dei non reddentis
mala pro malis, sed bona pro malis, fide-
liter & indubitanter agnoscite. Nec ideo aufe-
ratis à Pharaone liberum arbitrium, quia mul-
tis locis dicit Deus: *Ego induravi Pharao-
nem, vel induravi, aut indurabo cor Pha-
raonis.* Non enim propterea ipse Pharaon non
induravit cor suum. Nam & hoc de illo legi-
tur, quando ablata est ab Ægyptiis cynomy-
ia, dicente Scriptura: *Et ingravit Pharaon
cor suum & in isto tempore, & noluit*

a Hæc in editis immissum est, si aliquid aliter sapi-
tis: quod in MSS. non erat.

b Aliquot MSS. vel obdurat.

dimittere populum. Ac per hoc & Deus in-
duravit per justum judicium, & ipse Pharaon
per liberum arbitrium. Certi ergo estote, quia
non erit inanis labor vester, si in bono pro-
posito proficientes perseveretis usque in finem.
Deus enim qui modò illis quos liberat non
reddit secundum opera eorum, tunc reddet
unicuique secundum opera ejus. Reddet omni-
nino Deus & mala pro malis, quoniam justus
est; & bona pro malis, quoniam bonus est;
& bona pro bonis, quoniam bonus & justus
est: tantummodo mala pro bonis non reddet,
quoniam injustus non est. Reddet ergo mala
pro malis, poenam pro injustitia; & reddet
bona pro malis, gratiam pro injustitia; &
reddet bona pro bonis, gratiam pro gratia.

46. REPETITE assidue librum istum,
& si intelligitis, Deo gratias agite: tibi au-
tem non intelligitis, orate ut intelligatis: da-
bit enim vobis Dominus intellectum. Me-
mentote scriptum esse: *Si quis vestrum in-
diget sapientia, postulet à Deo, qui dat
omnibus affluentem, & non improperat, &
dabitur ei.* Ipsa est sapientia de sursum des-
cendens, sicut ipse Apostolus Jacobus dicit.
Illam verò sapientiam repellite à vobis, &
orate ut non sit in vobis, quam detestatus est,
ubi ait: *Quod si zelum amarum habetis,*
& contentiones in vobis sunt, non est ista
sapientia de sursum descendens, sed ter-
rena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus
& contentio est, ibi inconstantia & omne
opus pravum. Quæ autem de sursum est sa-
pientia, primum quidem pudica est, deinde
pacifica, modesta, suadibilis, plena mi-
sericordia & fructibus bonis, inestimabilis,
sine simulatione. Quid boni ergo non habe-
bit,

Matt. 16.
27.

CAPUT
XXIV.
Intellectus
& sapientia
petatur à
Deo.
Jacobi 1. 5.

Jacobi 3.
14

bit, qui hanc sapientiam postularit & impetrarit à Domino? Et hinc intelligite gratiam; quia si ex nobis esset ista sapientia, de sursum non esset, nec ab ipso qui nos creavit Deo postulanda esset. Fratres, orate & pro nobis, ut temperanter, & piè, & justè vivamus in hoc sæculo, expectantes illam beatam spem, & manifestationem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, cui est honor, & gloria, & regnum cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

Tit. 2, 12.

VALENTINI AD AUGUSTINUM
post librum de gratia & libero arbitrio,
& superiores ejus litteras
rescribentis

Epistola inter Augustinianas CCXVI.

Domino verè sancto, ac nobis venerabiliter
super omnia preferendo, & pia exultatione
colendo, beatissimo papæ AUGUSTINO,
VALENTINUS servus tuæ sanctitatis, & omnis
congregatio quæ tuis orationibus mecum
sperat, in Domino salutem.

I. VENERABILIA scripta, & li-

* Librum
superio-
rem, de
Gratia &
libero ar-
bitrio.

brum * tuæ sanctitatis ita tremebundo cor-
de suscepimus, ut sicut beatus Elias cum
in spelunca limine staret, faciem suam glo-
ria Domini transeunte velavit; ita nos ob-
jurgatos oculos teximus, quia per rusticita-
tem fratrum nostrorum nostro judicio eru-
bui-

guimus, quorum inordinata profectione tuama
metuimus beatitudinem salutare; quia tem-
pus loquendi, & tempus tacendi: ne dum
per dubitantes & de veritate fluctuantes
scriberemus, de dictis sapientiæ tuæ, quæ
est sicut Angeli Dei, dubitare cum dubi-
tantibus videremur. Non enim erat nobis
necessarium interrogare de beatitudine, &
de sapientia tua, quæ est nobis nota per
Domini gratiam. Nam ad librum * dul-
cissimæ sanctitatis tuæ ita sumus alacriter
jocundati, ut sicut Apostoli Dominum post
resurrectionem prandentem secum non au-
debant interrogare, quis esset: Sciebant enim
quia Jesus est: ita & nos nec volumus,
nec ausi sumus interrogare de libro, utrum
tuæ sanctitatis esset, cum ipsa fidelium gra-
tia quæ in eo liberaliter commendatur, nobis
tuum esse, domine sancte papa, eloquiis vi-
vacissimis contestetur.

2. Incipiamus autem, domine beatissime
papa, ipsius ordinem perturbationis exponere.
Carissimus frater noster Florus servus
paternitatis tuæ, cum ad Uzalensem pa-
triam fuisset suadente caritate profectus,
eulogias * monasterio inter ipsas suæ civi-
tatis moras de opusculis nobis tuæ adtulit
sanctitatis, uno fratre Felice, qui ad tuam
sanctitatem tardè post comites suos venisse
dinoscitur, eundem librum * devotè dictan-
te. Ventum est ad monasterium cum eodem
libello, fratre Floro ad carthaginem de Uza-
lensi civitate profecto. Mihi non monstrato

* al. dulcis-
simum.
Joan. 21.
12.

* al. mo-
nasterii.

* Librum
seu episto-
lam 194.
ad Sixtum.

a Legebatur antea, metuimus: non rectè, nisi verbo
præfigatur particula negans. Sequimur hic antiquissimum
Corbelense exemplar, in quo epistola cum superiore Au-
gustini libro conjungitur.

bit, qui hanc sapientiam postularit & impetrarit à Domino? Et hinc intelligite gratiam; quia si ex nobis esset ista sapientia, de sursum non esset, nec ab ipso qui nos creavit Deo postulanda esset. Fratres, orate & pro nobis, ut temperanter, & piè, & justè vivamus in hoc sæculo, expectantes illam beatam spem, & manifestationem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, cui est honor, & gloria, & regnum cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

Tit. 2, 12.

VALENTINI AD AUGUSTINUM
post librum de gratia & libero arbitrio,
& superiores ejus litteras
rescribentis

Epistola inter Augustinianas CCXVI.

Domino verè sancto, ac nobis venerabiliter
super omnia preferendo, & pia exultatione
colendo, beatissimo papæ AUGUSTINO,
VALENTINUS servus tuæ sanctitatis, & omnis
congregatio quæ tuis orationibus mecum
sperat, in Domino salutem.

I. VENERABILLA scripta, & li-

* Librum
superio-
rem, de
Gratia &
libero ar-
bitrio.

brum * tuæ sanctitatis ita tremebundo cor-
de suscepimus, ut sicut beatus Elias cum
in speluncæ limine staret, faciem suam glo-
ria Domini transeunte velavit; ita nos ob-
jurgatos oculos teximus, quia per rusticita-
tem fratrum nostrorum nostro judicio eru-
bui-

buimus, quorum inordinata profectione tuama
metuimus beatitudinem salutare; quia tem-
pus loquendi, & tempus tacendi: ne dum
per dubitantes & de veritate fluctuantes
scriberemus, de dictis sapientiæ tuæ, quæ
est sicut Angeli Dei, dubitare cum dubi-
tantibus videremur. Non enim erat nobis
necessarium interrogare de beatitudine, &
de sapientia tua, quæ est nobis nota per
Domini gratiam. Nam ad librum * dul-
cissimæ sanctitatis tuæ ita sumus alacriter
jocundati, ut sicut Apostoli Dominum post
resurrectionem prandentem secum non au-
debant interrogare, quis esset: Sciebant enim
quia Jesus est: ita & nos nec volumus,
nec ausi sumus interrogare de libro, utrum
tuæ sanctitatis esset, cum ipsa fidelium gra-
tia quæ in eo liberaliter commendatur, nobis
tuum esse, domine sancte papa, eloquiis vi-
vacissimis contestetur.

2. Incipiamus autem, domine beatissime
papa, ipsius ordinem perturbationis exponere.
Carissimus frater noster Florus servus
paternitatis tuæ, cum ad Uzalensem pa-
triam fuisset suadente caritate profectus,
eulogias * monasterio inter ipsas suæ civi-
tatis moras de opusculis nobis tuæ adtulit
sanctitatis, uno fratre Felice, qui ad tuam
sanctitatem tardè post comites suos venisse
dinoscitur, eundem librum * devotè dictan-
te. Ventum est ad monasterium cum eodem
libello, fratre Floro ad carthaginem de Uza-
lensi civitate profecto. Mihi non monstrato

* al. dulcis-
simum.
Joan. 21.
12.

* al. mo-
nasterii.

* Librum
seu episto-
lam 194.
ad Sixtum.

a Legebatur antea, metuimus: non rectè, nisi verbo
præfigatur particula negans. Sequimur hic antiquissimum
Corbelense exemplar, in quo epistola cum superiore Au-
gustini libro conjungitur.

Joan. 6.
54.

libro imperitis fratribus recitare cœperunt: quorundam non intelligentium corda commovit; quia & cum diceret Dominus: Qui non manducaverit carnem filii hominis, neque biberit sanguinem ejus, non habebit vitam in semetipso; discesserunt qui impie intellexerunt, non culpa Domini dicentis, sed duritia impiissimi cordis.

3. Cœperunt memorati fratres, qui omnia subverterunt, innocentium animas commovere, mea parvitate penitus ignorante, in tantum conventus illorum *murmurantis nescii, ut nisi frater Florus de Carthagine *repedans, & eorum perturbationes agnoscens, mihi sollicitè nuntiasset, furtiva & tamquam servilis erat inter eos de non intelligenda veritate contentio. Proposui, ad auferendas impias questionēs, ut ad *dominum sanctum patrem Evodium mitteremus, & ipse nobis de hoc sacrosancto libro propter ignaros aliquid certius a rescripsisset.

Nec

a Rescripsit sanè Evodius, ejusque super hac ipsa re ad Valentinum epistola in codice S. Maximi Treverensis reperta est à Jacobo Sirmondo, qui inde fragmentum istud in Prædestinatiana historia cap. i. transtulit: Honorabiles fratres retulerunt nobis, quia nescio quæ ibi questionēs inter vos natae sunt de libero arbitrio & de justitia Dei. Laudamus quidem studium vestrum, sed nolumus esse contentiosum. Contentio enim perturbationem excitat, sed studium pietatem requirit. Liberi arbitrii plenissimum affectum habuit homo primò procreatus, Adam dico. Sed ubi sauciatus est ipsum liberum arbitrium, infirmatum est. Ergo est in homine nunc liberum arbitrium, sed sauciatus. Inde dictum est: Infirmatus est in egestate vigor meus, & lumen oculorum meorum non est mecum. Ad hoc recuperandum missus est medicus Salvator Christus, ut salvaret quod perierat, & curaret quod vitiatum fuerat. Et post illa: Legant ergo sancti Dei majorum dieta, sicut jam dixi, qui habent divini muneris plenum affectum: & quando non intelligunt, non citò reprehendant, sed orent ut intelligant.

Pr. 30. 10.
& Pr. 37.
11.

Nec hoc accipere patientius voluerunt, sed arripuerunt projectionem nobis taliter non optatam: fratre Floro furore illorum prope modum conturbato, in quem sæviebant, quia ipse illis, ut putabant, vulnera libri hujus adtulisset; in quo medicinam non poterant infirmi cognoscere. Unde & sanctum presbyterum Sabinum ad majorem auctoritatem rogavimus, & ipsius sanctitas librum cum liquidis interpretationibus legit, nec sic anima sauciata curata est. Quibus propter ipsam pietatem sumtus dedimus, ne vulnera ipsorum cumularem, quæ posset sanare libri ipsius gratia, in qua resulget tua sancta præsentia. Quibus profectis, quies & pax per omnes fratres exultavit in Domino. Quinque enim vel amplius fratrum animositate ista est innata contentio.

4. Sed quia interdum, domine papa, provenit gaudium ex tristitia, non adeo mæstificamur, quia per ignaros & curiosos suavissimis monitionibus tuæ sanctitatis illuminari meruimus. Nam & dubitatio beati Thomæ Apostoli foramina clavorum querentis confirmatio fuit Ecclesiæ universalis. Accepimus igitur, domine papa, medicamentum piè curantium tuarum cum gratia litterarum, & contudimus pectora nostra; ut sic saltem sanetur conscientia nostra, quam per liberum arbitrium nostrum, quod donat misericordia, curat & vivificat gratia: sed in hoc tempore, quando adhuc misericordiam cum dilatione cantamus. Nam cum cœperimus judicium cantare Domino, reportaturi sumus mercedem pro opere nostro: quia misericors & justus Dominus, miserator & rectus. Quia sicut docet nos sancti-

Joan. 20.
25.

Pr. III. 4.

2. Cor. 5. 10. *tas tua, representari nos oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque nostrum propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum: quia veniet Dominus, & merces ejus cum ipso: quia stabit homo, & opus ejus ante ipsum: quia veniet Dominus sicut clibanus ardens, ut incendat impios tamquam stipulam; & timentibus nomen Domini orietur sol justitiæ, quando impii punientur judicio justitiæ. Hoc justus, cujus tu amicus es, domine papa, exclamat, contremiscit, & suppliciter dicit:*

Malac. 4. 2. *Domine, ne intres in judicium cum servo tuo. Si gratia esset remunerantis, non timeret justus secretarium judicium majestatis. Servi tui Flori hæc fides est, pater, non sicut fratres isti sunt locuti: in presentiarum audierunt ab illo dictum, non juxta merita nostra dari donum pietatis, sed per gratiam Redemptoris. Nam de illo die, quis dubitet longè esse gratiam, cum cæperit irasci justitiæ? Hoc clamamus, pater; hoc te docente vanimus, non securi, sed trepidi.*

Psal. 6. 2. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Hoc dicimus: Emenda nos, Domine, & de lege tua erudi nos, ut mitiges nos à diebus malis. Hoc credimus, docente te, venerabilis pater, quia Dominus interrogat justum & impium, quia à dextris & à sinistris positis bonis & malis imputat remuneranda opera pietatis, enumerat puniendam tenacitatem impietatis. Ubi erit gratia, quando pro sui qualitate dispungentur opera, sive bona, sive mala?*

5. Sed a cur non directum non timet

pro-
a Corbeiensis cod. Sed cor non directum non timet
proferrè mendacium.

proferrè mendacium? Liberum arbitrium Dei gratia curatum non negamus: sed per Christi quotidianam gratiam proficere credimus, & adjuvari confidimus. Quid homines dicunt: In mea est potestate, ut faciam bonum? Si tamen facerent homines bonum. O inanis gloriatio miserorum! Quotidie peccata arguunt, & ipsi sibi assumunt nudum liberum factantes arbitrium; non discutientes conscientiam suam, quæ non potest curari nisi per gratiam, ut dicerent: Miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. Quid facerent, qui de libero sibi gloriantur arbitrio (quod non negatur, cum Dei dumtaxat adiutorio) si jam absorpta fuisset mors in victoria, si jam mortale nostrum induerit immortalitatem, & corruptibile nostrum induerit incorruptionem? Ecce fetent vulnera, & superbe petitur medicina. Non dicunt sicut justus: Nisi Dominus adjuvisset me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea. Non dicunt sicut sanctus: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilavit qui custodit eam.

6. *Sed ora, piissime pater, ut jam non curam geramus, nisi pro peccato nostro lacrymis expiando, & Dei gratia commendanda. Ora, domine pater, ut non urgeat super nos puteus os suum, ut salvemur à descendentibus in lacum, ut non pereat cum impiis anima nostra per superbiam nostram, sed sanetur per Domini gratiam. Sicut ergo præcepisti, domine papa, frater noster Florus, servus sanctitatis tuæ, omni alacritate perrexit, cui non impedit, sed proficit fatigatio, ut accedat ei dilucidata cordis instructio; quem tuæ sanctimonie suppliciter commendamus, pariterque depreciamur, ut & ignaros tuis oratio-*

Pr. 40. 5.

I. Cor. 15.

53.

Psal. 93.

17.

Pr. 126. 1.

Ps. 68. 16.

Psal. 29. 4.

Psal. 25. 9.

nibus Domino commendes mansuetissime componendos. Ora, domine & dulcissime pater, ut fugiat diabolus de congregatione nostra, & amota omni alienarum questionum procella, navis propositi nostri a epibatis quietis onusta intra stationem tutissimi portus secure consistat, dum navigat per hoc mare magnum & immensum, & in illo portu, intra quem jam non erit metuendum vitæ navigium, mercium indiscrepans accipiat pretium placitarum. Hoc tuæ sanctitatis impetratos nos confidimus adiutorio, per gratiam quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Omnes filios apostolatus tui * domnos nostros clericos, ac sanctos in congregatione propositi servientes deprecamur, ut digneris nostro officio salutare, ut cum tua beatitudine omnes pro nobis orare dignentur. Indiscrepans Trinitas Domini Dei nostri apostolatuum tuum, quem elegit per gratiam, conservet nobis in Ecclesia sua, & nostri memorem coronet in Ecclesia magna, quod optamus, domine. ^b Si quid autem famulus tuæ sanctitatis frater suggesserit Florus, pro regula monasterii, digneris, pater, petimus, libenter accipere, & per omnia nos infirmos instruere.

IN

^a *Extra* dicuntur milites classici, qui in navibus merentur.

^b Corbeiensis vetus codex, Domine, ut supra. Indicat reliqua verba repetenda ex epistolæ inscriptione, id est, vere sancte, ac nobis venerabiliter super omnia preterenda, & pia exsultatione colenda, beatissime papa.

IN SUBSEQUENS OPUSCULUM

Libri II. Retractationum Caput ultimum.

RURSUS ad eosdem ^a scripsi alterum librum, quem de *Correptione & gratia* prænotavi, cum mihi nuntiatum esset, dixisse ibi quemdam, neminem corripiendum, si Dei præcepta non facit; sed pro illo, ut faciat, tantummodo orandum. Hic liber sic incipit: *Lectis litteris vestris, Valentine frater dilectissime.*

T 3

S.

^a Valentium scilicet cumque illis monachos adrumetinum cœnobium incolentes. Vide alterius libri Retractationem supra pag. 715. Prosper Augustino scribens ait: *Librum de correptione & gratia plenum divinæ auctoritatis opportunè tunc emissum esse, & in Gallorum notitiam delatum: qui universis questionibus ad divinæ gratiæ mysterium pertinentibus, de quibus consulendus ab illis erat sanctus Doctor, plene illic absoluteque responsum est; eoque recensito libro, qui sanctam atque apostolicam doctrinam, inquit, tuam auctoritatem antea sequentibus, intelligentiores multo instructioresque sunt facti. Universam divinæ gratiæ œconomiam oculis subiecit idem liber, ut loquitur historiæ pelagianæ scriptor clariss. Norisius, qui eum appellat *clavem*, qua ad universam Augustini de divina gratia & libero arbitrio doctrinam aditus aperitur.*

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE CORREPTIONE
ET GRATIA,
AD EUMDEM VALENTINUM

ET CUM ILLO MONACHOS ADRUMETINOS,

LIBER * UNUS.

* Scriptus
ann. Chris-
ti 426. aut
427. ali-
quantò
post Pas-
cha.

Principiò dicit quanam sit catholica fides de lege, de libero arbitrio, & de gratia. Gratiam Dei per Jesum Christum eam esse docet, qua sola homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus faciunt bonum, non solum monstrante ipsa quid faciendum sit, sed etiam præstante ipsa ut id cum dilectione faciant, cum iis Deus inspirationem bonæ voluntatis atque operis largiatur. Correctionem hominum malorum, qui hanc gratiam non acceperunt, nec injustam esse, cum sua voluntate mali sint; nec inutilem, tametsi fatendum est non nisi per Deum fieri ut prosit. Perseverantiam in bono magnum re vera esse Dei munus: nec tamen ideo ejus qui non perseveraverit, negligendam esse correptionem: & qui non accepto hoc dono fuerit sua voluntate relapsus in peccatum, eum non correptione tantum; sed si usque ad mortem in malo permanserit, etiam æterna damnatione dignum esse. Cur hoc

hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, esse inscrutabile. Ex prædestinatis nullum perire posse: ac subinde perseverantiam, quam non omnes accipiunt, qui hæc filii Dei appellantur, iis omnibus dari qui verè filii sunt præscientia & prædestinatione Dei. Respondet ad quæstionem quæ de Adamo se offert, quomodo ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit. Ostendit tale primum ipsi datum esse adiutorium, sine quo non posset permanere si vellet, non quo fieret ut vellet: nunc verò per Christum dari, non solum sine quo permanere non possumus, etiam si velimus, verum etiam tantum ac tale, quo fiat ut velimus. Prædestinatorum, quibus proprium est hujusmodi donum, probat certum esse numerum, neque augendum, neque minuendum: & cum ignotum sit quis ad eum numerum pertineat, quis non pertineat, medicinalem correptionem adhibendam esse omnibus peccantibus, ne vel ipsi pereant, vel alios perdant. Concludit demum, nec gratia prohiberi correptionem, nec correptione negari gratiam.

I. LECTIS litteris vestris, Valentinè CAPUT I.
frater dilectissime, & qui simul servitis Deo, quas per fratrem Florum, & eos qui cum illo ad nos venerunt, misit caritas vestra, egi Deo gratias, quòd vestram in Domino pacem, & in veritate consensionem, & in caritate flagrantiam vestro nobis reddito sermone cognovi. Quod autem ad subversionem quorundam apud vos molitus est inimicus, Deo miserante & ejus insidias in suorum servorum

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE CORREPTIONE
ET GRATIA,
AD EUMDEM VALENTINUM

ET CUM ILLO MONACHOS ADRUMETINOS,

LIBER * UNUS.

* Scriptus
ann. Chris-
ti 426. aut
427. ali-
quantò
post Pas-
cha.

Principiò dicit quanam sit catholica fides de lege, de libero arbitrio, & de gratia. Gratiam Dei per Jesum Christum eam esse docet, qua sola homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus faciunt bonum, non solum monstrante ipsa quid faciendum sit, sed etiam præstante ipsa ut id cum dilectione faciant, cum iis Deus inspirationem bonæ voluntatis atque operis largiatur. Correctionem hominum malorum, qui hanc gratiam non acceperunt, nec injustam esse, cum sua voluntate mali sint; nec inutilem, tametsi fatendum est non nisi per Deum fieri ut prosit. Perseverantiam in bono magnum re vera esse Dei munus: nec tamen ideo ejus qui non perseveraverit, negligentiam esse correptionem: & qui non accepto hoc dono fuerit sua voluntate relapsus in peccatum, eum non correptione tantum; sed si usque ad mortem in malo permanserit, etiam æterna damnatione dignum esse. Cur hoc

hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, esse inscrutabile. Ex prædestinatis nullum perire posse: ac subinde perseverantiam, quam non omnes accipiunt, qui hæc filii Dei appellantur, iis omnibus dari qui verè filii sunt præscientia & prædestinatione Dei. Respondet ad quæstionem quæ de Adamo se offert, quomodo ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit. Ostendit tale primum ipsi datum esse adiutorium, sine quo non posset permanere si vellet, non quo fieret ut vellet: nunc verò per Christum dari, non solum sine quo permanere non possumus, etiam si velimus, verum etiam tantum ac tale, quo fiat ut velimus. Prædestinatorum, quibus proprium est hujusmodi donum, probat certum esse numerum, neque augendum, neque minuendum: & cum ignotum sit quis ad eum numerum pertineat, quis non pertineat, medicinalem correptionem adhibendam esse omnibus peccantibus, ne vel ipsi pereant, vel alios perdant. Concludit demum, nec gratia prohiberi correptionem, nec correptione negari gratiam.

I. LECTIS litteris vestris, Valentinè CAPUT I.
frater dilectissime, & qui simul servitis Deo, quas per fratrem Florum, & eos qui cum illo ad nos venerunt, misit caritas vestra, egi Deo gratias, quòd vestram in Domino pacem, & in veritate consensionem, & in caritate flagrantiam vestro nobis reddito sermone cognovi. Quod autem ad subversionem quorundam apud vos molitus est inimicus, Deo miserante & ejus insidias in suorum servorum

a rum a propectum mirabili bonitate vertente, ad hoc potius valuit, ut nulli vestrum destruerentur in pejus, sed nonnulli instruerentur in melius. Non itaque opus est omnia idemdem retractare, quæ sufficienter vobis pleno libro * disputata transmisimus: quem quomodo susceperitis, rescripta indicant vestra. Verumtamen semel lectum nullo modo arbitremini satis vobis innotescere potuisse. Si ergo eum fructuosissimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notissimum, ut b diligentissimè sciatis quibus & qualibus questionibus solvendis atque sanandis, non ibi humana, sed divina occurrat auctoritas, à qua recedere non debemus, si volumus pervenire quò tendimus.

* Lib. de Gratia & libero arbitrio.

De lege, Gratia, & libero arbitrio fides catholica. Psal. 36. 27.

c

2. Cor. 3. 6.

Legitimus legis usus.

Ps. 36. 23. Desiderare gratiam initium gratiæ est.

2. Dominus autem ipse non solum ostendit nobis, à quo malo declinemus, & quod bonum faciamus, quod solum potest legis littera: verum etiam adjuvat nos, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, quod nullus potest c sine spiritu gratiæ: quæ si desit, ad hoc lex adest, ut reos faciat & occidat. Propter quod dicit Apostolus: *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Qui ergo legitime lege utitur, discit in ea malum & bonum, & non confidens in virtute sua confugit ad gratiam, qua præstante declinet à malo, & faciat bonum. Quis autem confugit ad gratiam, nisi cum à Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet? Ac per hoc

a Aliquot MSS. *profectum.*
b Lovanienses corrigendum putabant, *dilucidissimè.* At MSS Gallie & Vatican. cum antiquioribus editionibus habent, *diligentissimè.*
c Corbeiensis vetustissimus codex, *nisi spiritu gratiæ.* Casalensis, *nisi spiritu gratiæ.*

hoc & desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est: de quo ait ille: *Et dixi, nunc cæpi; hæc est immutatio dexteræ excelsi.* Liberum itaque arbitrium, & ad malum, & ad bonum faciendum confitendum est nos habere: sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ, servusque peccati; in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit: *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Nec ita ut, cum quisque fuerit à peccati dominatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio: sed ita potius, ut ab illo audiens: *Sine me nihil potestis facere;* dicat ei & ipse: *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Hanc fidem, quæ sine dubio VERA, & PROPHETICA, & APOSTOLICA, & CATHOLICA FIDES est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo: unde hi potius corrigendi sunt, quos quidem propitio Deo correctos esse jam existimo, qui eum non intelligebant.

3. INTELLIGENDA est enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, qua sola homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus sive cogitando, sive volendo & amando, sive agendo faciunt bonum: non solum ut monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, verum etiam ut præstante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt. Hanc quippe inspirationem bonæ voluntatis atque operis posebat Apostolus eis, quibus dicebat: *Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali, non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis.* Quis hoc audiat, & non evigilet, atque fateatur à Domino Deo nobis esse, ut declinemus à malo, & faciamus bonum? Quando quidem non ait Apos-

Ps. 76. 11.

Liber in bono nullus, nisi per Christi gratiam fuerit liberatus.

Joan. 8. 36.

Joan. 15. 5.

Psal. 26. 9.

CAPUT II. Gratia Dei per Jesum Christum quænam sit.

2. Cor. 13. 7.

Apostolus: Monemus, docemus, hortamur, increpamus; sed ait: *Cramus ad Deum, ne quid faciatis mali, sed quod bonum est faciatis.* Et tamen etiam loquebatur eis, & faciebat illa omnia quæ commemoravi; monebat, docebat, hortabatur, increpabat; sed sciebat hæc omnia non valere, quæ plantando & rigando faciebat in aperto, nisi eum pro illis exaudiret orantem, qui dat incrementum in occulto. Quoniam sicut idem Doctor gentium dicit: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

1. Cor. 3. 7.

4. Non se itaque fallant, qui dicunt: *Ut quid nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus à malo & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis?* Sed potius intelligant, si filii Dei sunt, spiritu Dei se agi, ut quod agendum est agant; & cum egerint, illi à quo agunt gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant; & ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt sicut agendum est, id est, cum dilectione & delectatione justitiæ, suavitatem quam dedit Dominus, ut terra^a eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant. Quando autem non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex caritate faciendo; orent, ut quod nondum habent accipiant. Quid enim habebunt, quod non accepturi sunt? Aut quid habent, quod non acceperunt?

Phil. 2. 13.

Rom. 8. 14.

Pr. 84. 13.

1. Cor. 4. 7.

CAP. III.
Corruptio
non negli-
genda.

5. *ERGO*, inquit, *præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus, qui nobis præsumunt, & ut faciamus orent pro nobis:*

non

^a Am. Er. & plerique MSS. terra ejus.

non autem nos corripiant & arguant, si non fecerimus. Imò omnia fiant: quoniam doctores Ecclesiarum Apostoli omnia faciebant, & præcipiebant quæ fierent, & corripiebant si non fierent, & orabant ut fierent. Præcipit Apostolus dicens: *Omnia vestra^a cum caritate fiant.* Corripit dicens: *Jam quidem omnino delictum est^b in vobis, quia judicia habetis vobiscum. Quare enim non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fraudamini? Sed vos iniquitatem facitis, & fraudatis, & hoc^c fratres. An nescitis, quia injusti regnum Dei non possidebunt? Audiamus & orantem: Vos autem, inquit, Dominus multiplicet, & abundare faciat in caritate in invicem & in omnes.* Præcipit, ut habeatur caritas: corripit, quia non habeatur caritas: orat, ut abundet caritas. O homo, in præceptione cognosce quid debeas habere: in correptione cognosce tuo te vitio non habere: in oratione cognosce unde accipias quod vis habere.

I. Cor. 16.

14.

a

b

I. Cor. 6. 7.

Et.

c

I. Thess. 3.

12.

Usus præ-

cepti, cor-

reptionis,

& oratio-

nis.

6. *QUOMODO*, inquit, *meo vitio non habetur, quod non accepi ab illo, à quo nisi detur, non est omnino^d alius unde tale ac tantum munus habeatur?* Patimini me paululum, fratres mei, non adversum vos, quorum rectum est cor cum Deo, sed adversus eos qui terrena sapiunt, vel adversus ipsas humanas cogitationes, pro^e cælestis & di-

CAPUT IV.

d

e

^a Sic MSS. Gal. & Vat. ut supra pag. 736. d. At editi, in caritate.

^b MSS. omittunt, in vobis.

^c Editi, *fratribus*. Omnes autem MSS. *fratres*: accipiendum in accusandi casu, juxta græc.

^d Am. & MSS. *aliud*.

^e Am. & Er. & octo ex Gallic. MSS. *pro cælestis & divinæ gratia caritate certare*. Sorbonicus & Albinensis cod. *pro cælesti & divina caritate certare*.

divinæ gratiæ veritate certare. Hoc enim dicunt, qui in suis malignis operibus ab hujus gratiæ prædicatoribus corripri nolunt: *Præcipe mihi quid faciam: & si fecero, age pro me gratias Deo, qui mihi ut facerem dedit: si autem non fecero, non ego corripendus sum, sed ille orandus est, ut det quod non dedit, id est, ipsam, qua præcepta ejus^a sunt, fidelem Dei & proximi caritatem. Ora ergo pro me ut hanc accipiam, & per hanc ex animo cum bona voluntate quæ præcipit faciam. Rectè autem corripere, si eam mea culpa non haberem, hoc est, si eam possem mihi dare vel sumere ipse, nec facerem, vel si dante illo ego accipere noluissem. Cum verò & ipsa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis, quia vides me ejus præcepta facere nolle; & non potius ipsum rogas, ut in me operetur & velle?*

Prov. 8.
sec. LXX.

CAPUT V.
Correptioni: necessitas & utilitas.

7. AD hæc respondemus: Quicumque Dei præcepta jam tibi nota non facis, & corripri non vis, etiam propterea corripendus es, quia corripri non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonstrari: non vis ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quæras: non vis tibi tu ipse ostendi, ut cum deformem te vides, reformatorem desideres, eique supplices, ne in illa remaneas sceditate. Tuum quippe vitium est quòd malus es, & majus vitium corripri nolle quia malus es: quasi laudanda vel indifferenter habenda sint vitia, ut neque laudentur neque vituperentur; aut verò nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor; aut aliud agat, cum salu-

^a Sic MSS. Editi verò, *stant.*

briter stimulat, nisi ut rogetur bonus, & ex malis qui corripuntur, bonos faciat qui laudentur. Quod enim vult pro se fieri qui corripri non vult, & dicit: Ora potius pro me; ideo corripendus est, ut faciat etiam ipse pro se. Dolor quippe ille, quo sibi displicet, quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in * majoris orationis affectum; ut Deo miserante, incremento caritatis adjutus desinat agere pudenda & dolenda, & agat laudanda atque gratanda. Hæc est correptionis utilitas, quæ nunc major, nunc minor pro peccatorum diversitate salubriter adhibetur; & tunc est salubris, quando supernus medicus respicit. Non enim aliquid proficit, nisi cum facit ut peccati sui quemque pœniteat. Et quis hoc dat, nisi qui respexit Apostolum Petrum negantem, & fecit flentem? Unde & Apostolus Paulus posteaquam dixit, cum modestia corripendos esse diversa sentientes, protinus addidit: *Ne quando det eis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant de diaboli laqueis.*

8. Cur autem isti qui corripri nolunt, dicunt: *Tantum præcipe mihi, & ora pro me, ut quod præcipis faciam?* Cur non potius secundum suum pravum sensum & ista duo respuunt, & dicunt: Nec ut præcipias mihi, nec ut ores pro me volo? Quis enim hominum ostenditur orasse pro Petro, ut daret ei Deus pœnitentiam, qua se negasse Dominum flevit? Quis hominum Paulum divinis præceptis ad fidem christianam pertinentibus erudit? Cum ergo audiretur prædicans Evangelium, & dicens: *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est à me, quia non est secundum hominem;*

* f. majori rem.

Correptio salubris, quando supernus medicus respicit.
Luc. 22. 61.

2. Tim. 2. 25.

Gal. 1. 11.

ne-

neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Christi Jesu; responderetur ei: Quid nobis molestus es, ut abs te accipiamus atque discamus, quod tu non ab homine accepisti neque didicisti? Potens est ille qui tibi dedit, sic & nobis dare quomodo tibi. Porro si hoc non audent dicere, sed patiuntur sibi Evangelium ab homine prædicari; quamvis etiam possit non per hominem homini dari; concedant etiam corripere se debere à præpositis suis, à quibus christiana gratia prædicatur; quamvis non negetur Deus posse, quem velit, etiam nullo homine corripiente, corrigere, & ad dolorem salubrem poenitentiae occultissima & potentissima medicinae suae potestate perducere. Et sicut non est ab oratione cessandum pro eis quos corrigi volumus, etiam si nullo hominum orante pro Petro Dominus respexit eum, & fecit eum suum peccatum flere: ita non est negligenda correptio, quamvis Deus quos voluerit, etiam non correptos, faciat esse correctos. Tunc autem correptione proficit homo, cum miseretur atque adjuvat, qui facit quos voluerit etiam sine correptione proficere. Sed quare isti sic, illi aliter, atque alii aliter, diversis & innumerabilibus modis vocentur ut reformentur, absit ut dicamus iudicium luti esse debere, sed figuli.

CAP. VI.
1. Cor. 4. 7.

9. APOSTOLUS, inquit, ait: Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Cur ergo corripi-mur, arguimur, reprehendimur, accusamur? Quid facimus, qui non accepimus? Qui hæc dicunt, extra culpam se videri volunt, in hoc quod non obediunt Deo: quia utique ipsa obe-

obedientia munus ejus est; quæ necesse est ut sit in eo cui caritas inest, quæ sine dubio ex Deo est, & dat eam Pater filiis suis. Hanc, inquit, non accepimus; quid itaque corripi-mur, quasi nos eam nobis dare possimus, & nostro arbitrio dare nolimus? Nec attendunt, si nondum regenerati sunt, primam esse causam, cur objurgati quod sint inobedientes Deo, sibi debeant displicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas qua Deo non obeditur, ab homine est; a quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est. An verò ideo pravitas ista corripienda non est in homine, quia non ejus propria qui corripitur, sed communis est omnibus? Imò verò corripitur & in singulis, quod est omnium. Non enim propterea cujusquam non est, quod ab ea nullus immunis est. Peccata quidem ista originalia ideo dicuntur aliena, quod ea singuli de parentibus trahunt: sed non sine causa dicuntur & nostra, quia in illo uno omnes, sicut dicit Apostolus, peccaverunt. Corripitur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur: si tamen qui corripitur filius est promissionis, ut strepitu correptionis forinsecus insonante ac flagellante, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur & velle. Si autem jam regeneratus & justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certè iste non potest dicere: Non accepi: b quia acceptam gratiam Dei

1. Joan. 4.

7.

Cur justè corripian-tur qui non obediunt Deo, tametsi gratiam obediendi nondum acceperint.

Ecl. 7. 30.

Rom. 9. 14.

a

Originale peccatum quomodo alienum, & nostrum.
Rom. 5. 12.

b

a MSS. sex Gallic. & tres Vatic. qui.

b MSS. quatuor Belgici, tres Vatic. & Corbelensis, quod acceptum gratia Dei.

Dei suo in malum libero amisit arbitrio. Qui si correptione compunctus salubriter ingemit, & ad similia bona opera vel etiam meliora revertitur, nempe hic apertissimè utilitas correptionis apparet. Sed per hominem correptionis sive ex caritate sit, sive non sit; tamen ut correpto prosit, non nisi per Deum fit.

10. An adhuc & iste nolens corripui, potest dicere: *Quid ego feci, qui non accepi;* quem constat accepisse, & sua culpa quod acceperat amisisse? *Possum, inquit, possum omnino, quando me arguis, quod ex bona vita in malam mea voluntate relapsus sum, dicere adhuc: Quid ego feci, qui non accepi? Accepi enim fidem, quæ per dilectionem operatur: sed in illa usque in finem perseverantiam non accepi. An quisquam dicere audebit istam perseverantiam non esse donum Dei, & hoc tam magnum bonum ita esse nostrum, ut quisquis id habuerit, non ei possit Apostolus dicere: Quid enim habes quod non accepisti; quoniam hoc sic habet ut non acceperit?* Ad hæc nos negare quidem non possumus, etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus: nec esse nisi ab illo de quo scriptum est: *Omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Sed non ideo est ejus qui non perseveraverit, negligenda correptionis, ne fortè det illi Deus poenitentiam, & respiscat de diaboli laqueis. Correptionis quippe utilitati hanc sententiam subjunxit Apostolus, dicens, sicut supra commemoravi: *Cum modestia corripientem diversa sentientes, nequando det illis Deus poenitentiam.* Nam si dixerimus istam perse-

1. Cor. 4. 7.

Perseverantia omnis donum est Dei.

Jacob. 1. 17.

2. Tim. 2. 25.

Ibid.

severantiam tam laudabilem tamque felicem sic esse hominis, ut ei non sit ex Deo; illud primitus evacuamus, quod ait Dominus Petro: *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Quid enim ei rogavit, nisi perseverantiam usque in finem? Quæ profectò si ab homine homini esset, à Deo postcenda non esset. Deinde cum dicit Apostolus: *Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali;* proculdubio perseverantiam eis orat ad Deum. Neque enim nihil mali facit, qui bonum deserit, & à quo declinare debet, inclinatur in malum, non perseverans in bono. Illo etiam loco ubi dicit: *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in omni prece mea pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens, super* ^b *communione vestra in Evangelio à prima die usque nunc, confidens hoc ipsum, quoniam qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu;* quid aliud eis quam perseverantiam in bono usque in finem, de Dei miseratione promittit? Itemque ubi dicit: *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est servus Christi Jesu, semper certans pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei;* quid est, ut stetis, nisi ut perseveretis? Unde dictum est de diabolo: *In veritate non stetit;* quia fuit ibi, sed non permansit. Nam utique isti in fide jam stabant. Nec aliud oramus, cum oramus,

TOM. IV.

v

^a Editti, non debet: addita illic negante particula, quæ à MSS. aberat. Locum emendare tentavit Erasmus transpositione copulativæ particulæ, hoc modo: qui bonum deserit à quo declinare non debet, & inclinatur in malum.

^b Am. Er. & plures MSS. *communicatione.*

Luc. 22. 32.

2. Cor. 13. 7.

a

Phil. 1. 3. & seq.

b

Coloss. 4. 12.

Joan. 8. 44. Diabolus in veritate fuit, sed non permansit.

ut qui stat, stet, nisi ut perseveret. Item Judas Apostolus, cum dicit: *Ei autem qui potens est conservare vos sine offensione, & constituere ante conspectum gloriae suae immaculatos in letitia*; nonne apertissime ostendit donum Dei esse, in bono perseverare usque in finem? Quid enim aliud donat, qui conservat sine offensione, ut constituat ante conspectum gloriae suae immaculatos in letitia, nisi perseverantiam bonam? Quid est etiam quod in Apostolorum Actibus legimus: *Audientes autem gentes gavisae sunt, & exceperunt verbum Domini, & crediderunt quotquot erant ordinati in vitam aeternam?* Quis in aeternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantiae dono? Quandoquidem *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Qua salute, nisi aeterna? Cum vero in Oratione dominica Deo Patri dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*; quid aliud dicimus, quam ut nomen ejus sanctificetur in nobis? Quod cum jam per lavacrum regenerationis effectum sit, quare quotidie a fidelibus poseitur, nisi ut ^a in eo quod factum est in nobis, perseveretur a nobis? Nam & beatus Cyprianus hoc sic intelligit: exponens quippe eandem orationem: *Dicimus, inquit, Sanctificetur nomen tuum; non quod optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris; sed quod petamus a Deo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Ceterum a quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit: Sancti estote, ^b quoniam & ego sanctus sum, id petimus & rogamus, ut qui in baptismo*

^a Albinensis MS. nisi ut quod factum est in nobis, perseveret in nobis.

^b Omnes prope MSS. quomodo ego.

sanctificati sumus, in eo quod esse cepimus perseveremus. Ecce gloriosissimus martyr hoc sentit, quod in his verbis quotidie fideles Christi petunt, ut perseverent in eo quod esse ceperunt. Nullo autem dubitante, quisquis a Domino ut in bono perseveret precatur, donum ejus esse talem perseverantiam confitetur.

II. *QUAE* cum ita sint, corripimus tamen eos, justeque corripimus, qui cum bene viverent, non in eo perseverarunt. Ex bona quippe in malam vitam sua voluntate mutati sunt: & ideo ^a correptione; & si nihil eis correptio profuerit, sed in vita perdita usque ad mortem perseveraverint, etiam divina in aeternum damnatione sunt digni. Nec se excusabunt dicentes, sicut modo dicunt: *Quare corripimur?* ita tunc: *Quare damnamur?* quandoquidem ut ex bono reverteremur ad malum, perseverantiam non accepimus qua permaneremus in bono? Nullo modo hac excusatione a justa damnatione se liberabunt. Si enim, sicut veritas loquitur, nemo liberatur a damnatione quae facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi; & tamen ab hac damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere, non se audisse Evangelium Christi, cum fides ex auditu sit; quanto minus se liberabunt qui dicturi sunt: *Perseverantiam non accepimus?* Justior enim videtur excusatio dicentium: *Non accepimus audientiam, quam dicentium: Non accepimus perseverantiam; quoniam potest dici: Homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares si ^b vel-*

v 2

les;

^a Editi, corripimur. At plures MSS. correptione. Refertur ad sunt digni.

^b Si velles, id est, si eadem voluntas maneret, ut dicit infra in n. 17. seu nisi voluntate mala id reliqueres quod tenebas.

Cap. VII.

Qui non accepto perseverantiae dono relapsi sunt & in peccato mortui, justè damnandi.

Rom. 10. 17.

les; nullo modo autem dici potest: Id quod non audieras, crederes si velles.

Qui perseverantiam non acceperunt, non sunt discreti à massa perditionis.

Joan. 6. 66.

x. Cor. 4.
7.

Lib. 3. Testimoniorum, titulo seu cap. 4.

12. Ac per hoc & qui Evangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt, & qui Evangelio audito venire ad Christum, hoc est, in eum credere noluerunt, quoniam ipse dixit: *Nemo venit ad me, nisi ei datum fuerit à Patre meo*; & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt; non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem. Discernuntur autem non meritis suis, sed per gratiam Mediatoris, hoc est, in sanguine secundi Adam justificati gratis. Itaque cum audimus: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* ab illa perditionis massa quæ facta est per primum Adam, debemus intelligere neminem posse discerni, nisi a qui hoc donum habet, quisquis habet, quod gratia Salvatoris accepit. Hoc autem apostolicum testimonium tam magnum est, ut beatus Cyprianus ad Quirinum scribens, ipsum subjecerit illi titulo, in quo ait: In nullo esse gloriandum, quando nostrum nihil sit.

13. Quicumque ergo ab illa originali damnatione

a Am. nisi quod hoc donum habet, quidquid habet quod gratia &c. Et. nisi quod hoc donum habet, quisquis habet quod gratia &c. Quidam MSS. nisi quod: aili, nisi qui. Sed omnes ferunt, hoc bonum habet. Deinde ex his plures, quidquid habet quod gratia &c. Duo tantum, quisquis habet quod gratia &c. Unus ex Belgicis, quod quidem habet, gratia &c. Fortè legendum: nisi qui hoc bonum habet, quod qui habet, gratia Salvatoris accepit.

natione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium; & cum audiunt, credunt; & in fide quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant; & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant redeunt; & nonnulli accepta gratia, in qualibet ætate, periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo, ante constitutionem mundi per electionem gratiæ: *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Non enim sic sunt vocati, ut non essent electi; propter quod dictum est: *Multi enim vocati, pauci verò electi*; sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profectò & electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ, non præcedentium meritorum suorum; quia gratia illis est omne meritum.

14. De talibus dicit Apostolus: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt: quoniam quos antè præcivit, & prædestinavit conformes imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinavit, illos & vocavit; quos autem vocavit, ipsos & justificavit; quos autem justificavit, ipsos & glorificavit.* Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt. Electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt: propositum autem, non suum, sed Dei; de quo alibi dicit: *Ut secundum electionem propositum*

Gal. 5. 6.

Rom. 11. 6.

Matt. 20.
16.

Electio gratiæ, non meritorum.

Electorum & prædestinatorum nullus perit. Rom. 9. 28. & seq.

Rom. 9. 11.

tum Dei maneret, non ex operibus, sed ex
 vocante dictum est ei, quia major serviet
 minori: & alibi: Non secundum opera nos-
 tra, inquit, sed secundum suum propositum
 & gratiam. Cum ergo audimus. Quos au-
 tem prædestinavit, illos & vocavit; secun-
 dum propositum vocatos debemus agnoscere:
 quoniam inde coepit, dicens: Omnia coope-
 ratatur in bonum, his qui secundum propo-
 situm vocati sunt; ac deinde subjunxit: Quo-
 niam quos antè præscivit, & prædestina-
 vit conformes imaginis Filii sui, ut sit ip-
 se primogenitus in multis fratribus; atque
 his præmissis subdidit: Quos autem prædes-
 tinavit, illos & vocavit. Eos itaque vult in-
 telligi, quos secundum propositum vocavit;
 ne putentur in eis esse aliqui vocati & non
 electi, propter illam dominicam sententiam:
 Multi vocati, pauci electi. Quicumque enim
 electi, sine dubio etiam vocati: non autem
 quicumque vocati, consequenter electi. Illi
 ergo electi, ut sæpè dictum est, qui secun-
 dum propositum vocati, qui etiam prædesti-
 nati atque præsciti. Horum si quisquam perit,
 fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia
 non fallitur Deus. Horum si quisquam perit,
 vitio humano vincitur Deus: sed nemo eo-
 rum perit, quia nulla re vincitur Deus. Elec-
 ti autem sunt ad regnandum cum Christo;
 non quomodo electus est Judas ad opus cui
 congruebat. Ab illo quippe electus est, qui
 novit bene uti etiam malis, ut & per ejus
 opus damnabile, illud propter quod ipse ve-
 nerat, opus venerabile completeretur. Cum ita-
 que audimus: Nonne ego vos duodecim ele-
 gi, & unus ex vobis diabolus est; illos de-
 bemus intelligere electos per misericordiam,
 il-

1. Tim. 1.9.

Rom. 8. 30.

Ibid. 28.

Matt. 20.
16.Electio ad
regnum.

Joan. 6. 71.

Vocatio
duplex.

illum per judicium; illos ad obtinendum reg-
 num suum, illum ad fundendum sanguinem
 suum.

Electio per
misericor-
diam & per
judicium.

15. Meritò sequitur vox ad regnum elec-
 torum: Si Deus pro nobis, quis contra nos?
 Qui Filio proprio non pepercit, sed pro no-
 bis omnibus tradidit eum, quomodo non &
 cum illo nobis omnia donavit? Quis accu-
 sabit adversus electos Dei? Deus qui jus-
 tificat? Quis condemnat? Christus qui mor-
 tuus est, magis autem qui & resurrexit,
 qui est in dextera Dei, qui & interpellat
 pro nobis? Quàm fortis autem perseverantiæ
 usque in finem munus acceperint, sequantur
 & dicant: Quis nos separabit à caritate
 Christi? Tribulatio, an angustia, an per-
 secutio, an fames, an nuditas, an pericu-
 lum, an gladius? Sicut scriptum est: Quia
 propter te mortificamur tota die, estimati
 sumus ut oves occisionis. Sed in his omni-
 bus supervincimus per eum qui dilexit nos.
 Certus sum enim, quia neque mors, neque
 vita, neque angelus, neque principatus, ne-
 que præsentia, neque futura, neque virtus,
 neque altitudo, neque profundum, neque
 creatura alia poterit nos separare à caritate
 Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nos-
 tro.

Rom. 8. 31.
& seq.Ibid. 35.
& seq.

Pr. 43. 22.

16. Isti significati sunt ad Timotheum, ubi
 eum dictum fuisset, Hymenæum & Philetum
 fidem quorundam subvertere; mox additum
 est: Firmum autem fundamentum Dei stat,
 habens signaculum hoc: Scivit Dominus qui
 sunt ejus. Horum fides, quæ per dilectione-
 nem operatur, profectò aut omnino non de-
 ficit, aut si qui sunt quorum deficit, repa-
 ratur antequàm vita ista finiatur, & deleta

2. Tim. 2.
19.

Gal. 5. 6.

Quicumque non perseverant, non sunt à massa perditionis prædestinatione discreti.

Matt. 20.
16.

CAPUT
VIII.
a

Rom. 9. 20.

Rom. 11.
23.

Perseverantia cur uni detur, alteri non detur, inscrutabile.

quæ intercurrerat iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur. Qui vero perseveranturi non sunt, ac sic à fide christiana & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat; procudubio nec illo tempore, quo bene piæque vivunt, in istorum numero computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti; & ideo nec secundum propositum vocati; ac per hoc nec electi: sed in eis vocati, de quibus dictum est: *Multi vocati; non in eis de quibus dictum est, pauci verò electi.* Et tamen quis neget eos electos, cum credunt, & baptizantur, & secundum Deum vivunt? Planè dicuntur electi à nescientibus quid futuri sint, non ab illo qui eos novit non habere perseverantiam quæ ad beatam vitam perducit electos, scitque illos ita stare, ut præcierit esse casuros.

17. HIC si à me queratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, a quibus eam qua christianè viverent, dilectionem dedit: me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Et O altitudo divitiarum sapientie & scientie Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Quantum itaque nobis judicia sua manifestare dignatur, gratias agamus: quantum verò abscondere, non adversus ejus consilium murmuremus, sed hoc quoque nobis saluberrimum esse credamus. Tu autem quisquis inimicus ejus gratiæ sic interrogas, ipse quid dicis? Bene, quòd te non negas esse christia-

a Am. Er. & MSS. qui eam.

tianum, & catholicum jactas. Si ergo confiteris, donum Dei esse perseverare in bono usque in finem; cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quòd mecum pariter nescis, & ambo hic inscrutabilia judicia Dei penetrare non possumus. Aut si ad liberum arbitrium hominis, quod non secundum Dei gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis ut perseveret in bono quisque, vel non perseveret, non Deo donante si perseveret, sed humana voluntate faciente; quid moliturus es contra verba dicentis: *Rogavi pro te, Petro, ne deficiat fides tua? An audebis dicere etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam usque in finem perseverare noluisset? Quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset ut vellet. Nam quis ignorat, tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea qua fidelis erat, voluntas ipsa deficeret; & permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia preparatur voluntas à Domino; ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quando rogavit ergo ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, & ut perseveret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.*

18. Mirandum est quidem, multumque mirandum, quòd filiis suis quibusdam Deus quos regeneravit in Christo, quibus fidem,

Questioni cur perseveret quisque vel non perseveret, quidam per liberum arbitrium hominis sic respondent, ut id contra gratiam defendant.
Lucæ 22.
32.

Prov. 8.
Sec. LXX.

Voluntas non libertate gratiam, sed gratia libertatem consequitur.

Exempla quedam obstupendorum jussem,

diciorum
Dei.

spem, dilectionem dedit, non dat perseve-
rantiam; cum filiis alienis scelera tanta dimit-
tat, atque impertita gratia faciat filios suos.
Quis hoc non miretur? Quis hoc non vehe-
mentissimè stupeat? Sed etiam illud non mi-
nus mirum est, & tamen verum, atque ita
manifestum, ut nec ipsi inimici gratiæ Dei
quomodo id negent valeant invenire; quòd fi-
lios quosdam amicorum suorum, hoc est, re-
generatorum honorumque fidelium, sine bap-
tismo hinc parvulos exeuntes, quibus utique
si vellet hujus lavacri gratiam procuraret, in
cujus potestate sunt omnia, alienat à regno
suo, quo parentes mittit illorum; & quosdam
filios inimicorum suorum facit in manus chris-
tianorum venire, & per hoc lavacrum intro-
ducit a in regnum, à quo eorum parentes alie-
ni sunt; cum & illis malum, & istis bonum
meritum nullum sit parvulis, ex eorum pro-
pria voluntate. Certè hinc judicia Dei, quo-
niam justa & alta sunt, nec vituperari pos-
sunt, nec penetrari. In his est & illud de per-
severantia, de qua nunc disputamus. De utris-
que ergo exclamemus: *O altitudo divitiarum
sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabi-
lia sunt judicia ejus!*

Rom. 11.
33.

Rom. 2. 11.

19. Nec miremur nos vestigare non pos-
se investigabiles vias ejus. Ut enim alia in-
numerabilia taceam, quæ aliis dantur, aliis non
dantur hominibus à Domino Deo, apud quem
non est acceptio personarum, nec tribuuntur
ista meritis voluntatum, sicut sunt celeritates,
vires, bonæ valetudines, & pulchritudines cor-
porum, ingenia mirabilia, & multarum artium
capaces naturæ mentium; vel quæ accedunt ex-

a Sic MSS. At editi, *introducui.*

extrinsecus, ut est opulencia, nobilitas, ho-
nores, & cetera hujusmodi, quæ quisque ut
habeat, non nisi in Dei est potestate: ut non
immorer etiam in baptismo parvulorum (quod
nullus istorum potest dicere, sicut illa, ad
regnum Dei non pertinere) cur illi parvulo
detur, illi non detur; cum sit utrumque in
potestate Dei, & sine illo sacramento nemo
intret in regnum Dei: ut ergo hæc taceam
vel relinquam, illos ipsos intueantur de qui-
bus agitur. De his enim disserimus, qui per-
severantiam bonitatis non habent, sed ex bo-
no in malum deficiente bona voluntate mori-
untur. Respondeant, si possunt, cur illos
Deus, cum fideliter & piè viverent, non tunc
de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia
mutaret intellectum eorum, & ne fictio deci-
peret animas eorum. Utrum hoc in potestate
non habuit, an eorum mala futura nescivit?
Nempe nihil horum nisi perversissimè atque
insanissimè dicitur. Cur ergo non fecit? Re-
pondeant qui nos irrident, quando in rebus
talibus exclamamus: *Quàm inscrutabilia sunt
judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Ne-
que enim hoc non donat Deus quibus vo-
luerit, aut verò Scriptura illa mentitur, quæ
de morte velut immatura hominis justus ait:
*Raptus est, ne malitia mutaret intellectum
ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus.*
Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis
dat, aliis non dat Deus, apud quem non est
iniquitas, nec acceptio personarum, & in-
cujus potestate est quamdiu quisque in hac vita
maneat, quæ tentatio dicta est super terram?
Sicut ergo coguntur fateri, donum Dei esse
ut finiat homo vitam istam, antequàm ex
bono mutetur in malum; cur autem aliis do-
ne-

Sap. 4. 11.

Rom. 11
33.

Sap. 4. 11.

Rom. 9. 14.
& 2. 11.

Job. 7. 1.

netur, aliis non donetur, ignorant: ita donum Dei esse in bono perseverantiam secundum Scripturas, de quibus testimonia multa jam posui, fateantur nobiscum; & cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure adversus Deum dignentur ignorare nobiscum.

CAPUT IX.

20. NEC nos moveat, quod filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiam. Absit enim ut ita esset, si de illis predestinatis essent & secundum propositum vocatis, qui verè sunt filii promissionis. Nam isti cum pie vivunt, dicuntur filii Dei: sed quoniam victuri sunt impiè & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei prescientia Dei. Sunt enim filii Dei, qui nondum sunt nobis, & sunt jam Deo; de quibus ait Evangelista Joannes: *Quia Jesus moriturus erat pro gente, nec tantum pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum*; quod utique credendo futuri erant per Evangelii prædicationem; & tamen antequam esset factum, jam filii Dei erant in memoriali Patris sui inconcussa stabilitate conscripti. Et sunt rursus quidam, qui filii Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec sunt tamen Deo: de quibus ait idem Joannes: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*. Non ait: *Ex nobis exierunt*, sed quia non manserunt nobiscum, jam non sunt ex nobis; verum ait: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*; hoc est, & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis. Et tamquam ei diceretur, unde id ostendis? *Quod si fuissent*, inquit, *ex nobis, permansissent utique nobiscum*. Filiorum Dei vox est: Joannes

Filii Dei quidam secundum susceptam temporaliter gratiam, quidam secundum æternam Dei prescientiam.
Joan. 11. 51.

1. Joan. 2. 19.

nes loquitur, in filiis Dei loco præcipuo constitutus. Cum ergo filii Dei dicunt de his qui perseverantiam non habuerunt: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*; & addunt: *Quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*; quid aliud dicunt, nisi non erant filii, etiam quando erant in professione & nomine filiorum? Non quia justitiam simulaverunt; sed quia in ea non permanserunt. Neque enim ait: Nam si fuissent ex nobis, veram, non fictam justitiam tenuissent utique nobiscum: sed *si fuissent*, inquit, *ex nobis, permansissent utique nobiscum*. In bono illos volebat proculdubio permanere. Erant itaque in bono, sed quia in eo non permanserunt, id est, non usque in finem perseveraverunt, non erant, inquit, ex nobis, & quando erant nobiscum; hoc est, non erant ex numero filiorum, & quando erant in fide filiorum: quoniam qui verè filii sunt, præciti & prædestinati sunt conformes imaginis Filii ejus, & secundum propositum vocati sunt ut electi essent. Non enim perit filius promissionis, sed filius perditionis.

21. Fuerunt ergo isti ex multitudine vocatorum: ex electorum autem paucitate non fuerunt. ^a Non igitur filiis suis prædestinatis Deus perseverantiam non dedit; haberent enim eam si in eo filiorum numero essent: & quid haberent, quod non accepissent, secundum apostolicam veramque sententiam? Ac per hoc tales filii Filio Christo dati essent, quemadmodum ipse dicit ad Patrem: *Ut omne quod dedisti mihi, non pereat, sed habeat vitam*

Reprobi quidam veram habent ad tempus justitiam, etiam si non in ea perseverant.

Rom. 8. 29. & 28.

Joan. 17. 12.

Matt. 20. 16.

1. Cor. 4. 7.

Joan. 3. 15. & 6. 39.

^a Lov. Igitur filiis suis non prædestinatis. Alteram lectionem ferunt editi alii & MSS.

Dati Christo qui intelligantur.

eternam. Hi ergo Christo intelliguntur dari, qui ordinati sunt in vitam æternam. Ipsi sunt illi prædestinati & secundum propositum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam; quoniam sic est ordinatus, & ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam. Et rursus quos dicimus inimicos ejus, vel parvulos filios inimicorum ejus, quoscumque eorum sic regeneraturus est, ut in ea fide quæ per dilectionem operatur, hanc vitam finiant; jam & antequam hoc fiat, in illa prædestinatione sunt filii ejus, & dati sunt Christo Filio ejus, ut non pereant, sed habeant vitam æternam.

Joan. 8. 31.

22. Denique ipse Salvator: *Si manseritis, inquit, in verbo meo, verè discipuli mei estis.* Numquid in his computandus est Judas, qui non mansit in verbo ejus? Numquid in his computandi sunt illi, de quibus Evangelium sic loquitur, ubi Dominus cum commendasset manducandam carnem suam & bibendum sanguinem suum, ait Evangelista: *Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus, qui essent credentes, & quis traditurus esset eum; & dicebat: Propterea dixi vobis, quia*

Joan. 6. 54. & seq.

Ibid. 60. & seq.

quia nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retrò, & jam non cum illo ambulabant. Numquid non & isti discipuli appellati sunt, loquente Evangelio? Et tamen non erant verè discipuli, quia non manserunt in verbo ejus, secundum id quod ait: *Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei estis.* Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicut non verè discipuli Christi, ita nec verè filii Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur & ita vocabantur. Appellamus ergo a nos & electos, & Christi discipulos, & Dei filios, quia sic appellandi sunt, quos regeneratos piè vivere cernimus: sed tunc verè sunt quod appellantur, si manserint in eo propter quod sic appellantur. Si autem perseverantiam non habent, id est, in eo quod cœperunt esse non manent, non verè appellantur quod appellantur & non sunt: apud eum enim hoc non sunt, cui notum est quod futuri sunt, id est, ex bonis mali.

Discipuli Christi duobus modis dicti.

Joan. 8. 31

23. Propter hoc Apostolus, cum dixisset: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum; sciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono usque in finem non permanere, mox addidit, his qui secundum propositum vocati sunt.* Hi enim in eo quod diligunt Deum, permanent usque in finem; & qui ad tempus inde deviant, revertuntur, ut usque in finem perducant, quod in bono esse cœperunt. Ostendens autem quid sit secundum propositum vocari, mox addit

Rom. 8. 29.

a Lov. Appellamus ergo eos & electos Christi discipulos. Editi alii: Appellamus ergo nos & electos Christi discipulos: ommissa post electos copulante particula, quam in multis MSS. reperimus.

Ibid. 29.
Secundum
propositum
vocati, sicut
prædesti-
nati.

dit ea quæ jam supra posui: *Quoniam quos antè præscivit, & prædestinavit conformes imaginis Filii ejus, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, illos & vocavit, scilicet secundum propositum; quos autem vocavit, ipsos & justificavit; quos autem justificavit, ipsos & glorificavit.* Illa omnia jam facta sunt, præscivit, prædestinavit, vocavit, justificavit; quoniam & omnes jam præsciti ac prædestinati sunt: & multi jam vocati atque justificati: quod autem posuit in fine, *illos & glorificavit* (si quidem illa gloria est hic intelligenda, de qua idem dicit: *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria*) nondum factum est. Quamvis & illa duo, id est, *vocavit & justificavit*, non in omnibus facta sint, de quibus dicta sunt: adhuc enim usque in finem sæculi multi vocandi & justificandi sunt; & tamen verba præteriti temporis posuit de rebus etiam futuris, tamquam jam fecerit Deus, quæ jam ut fierent ex æternitate disposuit. Ideo de illo dicit & Propheta Isaias: *Qui fecit quæ futura sunt.* Quicumque ergo in Dei providentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, justificati, glorificati sunt, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati, jam filii Dei sunt, & omnino perire non possunt. Hi verè veniunt ad Christum; quia ita veniunt, quomodo ipse dicit: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; & eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Et paulò post: *Hæc est, inquit, voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo.* Ab illo ergo datur etiam perseverantia in bo-

Coloss. 3. 4.

Præteriti
pro futuri
temporis
verbis cur
Scriptura
utatur.
Isai. 45.
roc. LXX.

Electi perire non possunt.

Joan. 6. 37.

Ibid. 39.

bono usque in finem: neque enim datur, nisi eis qui non peribunt; quoniam qui non perseverant peribunt.

24. Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum; usque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. Discunt enim in ipsa via justa cum tremore se exsultare debere, non sibi arrogando tamquam de sua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua: *Non movebimur in æternum.* Propter quod eis dicitur: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Neque enim ait, & non veniatis ad viam justam; sed, *ne pereatis*, inquit, *de via justa*: quid ostendens, nisi eos esse communitos, qui jam ambulat in via justa, ut in timore Deo serviant, id est, *non altum sapiant, sed timeant*? Quod significat, non superbiant, sed humiles sint: unde & alibi dicit: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Exsultent Deo, sed cum tremore; in * nullo gloriantes, quando nostrum nihil sit; ut qui gloriatur, in Domino gloriatur: ne pereant de via justa, in qua jam ambulare ceperunt, dum sibi hoc ipsum assignant, quod in ea sunt. His verbis usus est & Apostolus, ubi ait: *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Et ostendens quare cum timore & tremore: *Deus est enim, inquit, qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate.* Non enim habebat hunc timorem & tremorem, qui dicebat in abundantia sua: *Non movebor in*

Electis
Deus facit
etiam pec-
cata proficere in bo-
num.

Psal. 29. 7

Psal. 2. 11.

Servien-
dum Domi-
no in timo-
re, & exsul-
tandum
cum tre-
more.

Rom. 11.

20.

Rom. 12.

16.

*Cyprianus

lib. 3. Test.

c. 4.

Jer. 9. 23.

Philip. 2.

12.

Ibidem 13.

Psal. 29. 7.

eternum. Sed quia filius erat promissionis, non perditionis, expertus Deo paululum deserente quid esset ipse: *Domine*, inquit, *in voluntate tua prastitisti decori meo virtutem; avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Ecce doctior, & ob hoc etiam humilior, tenuit viam, jam videns & confitens, in voluntate sua Deum decori ejus prastitisse virtutem: quod sibi ipse tribuens, & de se præsumentis in tali abundantia quam prastiterat Deus, non de illo qui eam prastiterat, dicebat: *Non movebor in eternum.* Factus est ergo conturbatus, ut se inveniret, & humiliter sapiens, non solum æternæ vitæ, verum etiam in hac vita piæ conversationis & perseverantiæ, in quo spes habenda esset, addisceret. Hæc vox & Apostoli Petri esse potuit: dixerat quippe & ipse in abundantia sua: *Animam meam pro te ponam*; sibi festinando tribuens, quod ei fuerat à Domino postea largiendum. Avertit autem ab illo faciem Dominus, & factus est conturbatus, ita ut eum mori pro illo metuens ter negaret. Sed rursus convertit ad eum faciem suam Dominus, & culpam lacrymis diluit. Quid est enim aliud, *Respexit eum*; nisi faciem, quam paululum ab illo averterat, revocavit ad eum? Factus ergo fuerat conturbatus: sed quia didicit non de se ipso fidere, etiam hoc ei profecit in bonum, faciente illo qui diligentibus eum omnia cooperatur in bonum; quia secundum propositum vocatus erat, ut nemo eum posset eripere de manu Christi, cui datus erat.

25. Nemo ergo dicat, non esse corripiendum qui exorbitat de via justa, sed ei reditum & perseverantiam à Domino tantum esse

pos-

poscendam: nemo prudens & fidelis hoc dicat. Si enim secundum propositum vocatus est iste, proculdubio illi, etiam quod corripitur, Deus cooperatur in bonum. Utrum autem ita sit vocatus, quoniam qui corripit nescit; faciat ipse cum caritate quod scit esse faciendum: scit enim talem corripiendum; facturo Deo aut misericordiam, aut judicium: misericordiam quidem, si à massa perditionis ille qui corripitur, gratiæ largitate discretus est, & non est inter vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, sed inter vasa misericordiæ quæ præparavit Deus in gloriam: judicium verò, si in illis est damnatus, in his non est prædestinatus.

26. HIC exoritur alia quæstio, non sanè contemnenda, sed in adjutorio Domini, in cuius manu sunt, & nos, & sermones nostri, aggredienda atque solvenda. Quæritur enim à nobis, quantum adinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseverare usque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus, qui certè sine ullo vitio factus est rectus. Nec dico: Si perseverantiam non habuit, quomodo sine vitio fuit, cui tam necessarium Dei donum defuit? Huic namque interrogationi facile responderetur, eum perseverantiam non habuisse, quia in eo bono, quo sine vitio fuit, non perseveravit: cœpit enim habere vitium ex quo cecidit; & si cœpit, ante quàm cœpisset, utique sine vitio fuit. Aliud est enim non habere vitium, & aliud est in ea bonitate, in qua nullum vitium est, non manere. Eo quippe ipso quòd non dicitur numquam sine vitio fuisse, sed dicitur sine vitio non permansisse, proculdubio demonstratur sine vitio fuisse, in quo bono non per-

x 2

man-

Ibid 8.

Joan. 13.
37.

Luc. 22. 61.

Rom. 9. 22.
& 23.

CAPUT X.
An Adamus accepit perseverantiæ donum.

Quomodo peccaverit Adam non perseverando, si perseverantiam donum non accepit. mansisse culpatur. Sed illud magis querendum operosiusque tractandum est, quomodo respondeamus eis, qui dicunt: *Si in illa rectitudine in qua sine vitio factus est, habuit perseverantiam, proculdubio perseveravit in ea: & si perseveravit, utique non peccavit, nec illam suam rectitudinem Deumque deseruit. Eum autem peccasse, & desertorem boni fuisse, veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perseverantiam: & si non habuit, non utique accepit. Quomodo enim & accepisset perseverantiam, & non perseverasset? Porro si propterea non habuit, quia non accepit; quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Neque enim dici potest, ideo non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratiæ largitate. Non dum quippe erat illa in genere humano perditionis massa ante quam peccasset, ex qua tracta est origo vitiosa.*

Responsio.

27. Quapropter saluberrimè confitemur, quod rectissimè credimus, Deum Dominumque rerum omnium, quia creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exortura esse præcivit, & scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quam mala esse non sinere, sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium justitiæque iudicium. Denique Angeli quidam, quorum princeps est qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt. Refugientes tamen ejus bonitatem, qua beati fuerunt, non potuerunt ejus effugere iudicium, per quod

mi-

miserimi effecti sunt. Ceteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu numquam futuro certissimam scire meruerunt. Si enim nos de Scripturis sanctis nosse potuimus sanctos Angelos jam nullos esse casuros; quanto magis hoc ipsi revelata sibi sublimius veritate noverunt? Nobis quippe beata sine fine vita promissa est, & æqualitas Angelorum: ex qua promissione certi sumus, cum ad illam vitam postrius iudicium venerimus, non inde nos esse lapsuros: quod si de se ipsis Angeli nesciunt, non æquales, sed beatiores erimus. Veritas autem nobis eorum promisit æqualitatem. Certum est igitur hoc eos nosse per speciem, quod nos per fidem, nullam scilicet ruinam cuiusquam sancti Angeli jam futuram. Diabolus vero & angeli ejus, etsi beati erant antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate steterunt, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tamquam præmium ipsius permansionis acciperent; id est, ut magna per Spiritum sanctum data abundantia caritatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissimè nossent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant: sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine ullo vitio fruebantur. Nam si suum casum futurum nossent æternumque supplicium, beati utique esse non possent, quos hujus tanti mali metus jam tunc miseros esse compelleret.

28. Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quàmvis sui futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & mi-

Angeli per liberum arbitrium steterunt.

De sua perseverantia sunt securi.

Matt. 22. 30.

Dæmones ante lapsum beati, sed non plene.

Abundantia caritatis Dei facit ut beati cadere non possint.

Primus homo per liberum suum arbitri-

um stare & ipse potuit. serum non fieri in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recto ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profecto sine ullo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illam, merito hujus permansionis, beatitudinis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beati; id est, ut cadere non posset ulterius, & hoc certissime sciret. Nam neque ipse posset etiam in paradiso beatus esse, imò ibi non esset, ubi esse miserum non deceret, si eum sui casus præscientia timore tanti mali miserum faceret. Quia verò per liberum arbitrium Deum deseruit, justum iudicium Dei expertus est, ut cum tota sua stirpe, quæ in illo adhuc posita tota cum illo peccaverat, damnaretur. Quotquot enim ex hac stirpe gratia Dei liberantur, à damnatione utique liberantur, qua jam tenentur obstructi. Unde etiam si nullus liberaretur, justum Dei iudicium nemo justè reprehenderet. Quòd ergo pauci in comparatione pereuntium, in suo verò numero multi liberantur, gratia fit, gratis fit, gratiæ sunt agenda quia fit, ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino gloriatur.

CAPUT XI. 29. QUID ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed distinet gratiæ ante & post lapsum datæ. Distinctio gratiæ ante & post lapsum datæ.

Matt. 6.13. Adam ante lapsum sanguine

29. QUID ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed distinet gratiæ ante & post lapsum datæ. Distinctio gratiæ ante & post lapsum datæ.

Matt. 6.13. Adam ante lapsum sanguine

in illis bonis Christi morte non eguit: istos à reatu, & hæreditario, & proprio, illius Agni

ni sanguis absolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti cum dicunt: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum; quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes dari sibi pugnandi vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille verò nulla tali rixa a de se ipso adversus se ipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur.*

30. Proinde etsi non interim latiore nunc, verumtamen potentiore gratia indigent isti: & quæ potentior quàm Dei unigenitus Filius, æqualis Patri & coæternus, pro eis homo factus, & sine suo ullo vel originali vel proprio peccato ab hominibus peccatoribus crucifixus? Qui quàmvis die tertio resurrexit, numquam moriturus ulterius; pertulit tamen pro mortalibus mortem, qui mortuis præstitit vitam, ut redempti ejus sanguine, tanto ac tali pignore accepto dicerent: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non & cum illo omnia nobis donavit? Deus ergo naturam nostram, id est, animam rationalem carnemque hominis c Christi suscepit, susceptione singulariter*

x 4 mi-

a Sic vetus codex Corbeiens. At editi, à se ipso.

b Hic suo ex MSS. restitimus.

c Am. Er. & Lov. Christus. Melius posteriores quædam

Hæc fuit
postea Nestorianorum
hæresis.

Joan. I. 14.

Luc. I. 35.

mirabili vel mirabiliter singulari, ut nullis justitiæ suæ præcedentibus meritis Filius Dei sic esset ab initio quo esse homo cœpisset, ut ipse & Verbum quod sine initio est, una persona esset. Neque enim quisquam tanta rei hujus & fidei cæcus est ignorantia, ut audeat dicere, quàmvis de Spiritu sancto & Virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene vivendo, & sine peccato bona opera faciendo meruisse, ut esset Dei Filius, resistente Evangelio atque dicente: *Verbum caro factum est.* Nam ubi hoc factum est, nisi in utero virginali, unde fuit initium hominis Christi? Itemque Virgine requirente, quomodo fieret quod ei per Angelum nuntiabatur, Angelus respondit: *Spiritus sanctus a superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Propterea, inquit: non propter opera, quæ nondum nati utique nulla sunt; sed propterea, quia *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ista nativitas profectò gratuita conjunxit in ^b unitate personæ hominem Deo, carnem Verbo. Istam nativitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt. Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in unitatem personæ à Verbo Deo natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis à Deo ita suscep-

dam opusculi hujus editionis, *Christi*: quibus consentit antiquissimus codex Corbelensis.

^a Plerique MSS. *veniet super te.*

^b Quatuor MSS. *in unitatem.*

cepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret. Per hunc Mediatorem Deus ostendit eos, quos ejus sanguine redemit, facere se ex malis deinceps in æternum bonos, quem sic suscepit, ut numquam esset malus, ^a nec ex malo factus semper esset bonus.

31. Istam gratiam non habuit homo primus, qua numquam ^b vellet esse malus: sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, numquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio. Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem ^c parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Quod adjutorium si homo ille per liberum non deserisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit, & desertus est. Tale quippe erat adjutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet; non quo fieret ut vellet. Hæc prima est gratia quæ data est primo Adam: sed ^d hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim qua fit ut habeat homo justitiam si velit: secunda ^e ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis

^a Ita Vaticani quatuor MSS. Alii libri habent, *ne ex malo factus* &c. In posterioribus nonnullis editionibus adjecta particula negante legitur, *ne ex malo factus non semper esset bonus.*

^b Quinque MSS. *qua numquam esset malus.*

^c Lov. *nihil est.* Editi alii & MSS. *parum est*: eodem sensu, ut liquet ex libro de Perfectione justitiæ cap. 10. & similibus locis.

^d Am. Er. & Lov. *sed hæc.* Concinnius aliquot MSS. *sed hæc.*

^e Cisterciensis MS. *secunda plus potens*, omisso, ergo.

^b Primus homo gratiam sibi ad perseverandum necessariam accepit, sed in ejus relictam arbitrio.

^c

^d

^e Potentior est gratia in Christo data, qua efficitur ut homo in bono permanere velit.

^a voluntatem ^a contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parva erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii, quoniam sic adjuvabatur, ut sine hoc adjutorio in bono non maneret, sed hoc adjutorium si vellet desereret. Hæc autem tanto major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur ut velit.

^b
Dona gratiarum Adamo in creatione collata.

^c 32. Tunc ergo dederat homini Deus ^b bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum: dederat ^c adjutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet: quia non deerat adjutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & hujus permansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum ^d sit semper se in illa esse mansuros. Si autem hoc adjutorium vel Angelo vel homini, cum primùm facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adju-

^d
Angolorum bonorum permansio, & malorum casus per liberum arbitrium.

^a Casalensis cod. *contrariam concupiscente voluntate spiritus*. Duo alii MSS. *contraria concupiscentem voluntati spiritus*.

^b Quinque MSS. loco *bonam*, habent *liberam voluntatem*.

^c Apud Lov. *dederat & adjutorium*.

^d Tres è Vatic. MSS. *certissimum sit*.

torio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pena peccati est: quibus autem datur, secundùm gratiam datur, non secundùm debitum; & tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit sine quo permanere non possumus, etiam si velimus, verum etiam tantum ac tale sit, ut velimus. ^a Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus, verum etiam vellemus. Quod non fuit in homine primo: unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque ut reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdidit: ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset: & acceperat posse si vellet, sed non habuit vellemus quod posset; nam si habuisset, perseverasset. Posset enim perseverare ^b si vellet: quod ut nollet, de libero descendit arbitrio; quod tunc ita liberum erat, ut & bene velle posset & malè. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato, quæ futura erat & homini, sicut facta est Angelis sanctis, merces meriti? Nunc autem per peccatum perdit bono merito, in his qui liberantur factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.

^a
Adjutorium Angelo & primo homini necessarium si tunc defuisset, non sua culpa cecidissent: nunc quibus deest, pena est peccati.

^a

^b

^b
Liberrimum tunc erit arbitrium, cum peccato servire non poterit.

33. QUAPROPTER bina ista quid inter

CAP. XVII.

se

^a Sic omnes MSS. At editi, *Est quippe*.

^b Editi, *etiam si vellet*. Plerique MSS. omittunt, *etiam*: cujus particulæ loco unus è Vatic. habet, *Adam*.

Posse non peccare, mori, bonum deserere, & non posse peccare, mori, bonum deserere, qui differant.

Gen. 2. 17.

Duplex libertas, immortalitas, perseverantia.

Adjutorium sine quo aliquid non fit, & adjutorium quo aliquid fit.

se differant, diligenter & vigilanter intue- dum est, posse non peccare, & non posse peccare, posse non mori, & non posse mori, bonum posse non deserere, & bonum non posse deserere. Potuit enim non peccare pri- mus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere, Numquid dicturi sumus, non potuit peccare, qui tale habebat liberum ar- bitrium? Aut non potuit mori, cui dictum est: *Si peccaveris, morte morieris?* Aut non potuit bonum deserere, cum hoc peccan- do desererit, & ideo mortuus sit? Prima er- go libertas voluntatis erat, posse non pecca- re; novissima erit multo major, non posse peccare: prima immortalitas erat, posse non mori; novissima erit multo major, non posse mori: prima erat perseverantiae potestas, bo- num posse non deserere; novissima erit fel- icitatis perseverantiae, bonum non posse de- serere. Numquid quia erunt bona novissima potiora atque meliora, ideo fuerunt illa prima vel nulla vel parva?

34. Itemque ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum adfuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium ali- mentorum est sine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. At verò beatitudo quam non ha- bet homo, cum data fuerit, continuò fit bea- tus. Adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit est, & sine quo non fit: quia & si data fue- rit homini beatitudo, continuò fit beatus; & si data numquam fuerit, numquam erit. Ali- men-

menta verò non consequenter faciunt ut ho- mo vivat; sed tamen sine illis non potest vi- vere. Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bo- num non deserere, datum est adjutorium per- severantiae, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseve- rare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei praedestinati non a tale adjutorium perseverantiae datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut si- ne isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi per- severantes sint. Non solum enim dixit: *Sine me nihil potestis facere*; verum etiam dixit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Quibus verbis eis non solum justitiam, verum etiam in illa per- severantiam se dedisse monstravit. Christo enim sic eos ponente ut eant, & fructum af- ferant, & fructus eorum maneat, quis au- deat dicere: Non manebit? Quis audeat di- cere: Forsitan non manebit? *Sine peniten- tia sunt enim dona & vocatio Dei*; sed vo- catio eorum qui secundum propositum vocati sunt. Pro his igitur interpellante Christo ne deficiat fides eorum, sine dubio non deficiet usque in finem: ac per hoc perseverabit us- que in finem, nec eam nisi manentem vitæ hujus inveniet finis.

Perseve- rantiae ad- jutorium quale pri- mo homini datum, qua- le nunc da- tur praedes- tinatis.

Joan. 15.

5.

Ibid. 16.

b

Rom. II 29

Ma-

a Editi, non tantum tale. Abest tantum à Lovaniensium MSS. Belgicis, nullo excepto, à Vaticanis novae editio- nis gratia collatis, & ab omnibus quos vidimus Gallicis.
b Hic editi praetereunt, quis audeat dicere: Non mane- bit? Habent id omnes propè MSS.

Major nunc
in sanctis
libertas
quàm antè
in Adamo.

a

* *id est.*
Adam.

1. Cor. 7. 25.

2. Tim. 1.
7.

Joan. 8. 36.

Matt. 6. 12.

1. Joan. 5.
16.

35. Major quippe libertas est necessaria & adversus tot & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus: hoc sanctorum martyria docuerunt. Denique ille * & terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate: isti autem, non dico terrente mundo, sed sævientie ne starent, steterunt in fide: cum videret ille bona præsentia quæ fuerat relicturus, isti futura quæ accepturi fuerant non viderent. Unde hoc, nisi donante illo, à quo misericordiam consecuti sunt ut fideles essent, à quo acceperunt spiritum, non timoris, quo persequentibus cederent, sed virtutis, & caritatis, & continentia, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superarent? Illi ergo sine peccato ullo data est, cum qua conditus est, voluntas libera, & eam fecit servire peccato: horum verò cum fuisset voluntas serva peccati, liberata est per illum qui dixit: *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et accipiunt tantam per istam gratiam libertatem, ut quàmvis, quamdiu hîc vivunt, pugnent contra concupiscentias peccatorum, eisque nonnulla subrepant, propter quæ dicant quotidie: *Dimitte nobis debita nostra;* non tamen ultrà serviant peccato quod est ad mortem, de quo dicit Joannes Apostolus: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget.* b De quo peccato (quoniam non expressum est)

pos-

a Corbeiensis MS. *necessaria, & inter tot & tantas.*
b Editi, *ut roget quis.* Abest quis à MSS. & à græco textu Joannis.

possunt multa & diversa sentiri: ego autem dico id esse peccatum, fidem quæ per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem. Huic peccato ultrà non serviunt, non prima conditione, sicut ille, liberi; sed per secundum Adam Dei gratia liberati, & ista liberatione habentes liberum arbitrium quo serviant Deo, non quo captiventur à diabolo. Liberati enim à peccato servi facti sunt justitiæ, in qua stabunt usque in finem, donante sibi illo perseverantiam, qui eos præscivit, & prædestinavit, & secundum propositum vocavit, & justificavit, & glorificavit; quoniam illa quæ a de his promisit, etiam futura jam fecit: cui promittenti *credidit Abraham, & deputatum est illi ad justitiam. Dedit enim gloriam Deo, plenissimè credens,* sicut scriptum est, *Quia quæ promisit, potens est & facere.*

36. Ipse ergo illos bonos facit, ut bona faciant. Neque enim propterea eos promisit Abraham, quia præscivit à se ipsis bonos futuros. Nam si ita est, non suum, sed eorum est quod promisit. Non autem sic credidit Abraham, sed *non est infirmatus in fide, dans gloriam Deo & plenissimè credens, quia quæ promisit, potens est & facere.* Non ait, quæ præscivit, potens est promittere; aut quæ prædixit, potens est ostendere; aut quæ promisit, potens est præscire; sed *quæ promisit, potens est & facere.* Ipse igitur eos facit perseverare in bono, qui facit bonos. Qui autem cadunt & pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt. Quàmvis ergo de omnibus regeneratis & piè viventibus loqueretur Apostolus, dicens:

Peccatum ad mortem quid.

Rom. 6. 18.

Rom. 4. 3.
& 20.

Deus bonos non tantum præscit, sed ipse facit.

Ibid. 19.
20. & 21.

Tu

a Hic in editis omissum *de:* quod exstat in MSS.

Rom. 14.
4.

Tu quis es, qui iudices alienum seruum? Suo domino stat aut cadit; continuo tamen respexit ad predestinatos, & ait: Stabit autem; & ne hoc sibi arrogarent: Potens est enim Deus, inquit, statuere eum. Ipse itaque dat perseverantiam, qui statuere potens est eos qui stant, ut perseverantissime stent; vel restituere qui ceciderunt: Dominus enim erigit elisos.

Psal. 145.
8.

Voluntati
eame com-
missa est
perseve-
randi vel
non perse-
verandi po-
testas.

Majoribus
donis adju-
vanda nos-
tra infir-
mitas.

I. Cor. 1.
29.
Nemo glo-
riari potest
coram Deo.

37. Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare vel non perseverare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex a se ipso concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati & tantæ bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium: Deo quidem præsciente quid esset facturus injustè; præsciente tamen, non ad hoc cogente: sed simul sciente quid de illo ipse faceret justè. Nunc verò posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas. Placuit enim Deo, quo maxime humanæ superbiam præsumptionis exstingueret: *Ut non gloriatur omnis caro coram ipso*; id est, omnis homo. Unde autem non gloriatur caro coram ipso, nisi de meritis suis? Quæ quidem potuit habere, sed perdidit; & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium: propter quod non restat liberandis nisi gratia liberantis. Ita ergo non gloriatur omnis caro coram ipso. Non enim gloriatur iniusti, qui non habent unde; nec iusti, quia ex ipso habent unde, nec habent glo-

a Sic MSS. At editi, ex se ipsa.

gloriam suam nisi ipsum, cui dicunt: *Gloria mea & exaltans caput meum.* Ac per hoc ad omnem hominem pertinet quod scriptum est: *Ut non gloriatur omnis caro coram ipso.* Ad justos autem illud: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Hoc enim Apostolus apertissime ostendit, qui cum dixisset: *Ut non gloriatur omnis caro coram ipso*; ne putarent sancti sine gloria se remansisse, mox addidit: *Ex ipso autem vos estis in Jesu Christo, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Hinc est quod in hoc loco miseriarum, ubi tentatio est vita humana super terram, *virtus in infirmitate perficitur*: quæ virtus, nisi ut qui *gloriatur, in Domino gloriatur?*

38. Ac per hoc nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solum dat adiutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint; sed in eis etiam operatur & velle: ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint, & velint, perseverandi eis & possibilitas, & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus (in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat) ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes in-

Ps. 3. 4.

I. Cor. 1.
29.
Ibid. 31. &
2. Cor. 10.
17.

I. Cor. 1.
30.

1. Cor. 9. 23.

1. Cor. 7. 1.
2. Cor. 12.
9.

Quale nunc
donum perse-
verantiæ
datur elec-
tis.

firmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei: cum voluntas primi hominis fortis & sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii; quamvis non defuturo adjutorio Dei sine quo non posset perseverare si vellet, non tamen tali quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortissimo quippe dimisit atque permisit facere quod vellet: infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent. Dicente ergo Christo: *Rogavi pro te ne deficiat fides tua*; intelligamus ei dictum ^a, qui ædificatur super petram. Atque ita homo Dei non solum quia misericordiam consecutus est ut fidelis esset, verum etiam quia fides ipsa non deficit, *qui gloriatur, in Domino gloriatur.*

39. HÆC de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis: non de his, qui, cum annuntiasset & locutus esset, multiplicati sunt super numerum. Ipsi enim vocati dici possunt, non autem electi, quia non secundum propositum vocati. Certum verò esse numerum

^a Plures MSS. *quæ ædificatur.* In proximè sequente versu abest, *homo Dei*, à plerisque MSS.

Gratia, qua infirmæ voluntati subvenitur, eam indeclinabiliter & insuperabiliter agit.

Lucæ 22. 32.

CAPUT XIII. Prædestinatorum certus & definitus est numerus. Ps. 39. 6.

rum electorum, neque augendum neque minuendum, quamvis & Joannes baptista significet, ubi dicit: *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ; & nolite dicere apud vosmetipsos: Patrem habemus Abraham; potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham*; ut ostendat sic istos esse amputandos si non fecerint fructum, ut non desit numerus qui promissus est Abraham: tamen apertius in Apocalypsi dicitur: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Si enim alius non est accepturus nisi iste perdidit, certus est numerus.

40. Quod autem etiam perseveraturis sanctis sic ista dicuntur, quasi eos perseveraturos habeatur incertum; non aliter hæc audire debent, quibus expedit non altum sapere, sed timere. Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? Quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per satanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus. Hinc Apostolis dicebatur: *Si manseritis in me*; dicente illo, qui eos utique sciebat esse mansuros. Et per Prophetam: *Si volueritis & audieritis me*; cum sciret ipse in quibus operaretur & velle. Et similia multa dicuntur ^a. Nam propter hujus utilitatem secreti, ne fortè quis extollatur, sed omnes etiam qui bene currunt timeant, dum occultum est qui perveniant: propter hujus ergo utilitatem secreti credendum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide quæ perdidit

Matt. 3. 8.

Apos. 3. 11.

Nemo de salute & prædestinatione sua certus & securus. Rom. 11. 20.

2. Cor. 12. 7.

Joan. 15. 7.

Isaia 1. 19.

Phil. 2. 13.

Propter periculum Deus perseveraturis etiam non perdidit

y 2

di-

^a Am. & Er. omittunt, *Nam.* Habent nostri MSS.

perseveraturos admiscet.

dilectionem operatur incipere vivere, & aliquamdiu fideliter ac justè vivere, & postea cadere, neque de hac vita priùsquàm hoc eis contingat auferri. Quorum si nemini contigisset, tandiu haberent homines istum saluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Christi gratiam qua piè vivitur pervenirent, deinceps jam securi numquam se ab illo esse casuros. Quæ præsumptio in isto tentationum loco non expedit, ubi tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas. Denique etiam hoc erit, sed tunc a, quod jam est in Angelis, etiam in hominibus erit, quando ulla superbia esse non poterit. Numerus ergo sanctorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, donata sibi etiam usque in finem perseverantia, illuc integer perducetur, & illic integerrimus jam sine fine beatissimus servabitur, adhærente sibi misericordia Salvatoris sui, sive cum convertuntur, sive cum præliantur, sive cum coronantur.

Etiam in judicio necessaria nobis erit misericordia Dei.

Psal. 102. 4.
Jac. 2. 13.

2. Mach. 7. 29.
Prov. 20. sec. LXX.

41. Nam & tunc esse illis Dei misericordiam necessariam sancta Scriptura testatur, ubi sanctus de Domino Deo suo dicit animæ suæ: *Qui coronat te in miseratione & misericordia.* Dicit etiam Jacobus Apostolus: *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam;* ubi ostendit etiam in illo judicio, in quo justis coronantur, injustique damnantur, alios cum misericordia, alios sine misericordia judicandos. Propter quod etiam mater Machabæorum filio suo dicit: *Ut in illa miseratione cum fratribus te recipiam.* *Cum enim rex justus, sicut scriptum est,*

sc-

a Nonnulli MSS. sed tunc quando quod jam est.

sederit in throno, non adversabitur ante eum omne malum. Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Ac per hoc etiam ibi Dei misericordia necessaria est, qua a fit beatus, cui non imputavit Dominus peccatum. Sed tunc pro bonorum operum meritis justo judicio etiam ipsa misericordia tribuetur. Cum enim dicitur: *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam;* manifestatur in his in quibus inveniantur bona opera misericordiae, judicium cum misericordia fieri; ac per hoc etiam ipsam misericordiam meritis bonorum operum reddi. Non sic est nunc, quando non solum nullis bonis, sed etiam multis malis operibus præcedentibus, misericordia ejus prævenit hominem, ut liberetur à malis, & quæ fecit, & quæ facturus fuerat nisi Dei gratia b regeretur, & quæ passurus fuerat in æternum nisi erueretur à potestate tenebrarum, & transferretur in regnum Filii caritatis Dei. Verumtamen quia & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur; sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Rectè quippe ipsa inteligitur quæ c in Evangelio legitur: *Gratia pro gratia;* id est, pro his meritis quæ contulit gratia.

42. Hi verò qui non pertinent ad hunc prædestinatorum numerum, quos Dei gratia

Y 3

a Am. Er. & aliquot MSS. *stat.* Duo MSS. *stat.*

b Sic novem MSS. Editi verò, *regeneraretur.*

c Am. Er. & plures MSS. *quæ gratia in Evangelio.*

Præf. 31. 2. Misericordia in extremo judicio pro bonorum operum meritis justo judicio piis retribuetur.

Col. 1. 13.

Vita æterna merces & gratia. Rom. 6. 23.

Joan. 1. 16.

Reprobi diversi generis pro meritis puniendi.

sive nondum habentes ullum liberum suæ voluntatis arbitrium, sive cum arbitrio voluntatis, ideo verè libero, quia per ipsam gratiam liberato, perducit ad regnum: hi ergo qui non pertinent ad istum certissimum & felicissimum numerum, pro meritis justissimè judicantur. Aut enim jacent sub peccato, quod originaliter generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum; aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt: arbitrium, inquam, liberum, sed non liberatum; liberum justitiæ, peccati autem servum, quo voluntur per diversas noxias cupiditates, alii magis, alii minùs; sed omnes mali, & pro ipsa diversitate diversis suppliciis judicandi. Aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant^a; deserunt & deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono, judicio Dei justo & occulto.

CAPUT
XIV.
Corruptio
& gratia,
non se invicem tollunt.

Corruptio-
ni

43. PATIANTUR ergo homines se corripit quando peccant, nec de ipsa correptione contra gratiam argumententur, nec de gratia contra correptionem: quia & peccatis justa poena debetur, & ad ipsam pertinet justa correptio, quæ medicinaliter adhibetur, etiam si salus ægrotantis incerta est: ut si is qui corripitur ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum; si autem non pertinet, sit ei correptio poenale tormentum. Sub isto ergo incerto ex caritate adhibenda est, cujus exitus ignoratur; & pro illo cui adhibetur, orandum est ut sanetur. Cum autem homines per correptionem

^a Duo MSS. sed deserunt.

nem in viam justitiæ seu veniunt seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris vel arbustulis operante dat incrementum Deus; cui volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium? Sic enim velle seu nolle in volentis a t nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem. Etiam de his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult.

44. Et quod scriptum est, quod *Vult omnes homines salvos fieri*; nec tamen omnes salvi fiunt, multis quidem modis intelligi potest, ex quibus in aliis * opusculis nostris aliquos commemoravimus; sed hinc unum dicam. Ita dictum est: *Omnes homines vult salvos fieri*; ut intelligantur omnes prædestinati; quia omne genus hominum in eis est. Sicut dictum est Pharisæis: *Decimatis omnem olus*; ubi non est intelligendum nisi omne quod habebant; neque enim omne olus quod erat in toto terrarum orbe decimabant. Secundum istum locutionis modum, dictum est: *Sicut & ego omnibus per omnia placeo*. Numquid enim qui hoc dixit, placebat etiam tam multis persecutoribus suis? Sed placebat omni generi hominum, quod Christi congregabat Ecclesia, sive jam intus positus, sive introducendis in eam.

45. Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui *in celo & in terra omnia quæcumque voluit fecit*, & qui etiam illa *quæ futura sunt fecit*, humanas voluntates non posse resistere, quominùs faciat ipse quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit. Nisi fortè (ut ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Saül regnum

ni conium-
genda ora-
tio.

1. Tim. 2.

4. Omnes homines quomodo Deus salvos fieri velit.

* Enchirid. c. 103. lib. 22. de civitate Dei c. 1. & 2. & supra lib. 4. contra Julian. c. 8.

Lucæ 11. 42.

1. Cor. 10. 33.

Psalm. 134. 6.

Isai. 45. sec. LXX.

Exempla Scripturæ, quibus probatur Deum magis habere in sua potestate

voluntates
hominum,
quàm ipsi
suas.

1. Reg. 10.
25.

a

1. Par. 11.
9.

1. Par. 12.
18.

dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quò placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Sic enim scriptum est: *Et dimisit Samuel populum, & abiit unusquisque in locum suum; & Saül abiit in domum suam in Gabaa; & abierunt potentes quorum tetigit Dominus corda cum Saüle. Et filii pestilentes dixerunt: Quis salvabit nos? Hic? Et inhonoraverunt eum, & non adtulerunt ei munera.* Numquid aliquis dicturus est, non iturum fuisse cum Saül quemquam eorum, quorum tetigit corda Dominus ut irent cum illo; aut isse aliquem pestilentium, quorum ut hoc facerent corda non tetigit? Item de David, quem Dominus in regnum successu prosperiore constituit, ita legitur: *Et ambulabat David proficiens, & magnificabatur, & Dominus erat cum illo.* Hoc cum præmissum fuisset, paulò post dictum est: *Et Spiritus induit Amasai principem triginta, & dixit: Tuisumus, o David, & tecum futuri, fili Jesse. Pax, pax tibi, & pax adjutoribus tuis, quia auxiliatus est tibi Deus.* Numquid iste posset adversari voluntati Dei, & non potius ejus facere voluntatem, qui in ejus corde operatus est per Spiritum suum quo indutus est, ut hoc vellet^b, diceret, & fa-

CO-

^a Sic MSS. juxta LXX. At. Am. Er. Num salvabit nos hic? Lov. Numquid salvabit nos hic?

^b Quinque MSS. vellet dicere & facere. Sorbonicus, vellet, diceret, vellet & faceret: fortè pro, vellet, dicere vellet & facere.

ceret? Item paulò post ait eadem Scriptura *Ibid. 38. Omnes hi viri bellatores, dirigentes aciem corde pacifico venerunt in Hebron, ut constituerent David super omnem Israël.* Sua voluntate utique isti constituerunt regem David. Quis non videat? Quis hoc neget? Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt^a, quod fecerunt corde pacifico; & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit operatur. Propter quod præmisit Scriptura: *Et ambulabat David proficiens, & magnificabatur, & Dominus omnipotens erat cum illo.* Ac per hoc Dominus omnipotens qui erat cum illo, adduxit istos ut eum regem constituerent. Et quomodo adduxit? Numquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo cum voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum quàm ipsi suas, quis alius facit ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut caelesti constituatur in regno?

46. CORRIPIANTUR itaque à præpositis suis subditi fratres correptionibus de caritate venientibus, pro culparum diversitate diversis, vel minoribus vel amplioribus. Quia & ipsa quæ damnatio nominatur, quam facit episcopale judicium, qua pœna in Ecclesia nulla major est, potest, si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere atque proficere. Neque enim scimus quid contingat sequenti die; aut ante finem vitæ hujus de aliquo desperandum est; aut contradici Deo

po-

CAPUT
XV.
Correptio
pro culpa-
rum diver-
sitate di-
versi.
Excommu-
nicatione
pœna ma-
jor in Ec-
clesia non
est.

^a Hic ex uno Vatic. MS. addimus, quod fecerunt.

Quoniam incertum nobis est quos Deus salvare decreverit, omnium & singulorum debemus procurare salutem voto, prædicatione, & correptione.

Rom. 5. 1.
2. Cor. 5. 20.

Lucæ 10. 5.

Isai. 52. 7.

potest, ne respiciat & det poenitentiam, & accepto sacrificio spiritus contribulati cordisque contriti à reatu quàmvis justæ damnationis absolvat, damnatumque ipse non damnet. Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam; ab illo, cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam. Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat: sic affici debemus caritatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri. Hoc quippe fit, cum singulos quosque, ut occurrerint cum quibus id agere valeamus, ad hoc conamur adducere, ut justificati ex fide pacem habeant ad Deum: quam prædicabat etiam Apostolus, cum dicebat: *Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos obsecramus pro Christo, reconciliari Deo.* Quid est enim ei reconciliari, nisi pacem ad illum habere? Propter quam pacem etiam ipse Dominus Jesus dixit discipulis suis: *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur.* Cum hanc evangelizant pacem, de quibus prædictum est: *Quàm speciosi pedes eorum qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona!* nobis quidem tunc incipit esse quisque filius pacis, cum obedierit & crediderit huic Evangelio, & ex fide justificatus pacem ad Deum habere cœperit: secundum autem prædestinationem Dei jam filius pacis erat. Neque enim dictum est: Super quem requieverit pax vestra, fiet filius pacis: sed, *si ibi fuerit, inquit, filius pacis,*

cis, requiescet super a illam domum pax vestra. Jam ergo & antequàm illi annuntiaretur hæc pax, filius pacis ibi erat, sicut eum noverat atque præcierat non Evangelista, sed Deus. Ad nos ergo qui nescimus quisnam sit filius pacis, aut non sit, pertinet nullum exceptum facere, nullumque discernere; sed velle omnes salvos fieri, quibus prædicamus hanc pacem. Neque enim metuendum est ne perdamus eam, si ille cui prædicamus, non est filius pacis, ignorantibus nobis: ad nos enim revertetur, id est, nobis proderit ista prædicatio, non & illi: si autem super eum pax prædicata requieverit, & nobis, & illi.

47. Quia ergo nos qui salvi futuri sint nescientes, omnes quibus prædicamus hanc pacem, salvos fieri velle Deus jubet, & ipse in nobis hoc operatur, diffundendo istam caritatem in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis; potest etiam sic intelligi, quòd omnes homines Deus vult salvos fieri; quoniam nos facit velle: sicut misit Spiritum Filii sui clamantem, *Abba, pater*, id est, nos clamare facientem. De ipso quippe Spiritu alio loco dicit: *Accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater.* Nos ergo clamamus, sed ille clamare dictus est, qui efficit ut clamemus. Si ergo clamantem Spiritum rectè dixit Scriptura, à quo efficitur ut clamemus; rectè etiam volentem Deum à quo efficitur ut velimus. Ac per hoc, quia & corripiendo nihil aliud debemus agere, nisi ut ab

Rom. 5. 5.
Alia interpretatio lo-
ci Apost:
Qui vult omnes ho-
mines sal-
vos fieri.
1. Tim. 2.
4.
Gal. 4. 6
Rom. 8. 15.

^a Ita hoc loco MSS. Ad editi habent, *super eum*: & omittunt, *domum.*

ista pace quæ est ad Deum non recedatur, aut ad eam qui recesserat revertatur, nos agamus sine desperatione quod agimus. Si filius pacis est quem corripimus, requiescet super eum pax nostra; sin autem, ad nos revertetur.

1. Tim. 2.
29.

48. Quamvis itaque etiam dum quorundam fides subvertitur, firmum Dei fundamentum stet, quoniam scivit Dominus qui sunt ejus: non tamen ideo nos pigri & negligentes esse debemus in corripiendis, qui corripiendi sunt. Neque enim frustra dictum est: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala: & peribit infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est.* Non arguemur contra ista præcepta salubremque terrorem dicentes: Et corrumpant mores bonos colloquia mala, & pereat infirmus, quid ad nos? Firmum fundamentum Dei stat, & nemo perit, nisi filius perditionis. * ABSIT ut ista garrientes, securos nos in hac negligentia esse debere credamus. Verum est enim, quia nemo perit, nisi filius perditionis: sed ait Deus per Ezechielem prophetam: *Ille quidem in peccato suo morietur, sanguinem verò ejus de manu speculatoris requiram.*

2. Cor. 15.
33.
1. Cor. 8.
11.

* CAPUT
XVI.

Joa. 17.
12.
Ezech. 3.
18.

Rom. 8. 29.

49. Proinde quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes salvos fieri velle debemus; omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter severa correctio: Dei est autem illis eam facere utilem, quos ipse præcivit & prædestinavit conformes imaginis Filii sui. Si enim aliquando timore non corripimus, ne aliquis inde pereat; cur non etiam timore corri-

* In MSS. Perit.

ripimus, ne aliquis inde plus pereat? Neque enim dilectionis viscera majora gestamus quam beatus Apostolus, qui dicit: *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes; videte ne quis malum pro malo alicui reddat.* Ubi intelligendum est tunc potius malum pro malo reddi, si corripiendus non corripitur, sed prava dissimulatione negligitur. Dicit etiam: *Peccantes coram omnibus corripe, ut ceteri timorem habeant.* Quod de his peccatis accipiendum est quæ non latent, ne contra Domini sententiam putetur locutus. Ille enim dicit: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum.* Verumtamen & ipse severitatem correctionis eò usque perducit, ut dicat: *Si nec Ecclesiam audierit, sit tibi tamquam ethnicus & publicanus.* Et quis magis dilexit infirmos, quam ille qui pro omnibus est factus infirmus, & pro omnibus ex ipsa est infirmitate crucifixus? Quæ cum ita sint, nec gratia prohibet correptionem, nec correctio negat gratiam: & ideo sic est præcipienda justitia, ut à Deo gratia qua id quod præcipitur fiat, fideli oratione poscatur: & hoc utrumque ita faciendum est, ut neque justa correctio negligatur. Omnia verò hæc cum caritate fiant: quoniam caritas nec facit peccatum, & cooperit multitudinem peccatorum.

1. Thess. 5.
14.

Correptione non malum, sed bonum pro malo redditur.

1. Tim. 5.
20.

Publicè publica tantum corripienda peccata.

Mat. 18.
15.

Ibid. 17.

1. Pet. 4. 8.

®



AD SUBSEQUENTES DUOS LIBROS,
unum de Prædestinatione sanctorum, alterum
de dono Perseverantiæ,

Admonitio petita ex Lovaniensium editione.

POSTquam in Gallias allati fuere libri quidam Augustini contra pelagianos scripti, non paucorum illic animos offenderunt; non modò de communi doctorum vulgo, sed quorundam etiam presbyterorum ac episcoporum qui & pietate & eruditione celebres & commendati habebantur: adeò ut multi quoque Augustini doctrinæ faventes, eorum auctoritatem reveriti, à meliore sententia revocarentur, aut eam certè profiteri publicè non auderent. Verùm alii quidam cordatiores firmioresque, inter quos præcipui Prosper & a Hilarius, sententias eos pelagiani erroris vel incautos negotium agere, quosdam verò rem non intellectam imperitè calumniari; fortiter se iis opposuere. Quibus cum per omnia satisfacere non possent, re ad Augustinum relata rogant ut quæ in ejus libris, præsertim de Correctione & Gratia, quosdam suorum offendebant, clariùs dissertiùsque explicare dignaretur. Ea verò quæ sint, ex subjectis utriusque epistolis cognoscere licebit. Hac occasione scripsit Augustinus sequentes libros duos, alterum de Prædestinatione sanctorum, alterum de dono Perseverantiæ. Sed adeo nec his-

a Hilarium hunc Arelatensem appellant Lovanienses, sed falsò. Vide annotationem ad Hilarii epistolam, infra.

his quidem satisfactum hominibus illis fuit, ut Augustini doctrinam ac libros magis etiam magisque aversarentur, multa in eis imperitè malitiosèque calumniantes. Unde factum ut adversus eorum reprehensiones Prosper defuncto jam Augustino varios ediderit apologiarum libellos: cujus generis sunt præter alios, ad capitula Gallorum, ad objectiones Vincentianas, ad excerpta Genuensium, & adversus Collatorem responsiones. Quibus cum eorum incitiam & calumnias clarissimè coarguisset, ut erubescere jam meritò etiam deberent, majores tamen postea motus concitarunt, nec Prospero jam & Hilario parentes: ut coacti fuerint ad Apostolicam Sedem confugere, quam eo tempore Cælestinus pontifex gubernabat. Is rem totam ab eis edoctus ad Galliæ Episcopos quosdam litteras mittit, quibus Augustinum & doctrinam ejus tuetur ac prædicat, obtrectatores ejus graviter coarguit, episcopis mandat ut eis silentium imponant. Sed ne sic quidem prorsus quievit. Quia enim Pontifex libros eos quos illi tam odiosè traducebant, videlicet de Correctione & Gratia, de Prædestinatione sanctorum, de Perseverantiæ dono, nominatim non expresserat titulis eos suis designans; post Cælestini mortem aiebant non eos fuisse approbatos, nec propter illos commendatum auctorem, sed pro anteriorum scriptorum meritis laudationem istam in eum fuisse collatam: ut testis est Prosper sub finem libri contra Collatorem. Quocirca tempore a Felice Papæ IV. celebratum fuit in Arausicana civitate concilium, quod est ejus

lo-
a Hic rursum corrigendi Lovanienses; qui Arausicanum istud II. concilium jussu Leonis Papæ I. celebratum dicunt.

loci secundum , in quo renovata & iteratè confirmata est catholica & apostolica, eademque Augustini de Gratia & Libero arbitrio doctrina , canonibus ipsi ex Augustini libris passim decerptis. Quæ omnia in Appendice, part. 2. reperire licebit. Ceterum quòd horum duorum librorum in Retractationibus suis non meminerit Augustinus , inde factum , quòd cum hæc scriberet , jam duos Retractationum libros ediderat , quemadmodum ipsemet infra testatur libro primo , cap. 3. & libro secundo , cap. 11.

His præsertim ex libris Augustini agnoscì voluit Hormisdas Papa , quid Romana & Catholica Ecclesia de libero arbitrio & gratia Dei profiteatur. Cujus Pontificis auctoritate libros eosdem episcopi Africani pro fide in Sardinia exsules maximè commendant in Epistola synodica. Præ omnibus , inquirunt , studium gerite , quos ad Prosperum & Hilarium scripsit , memoratis fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beata memoriæ Hormisdas Sedis Apostolicæ gloriosus Antistes in epistola , quam consulenti se sancto fratri consacerdotique nostro Possessori rescripsit , cum magno præconio catholicæ laudis inseruit ; cuius hæc verba sunt: De arbitrio tamen libero & Gratia Dei, QUID ROMANA , HOC EST , CATHOLICA SEQUATUR ET SERVET ECCLESIA , licet in variis libris beati Augustini , & maximè ad Prosperum & Hilarium abundè possit agnosci , tamen & in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur.

PROS-



PROSPERI AD AUGUSTINUM de reliquiis Pelagianæ hæreseos in Gallia sobolescentibus , deque hujusmodi hominum querelis adversus Prædestinationis & Gratia doctrinam superioribus ipsius Augustini opusculis , præsertim libro de Correctione & Gratia explicatam,

EPISTOLA INTER AUGUSTINIANAS CCXXV.

Domino beatissimo Papæ , ineffabiliter mirabili , incomparabiliter honorando , præstantissimo patrono, AUGUSTINO, PROSPER.

1. **IGNOTUS** quidem tibi facie , sed jam aliquatenus , si reminiscaris , animo ac sermone compertus ; nam per sanctum fratrem meum Leontium diaconum misi a epistolas , & recepi ; nunc quoque beatitudini tuæ scribere audeo , non solum salutationis , ut tunc , studio , sed etiam fidei , qua Ecclesia vivit , affectu. Excubante enim pro universis membris corporis Christi vigilantissima industria tua , & adversus hæreticarum doctrinarum insidias veritatis virtute pugnante , nullo modo mihi verendum putavi , ne onerosus tibi , aut importunus essem in eo , quod ad multorum salutem , ac perinde ad pietatem tuam pertinet : cum potiùs reum futurum esse me crederem , si ea , quæ valdè perniciosa es-

TOM. IV.

a Quatuor MSS. epistolam.



loci secundum , in quo renovata & iteratè confirmata est catholica & apostolica, eademque Augustini de Gratia & Libero arbitrio doctrina , canonibus ipsi ex Augustini libris passim decerptis. Quæ omnia in Appendice, part. 2. reperire licebit. Ceterum quòd horum duorum librorum in Retractationibus suis non meminerit Augustinus , inde factum , quòd cum hæc scriberet , jam duos Retractationum libros ediderat , quemadmodum ipsemet infra testatur libro primo , cap. 3. & libro secundo , cap. 11.

His præsertim ex libris Augustini agnoscì voluit Hormisdas Papa , quid Romana & Catholica Ecclesia de libero arbitrio & gratia Dei profiteatur. Cujus Pontificis auctoritate libros eosdem episcopi Africani pro fide in Sardinia exsules maximè commendant in Epistola synodica. Præ omnibus , inquirunt , studium gerite , quos ad Prosperum & Hilarium scripsit , memoratis fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beata memoriæ Hormisdas Sedis Apostolicæ gloriosus Antistes in epistola , quam consulenti se sancto fratri consacerdotique nostro Possessori rescripsit , cum magno præconio catholicæ laudis inseruit ; cujus hæc verba sunt: De arbitrio tamen libero & Gratia Dei, QUID ROMANA , HOC EST , CATHOLICA SEQUATUR ET SERVET ECCLESIA , licet in variis libris beati Augustini , & maximè ad Prosperum & Hilarium abundè possit agnosci , tamen & in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur.

PROS-



PROSPERI AD AUGUSTINUM de reliquiis Pelagianæ hæreseos in Gallia sobolescentibus , deque hujusmodi hominum querelis adversus Prædestinationis & Gratia doctrinam superioribus ipsius Augustini opusculis , præsertim libro de Correctione & Gratia explicatam,

EPISTOLA INTER AUGUSTINIANAS CCXXV.

Domino beatissimo Papæ , ineffabiliter mirabili , incomparabiliter honorando , præstantissimo patrono, AUGUSTINO, PROSPER.

1. **IGNOTUS** quidem tibi facie , sed jam aliquatenus , si reminiscaris , animo ac sermone compertus ; nam per sanctum fratrem meum Leontium diaconum misi a epistolas , & recepi ; nunc quoque beatitudini tuæ scribere audeo , non solum salutationis , ut tunc , studio , sed etiam fidei , qua Ecclesia vivit , affectu. Excubante enim pro universis membris corporis Christi vigilantissima industria tua , & adversus hæreticarum doctrinarum insidias veritatis virtute pugnante , nullo modo mihi verendum putavi , ne onerosus tibi , aut importunus essem in eo , quod ad multorum salutem , ac perinde ad pietatem tuam pertinet : cum potiùs reum futurum esse me crederem , si ea , quæ valdè pernicioosa es-

TOM. IV.

a Quatuor MSS. epistolam.



se intelligo, ad specialem patronum fidei non referrem.

Massiliensium quidam Augustini libri non intellectis offensi.

Adrumetinos Monachos.

2. Multi ergo servorum Christi qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni & ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti. Et cum aliquamdiu tarditatem suam culpæ maluerint, quam non intellecta reprehendere, quidamque eorum lucidiorem super hoc atque apertiore beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare; evenit ex dispositione misericordiæ Dei, ut cum quosdam intra Africam similia movissent, librum de Correctione & Gratia plenum divinæ auctoritatis emitteres. Quo in notitiam nostram insperata opportunitate delato, putavimus omnes querelas resistentium sopiendas: quia universis quæstionibus, de quibus consulenda erat sanctitas tuæ, tam plenè illic absolutèque responsum est, quasi hoc specialiter studueris, ut quæ apud nos erant turbata componeres. Recensito autem hoc beatitudinis tuæ libro, sicut qui sanctam atque apostolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores multo instructionesque sunt facti; ita qui persuasionis suæ impediabantur obscuro, aversiores quàm fuerant, recesserunt. Quorum tam abrupta dissensio primum propter ipsos metuenda est, ne tam claris tamque egregiis in omnium virtutum studio viris spiritus

pe-
a Servorum Christi, id est, monachorum, quorum nominatissimus Joannes Cassianus Collationum editor, ipsius Prosperi contra Collatorem libro postea confutatus.

pelagianæ impietatis illudat: deinde ne simplices quique, apud quos horum magna est de probitatis contemplatione reverentia, hoc tutissimum sibi æstiment, quod audiunt eos, quorum auctoritatem sine iudicio sequuntur, asserere.

3. Hæc enim ipsorum definitio ac professio est: Omnem quidem hominem Adam peccante peccasse. Et neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari. Universis tamen hominibus propitiationem quæ est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam; ut quicumque ad fidem & ad baptismum accedere voluerint, salvi esse possint; qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit. Ideoque omnem hominem ad credendum & ad operandum divinis institutionibus admoneri, ut de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cum voluntariæ devotioni remuneratio sit parata. Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum & rejicientium dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis adferre: eo quod in utraque parte superfluous labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere. Quoquo enim

Massiliensium sententia partim catholica, partim pelagiana.

modo se egerint, non posse aliud erga eos quam Deus definivit, accidere: & sub incerta spe cursum non posse esse constantem; cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quamdam induci necessitatem; aut diversarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse quam factus est. Utque brevius ac plenius quod opinantur exponam, quiddam in libro hoc ex contradicentium sensu sanctitas tua sibi opposuit, quiddam etiam in libris contra Julianum ab ipso sub hac questione objectum, potentissimè debellasti; hoc totum ab istis sanctis intentiosissimè conclamatur. Et cum contra eos scripta beatitudinis tuæ validissimis & innumeris testimoniis divinarum Scripturarum instructa proferimus; ac secundum formam disputationum tuarum aliquid etiam ipsi quo concludantur adstruimus; obstinationem suam vetustate defendunt: & ea quæ de epistola Apostoli Pauli romanis scribentis, ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, à nullo unquam ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant. Cumque ut ipsi ea exponant secundum quorum velint sensa deprecemur; nihil se profitentur invenisse quod placeat: & de his taceri exigunt, quorum altitudinem nullus adtigerit. Eo postremò perveraciam tota descendit, ut fidem nostram ædificationi audientium contrariam esse definiant; ac sic etiam si vera sit, non pro-

men-

mendam: quia & perniciosè non recipienda tradantur, & nullo periculo quæ intelligi nequeant conticeantur.

4. Quidam verò horum in tantum à pelagianis semitis non declinant, ut cum ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur, ne si meritis reddatur, frustrà gratia nominetur, ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec existentem, liberi arbitrii & rationalem gratia Creatoris instituat, ut per discretionem boni ac mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire, per naturalem scilicet facultatem, petendo, quaerendo, pulsando: ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene usus, ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire. Propositum autem vocantis gratiæ in hoc omnino definiunt, quòd Deus constituerit nullum in regnum suum nisi per sacramentum regenerationis assumere, & ad hoc salutis donum omnes homines universaliter, sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per evangelicam prædicationem vocari: ut & qui voluerint, fiant filii Dei, & inexcusabiles sint qui fideles esse noluerint: quia justitia Dei in eo sit, ut qui non crediderint, pereant; bonitas in eo appareat, si neminem repellat à vita, sed indifferenter universos velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Jam hic proferunt testimonia, quibus divinarum Scripturarum

Aliorum
sententia
magis ad-
huc pelagianizans.

cohortatio ad obediendum incitat hominum voluntates, qui ex libero arbitrio, aut faciant quæ jubentur, aut negligant: & consequens putant, ut quia prævaricator ideo dicitur non obedisse quia noluit, fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus fuisse quia voluit; & quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum; parique momento animum se vel ad vitia vel ad virtutes movere, quem bona appetentem gratia Dei foveat, mala sectantem damnatio justa suscipiat.

5. Cumque inter hæc innumerabilium illis multitudo objicitur parvulorum, qui utique excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei judicio discernuntur; ut ante discretionem boni ac mali de usu vitæ istius auferendi, alii per regenerationem inter cælestis regni assumantur hæredes, alii sine baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores: tales ajunt perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam seroarentur ætatem, scientia divina præviderit. Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas. Sed in tantum quibuscumque commentitiis meritis electionem Dei subficiunt, ut quia præterita non exstant, futura quæ non sint futura confingant; novoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & præscita non ac-

acta sint. Hanc sanè de humanis meritis præscientiam Dei, secundum quam gratia vocantis operetur, multò sibi rationabilius videntur adstruere, cum ad earum nationum contemplationem venitur, quæ vel in præteritis sæculis dimissæ sunt ingredi vias suas, vel nunc quoque adhuc in veteris ignorantie impietate depereunt, nec ulla eis aut Legis aut Evangelii illuminatio coruscavit; cum tamen, in quantum prædicatoribus ostium apertum est & via facta est, gentium populus qui sedebat in tenebris & in umbra mortis, lucem viderit magnam; & qui quondam non populus, nunc autem populus Dei sit; & quorum aliquando non misertus est, nunc autem misereatur: prævisos inquam à Domino credituros, & ad unamquamque gentem ita dispensata tempora ac ministeria magistrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum. Nec vacillare illud, quod Deus omnes homines velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; quandoquidem inexcusabiles sint, qui & ad unius veri Dei cultum potuerint instrui intelligentia naturali, & Evangelium ideo non audierint, quia nec fuerint recepturi.

6. Pro universo autem humano genere mortuum esse Dominum nostrum Jesum Christum, & neminem prorsus à redemptione sanguinis ejus exceptum, etiamsi omnem hanc vitam alienissima ab eo mente pertranseat; quia ad omnes homines pertineat divinæ misericordiæ sacramentum: quo ideo plurimi non renoventur, quia quod nec renovari velle habeant prænoscantur. Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus pa-

Act. 14. 15.

Isaie 9. 2.
Matth. 4.
16.Osae 2. 24.
Rom. 9. 25.

1. Tim. 2.

4.

ratam vitam eternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. In istam verò talis gratiæ prædicationem hi, quorum contradictione offendimur, cum prius meliora sentirent, ideo se vel maxime contulerunt, quia si profiterentur ab ea omnia bona merita præveniri, & ab ipsa ut possint esse donari, necessitate concederent Deum secundum propositum & consilium voluntatis suæ, occulto iudicio & opere manifesto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam; quia nemo nisi per gratiam justificetur, & nemo nisi in prævaricatione nascatur. Sed refugiunt istud fateri, divinoque adscribere operi sanctorum merita formidant: nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum nec augeri posse, nec minui; ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant, ac superflua sit industriæ ac laboris indictio, cuius studium cessante electione frustrandum sit. Ita demum enim posse unumquemque ad correctionem aut ad profectum vocari, si se sciat sua diligentia bonum esse posse, & libertatem suam ob hoc Dei auxilio iuvandam, si quod Deus mandat elegerit. Ac sic cum in his, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia; priorem volunt obedientiam esse quàm gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare qui salvat; & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.

Quod

Rom 9. 21.

7. Quod cum perversissimum esse revelante Dei misericordia & instruyente nos tua beatitudine noverimus; possumus quidem ad non credendum esse constantes, sed ad auctoritatem talia sentientium non sumus parës: quia multum nos & vitæ meritibus antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper a summo sacerdotii honore supereminenti nec facile quisquam, præter paucos perfectæ gratiæ intrepidus amatores, tantò superiorum disputationibus ausus est contrariare. Ex quo non solum his qui eos audiunt, verum etiam ipsis qui audiuntur, cum dignitatibus crevit periculum; dum & multos reverentia eorum aut inutili cohibet silentio, aut incurioso ducit assensu; & saluberrimum ipsis videtur, quod penè nullius contradictione reprehenditur. Unde quia in istis pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentæ fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocatur; si divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, ut ideo quis adjuvetur quia voluit, non ideo quia adjuvatur velit; si originaliter malus receptionem boni non à summo bono, sed à semetipso inchoare malè creditur; si aliunde Deo placetur, nisi ex eo quod ipse donaverit: tribue nobis in hac causa, papa beatissime, pater optime, quantum juvante Domino potes, diligentiam pietatis tuæ, ut quæ in istis questionibus obscuriora & ad percipiendum difficiliora sunt, quàm lucidissimis expositionibus digneris aperire.

8. Ac primum, quia plerique non putant

Reliquiæ
istæ pelagianæ hæreseos
quàm perniciosæ.

2. In MSS. summi.

tant christianam fidem hac dissensione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione patefacias. Deinde quomodo per istam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. Tum utrum præscientia Dei ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præcita; an per genera caussarum & species personarum ista varientur; ut quia diversæ sunt vocationes, in his qui nihil operaturi salvantur, quasi solum Dei propositum videatur existere; in his autem qui aliquid boni acturi sunt, per præscientiam possit stare propositum; an verò uniformiter, licet dividi præscientia à proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine sit subnixta proposito; & sicut nihil sit quorumcumque negotiorum, quod non scientia divina prævenerit; ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo auctore defluerit. Postremò quemadmodum per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles sunt qui præordinati sunt ad vitam æternam, nemo eorum qui cohortandi sunt impediatur, nec occasionem negligentiae habeant, si se prædestinatos esse desperent. Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus, patienter insipientiam nostram ferendo demones, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset volun-

luntate & actione præscierit.

9. Quibus omnibus enodatis, & multis insuper, quæ altiore intuitu ad causam hanc pertinentia magis potes videre, discussis, credimus & speramus, non solum tenuitatem nostram disputationum tuarum præsidio roborandam, sed etiam ipsos, quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, defæcatissimum lumen gratiæ recepturos. Nam unum eorum præcipuæ auctoritatis & spiritualium studiorum virum, sanctum & Hilarium arelatensem episcopum, sciat beatitudo tua admirabilem sectatoremque in aliis omnibus tuæ esse doctrinæ; & de hoc quod in querelam trahit, jam pridem apud sanctitatem tuam sensum suum per litteras velle conferre. Sed quia utrum hoc facturum, aut quo fine sit facturum, incertum est, & omnium nostrum fatigatio, providente hoc præsentis sæculo Dei gratia, in tuæ caritatis & scientiæ vigore^b respirat; adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis. Necessarium & utile est etiam quæ scripta sunt scribere, ne leve existimetur quod non frequenter arguitur. Sanum enim putant esse quod non^c dolet, nec vulnus superducta

^a Pro Hilario, putabant eruditi quidam legendum esse Honoratum: sed inspecti à nobis MSS. Hilarius omnes ferunt. Hilarius porrò iste ex Lerinensi monacho creatus fuit arelatensis episcopus post Honoratum, anno 428. aut 429. ineunte denatum. Quippe Honoratus suffectus Patroclò, qui anno 426. juxta Prosperi Chronicum interfectus est, cathedram arelatensem, teste Honorato Massiliensi in vita Hilarii arelatensis, per biennium occupavit.

^b In editis, sperat.

^c In MSS. quod non dolent, nec vulnus superductum cute sentiunt.

cute sentiunt : sed intelligant peruenturum ad sectionem , quod habuerit perseverantem tumorem. Gratia Dei & pax Domini nostri Jesu Christi coronet te in omni tempore , & ambulantem de virtute in virtute glorificet in æternum , Domine papa beatissime ineffabiliter mirabilis , incomparabiliter honorande , præstantissime patrone.



HILARII AD AUGUSTINUM
de eodem argumento,

EPISTOLA INTER AUGUSTINIANAS CCXXVI.

Domino beatissimo , ac toto affectu desiderando , & multum in Christo suscipiendo patri AUGUSTINO , a HILARIUS.

1. *SI* cessantibus contradicentium questionibus grata sunt plerumque studiosorum inquisitiones , ut etiam illa , quæ absque periculo ignorarentur , ediscant ; arbitrariorem fore sedulitatem nostræ relationis , quæ dum indicat secundum quorundam

a Hic profectò ab Hilario arelanensi , qui Augustini de prædestinatione sententiam , sicuti Prosper in superiore epistola scribit , in querelam traherat , distinguit se ipse infra n. 10. hisce verbis : *Nolo autem sanctitas tua sine arbitretur hæc scribere , quasi de his quæ nunc edidisti ego dubitem.* Significat præterea ibidem , se ipsius præsentis delictis aliquando potitum , uberibusque salubribus nutritum fuisse. Deinde se laicum esse n. 9. indicat ; ac postremò Augustinum appellat patrem , ab ipsoque vicissim in subsequente libro de Prædestinatione sanctorum cap. 1. filius nuncupatur : quæ sane in arelatensem episcopum minimalè conveniunt.

dam prosecutiones quædam adversantia veritati , non tam sibi quàm illis qui turbantur & turbant , per consilium sanctitatis tuæ satagit provideri , Domine beatissime , ac toto affectu desiderande , & multum in Christo suscipiende pater.

2. *Hæc sunt itaque quæ Massiliæ , vel aliis etiam locis in Gallia ventilantur. Novum & inutile esse prædicationi , quòd quidam secundum propositum eligendi dicantur , ut id nec arripere valeant , nec tenere , nisi credendi voluntate donata. Excludi putant omnem prædicandi vigorem , si nihil quod per eum excitetur , in hominibus remansisse dicatur. Consentiant omnem hominem in Adam periisse , nec inde quemquam posse proprio arbitrio liberari. Sed id conveniens asserunt veritati , vel congruum prædicationi , ut cum prostratis , & nunquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salutis occasio ; eo merito quo voluerint & crediderint , à suo morbo se posse sanari , & ipsius fidei augmentum , & totius sanitatis suæ consequantur effectum. Ceterum ad nullum opus vel incipiendum , nedum perficiendum , quemquam sibi sufficere posse consentiunt : neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant , exterrita & supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari. Quod enim dicitur : Crede , & salvus eris ; unum horum exigi asserunt , aliud offerri ; ut propter id quod exigitur si redditum fuerit , id quod offertur deinceps tribuatur. Unde consequens putant , exhibendam ab eo fidem , cujus naturæ id voluntate Conditoris , concessum est ; & nullam ita deprava-*

Massiliensium & aliorum quorundam in Gallis de prædestinatione sententia.

Ⓡ

cute sentiunt : sed intelligant peruenturum ad sectionem , quod habuerit perseverantem tumorem. Gratia Dei & pax Domini nostri Jesu Christi coronet te in omni tempore , & ambulantem de virtute in virtute glorificet in æternum , Domine papa beatissime ineffabiliter mirabilis , incomparabiliter honorande , præstantissime patrone.

HILARII AD AUGUSTINUM
de eodem argumento,

EPISTOLA INTER AUGUSTINIANAS CCXXVI.

Domino beatissimo , ac toto affectu desiderando , & multum in Christo suscipiendo patri AUGUSTINO , a HILARIUS.

1. *SI* cessantibus contradicentium questionibus grata sunt plerumque studiosorum inquisitiones , ut etiam illa , quæ absque periculo ignorarentur , ediscant ; arbitrariorem fore sedulitatem nostræ relationis , quæ dum indicat secundum quorundam

a Hic profectò ab Hilario arelanensi , qui Augustini de prædestinatione sententiam , sicuti Prosper in superiore epistola scribit , in querelam traherat , distinguit se ipse infra n. 10. hisce verbis : Nolo autem sanctitas tua sic me arbitretur hæc scribere , quasi de his quæ nunc edidisti ego dubitem. Significat præterea ibidem , se ipsius præsentis delictis aliquando potitum , uberibusque salubribus nutritum fuisse. Deinde se laicum esse n. 9. indicat ; ac postremò Augustinum appellat patrem , ab ipsoque vicissim in subsequente libro de Prædestinatione sanctorum cap. 1. filius nuncupatur : quæ sane in arelatensem episcopum minimalè conveniunt.

dam prosecutiones quædam adversantia veritati , non tam sibi quàm illis qui turbantur & turbant , per consilium sanctitatis tuæ satagit provideri , Domine beatissime , ac toto affectu desiderande , & multum in Christo suscipiende pater.

2. *Hæc sunt itaque quæ Massiliæ , vel aliis etiam locis in Gallia ventilantur. Novum & inutile esse prædicationi , quòd quidam secundum propositum eligendi dicantur , ut id nec arripere valeant , nec tenere , nisi credendi voluntate donata. Excludi putant omnem prædicandi vigorem , si nihil quod per eum excitetur , in hominibus remansisse dicatur. Consentiant omnem hominem in Adam periisse , nec inde quemquam posse proprio arbitrio liberari. Sed id conveniens asserunt veritati , vel congruum prædicationi , ut cum prostratis , & nunquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salutis occasio ; eo merito quo voluerint & crediderint , à suo morbo se posse sanari , & ipsius fidei augmentum , & totius sanitatis suæ consequantur effectum. Ceterum ad nullum opus vel incipiendum , nedum perficiendum , quemquam sibi sufficere posse consentiunt : neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant , exterrita & supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari. Quod enim dicitur : Crede , & salvus eris ; unum horum exigi asserunt , aliud offerri ; ut propter id quod exigitur si redditum fuerit , id quod offertur deinceps tribuatur. Unde consequens putant , exhibendam ab eo fidem , cujus naturæ id voluntate Conditoris , concessum est ; & nullam ita deprava-*

Massiliensium & aliorum quorundam in Gallis de prædestinatione sententia.

vatum vel extinctam putant, ut non debeat vel possit se velle sanari; propter quod, vel sanetur quis à sua, vel si noluerit, cum sua ægriudine puniatur. Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat; non autem quidquam ipsa jam valeat. Nam illa *Rom. 12.3.* testimonia, ut est illud: Sicut unicuique partitus est mensuram fidei, & similia, ad id volunt valere, ut iuuetur qui cæperit velle; non ut etiam donetur ut velit, reiectis ab hoc dono aliis pariter reis, & qui possent similiter liberari, si ea, quæ pariter indignis præstatur credendi voluntas, etiam ipsis similiter præstaretur. Si autem, ajunt, dicatur vel talem omnibus remansisse, quæ vel contemnere quis valeat, vel obedire; de compendio putant rationem reddi electorum vel rejectorum, in eo quod unicuique meritum propriæ voluntatis adiungitur.

3. Cum autem dicitur eis, quare aliis vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, vel nunc prædicetur quod aliquando penè omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit: dicunt id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore, & ibi & illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur, quando & ubi prænoscebatur esse credenda. Et hoc non solum aliorum catholicorum testimoniis, sed etiam sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur; ubi tamen eandem gratiam non minore veritatis perspicuitate docueris: ut est illud quod dixit sanctitas tua * in quæstione contra Porphyrium, de Tempore christiænæ religionis: Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quam-

* Epist.
102. quæst.
2. n. 14.

quando sciebat & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. Vel illud de libro in epistolam ad Romanos: Dicis itaque mihi: Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus quis resistit? Cui sanè inquisitioni, inquis, sic respondet, ut intelligamus spiritualibus viris, etiam non secundum terrenum hominem viventibus, patere posse prima merita fidei & impietatis, quomodo Deus præscientia eligit credituros, & damnet incredulos; nec illos ex operibus eligens, nec istos ex operibus damnans; sed & illorum fidei præstans ut bene operentur, & istorum impietatem deserendo obdurans ut malè operentur. Et iterum in eodem libro superius: Æquales omnes sunt ante meritum, nec potest in rebus omni modo æqualibus electio nominari. Sed quoniam Spiritus sanctus non datur nisi creditibus; non quidem Deus eligit opera quæ ipse largitur, cum dat Spiritum sanctum, ut per caritatem bona operemur: sed tamen eligit fidem, quia nisi quisque credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id est, Spiritum sanctum, per quem infusa caritate bonum possit operari. Non ergo eligit opera cujusquam in præscientia, quæ ipse donaturus est; sed fidem eligit in præscientia; ut quem crediturum esse præscivit, ipsum eligeret, cui Spiritum sanctum daret, ut bona operando etiam æternam vitam consequeretur. Dicit enim Apostolus: Idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Nusquam autem dictum est: Deus credit omnia in omnibus. Quod enim credimus, nostrum est: quod autem operamur, illius. Et cetera in eodem opere; quæ se acceptare & probare testantur, tamquam convenientia evangelicæ veritati.

Rom. 9. 19.

In expositione
quarundam
propositionum
epistolæ ad Romanos.
propos. 62.

Prop. 60.

1. Cor. 12. 6.

Ce-

4. Ceterum præscientiam, & prædestinationem, vel propositum, ad id valere contendunt, ut eos præscierit, vel prædestinaverit, vel proposuerit eligere, qui fuerant credituri. Nec de hac fide posse dici:

I. Cor. 4. 7. Eorumdem de perseverantia dono contra Augustinum sententia.

Quid habes quod non accepisti? Cum in eadem natura remanserit, licet vitata, quæ prius sana ac perfecta donata sit. Quod autem dicit sanctitas tua, neminem perseverare, nisi perseverandi virtute percepta; hæcenus accipiunt, ut quibus datur, inertis licet, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur: quod ad hoc tantum liberum asserunt, ut velit vel nolit admittere medicinam. Ceterum & ipsi abominari se & damnare testantur, si quis quidquam virium in aliquo remansisse, quo ad sanitatem progredi possit, existimet. Nolunt autem ita hanc perseverantiam prædicari, ut non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt; ubi eis, quantum putant, ad obtinendum vel amittendum, evidens est quaecumque initium voluntatis. Illud etiam

Sup. 4. II.

testimonium quod posuisti: Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus; tanquam non canonicum definiunt omittendum. Unde illam præscientiam sic accipiunt, ut propter fidem futuram intelligendi sint præsciti: nec cuiquam talem dari perseverantiam, à qua non permittatur prævaricari; sed à qua possit sua voluntate deficere & infirmari.

As-

a Id vetus codex Corb. ad sequentem sententiam sic revocat: Et infirmari asserunt tam utilem exhortandi consuetudinem.

5. Asserunt tum inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correptio valeat excitare: quod quidem inesse naturæ sic se dicere consentitur, ut hoc ipso quod ignorantis veritas prædicatur, ad beneficium præsentis gratiæ referendum sit. Nam si sic prædestinati sunt, inquirunt, ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quò pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia? si non ab homine, etsi non fides integra, saltem vel dolor compunctæ infirmitatis exoritur, aut periculum demonstratæ mortis horretur? Nam si non potest timere quis, unde terretur, nisi ea voluntate quæ sumitur, non ex eo culpandus quod nunc non vult; sed in eo & cum ea, qui sic aliquando noluit, ut eam damnationem cum suis posteris mereretur incurrere, ut nunquam recta, semper autem prava vellet appetere. Si autem est qualiscumque dolor qui ad exhortationem corripientis oriatur; hanc ipsam dicunt causam, propter quam vel rejiciatur alius, vel alius assumatur: atque ita non opus esse partes constitui, quibus nec adjiciendum sit aliquid, nec detrahendum.

6. Deinde molestè ferunt, ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur; ut ille acceperit perseverantiam, non qua fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc verò sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adiutorium perseverantiæ detur; sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, ve-

Sup. lib. de correptione & gratia, cap. II. & 12.

rùm etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint. His verbis sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quamdam desperationem hominibus exhiberi. Si enim, ajunt, ita Adam adjutus est, ut & stare posset in justitia, & à justitia declinare; & nunc ita sancti juvantur, ut declinare non possint, siquidem eam acceperunt volendi perseverantiam, ut aliud velle non possint; vel sic quidam deseruntur, ut aut nec accedant, aut si accesserint, & recedant: ad illam voluntatem pertinuisse dicunt exhortationis vel comminationis utilitatem, quæ & persistendi & desistendi obtinebat liberam potestatem; non ad hanc, cui nolle justitiam inevitabili necessitate conjunctum est; præter illos, qui sic concreati sunt his, qui cum universa massa damnati sunt, ut exciperentur per gratiam liberandi. Unde in hoc solo volunt à primo homine omnium distare naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat: hos autem amissis & perditis viribus credentes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes. Ceterum quidquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse & amitti & retineri propria voluntate contendunt. Quod tunc falsum esset, si verum putarent eam quosdam perseverantiam percepisse, ut nisi perseverantes esse non possent.

Ibid. cap.
13. & cap.
14.

7. Inde est quod & illud pariter non accipiunt, ut eligendorum rejiciendorumque esse definitum numerum^a velint: atque illius sententiæ expositionem, non eam quæ

^a Plures MSS. nolint.

à te est deprompta suscipiant, id est, ut ^{1.Tim.2.4.} nonnisi omnes homines salvos fieri velit, & non eos tantum qui ad sanctorum numerum pertinebunt; sed omnes omnino, ut nullus habeatur exceptus. Nec hoc timendum, quòd quidam eo invito perire dicantur: sed quomodo, ajunt, non vult à quocumque peccari vel deseri justitiam, & tamen jugiter illa deseritur contra ejus voluntatem, committunturque peccata; ita eum salvari velle omnes homines, nec tamen omnes homines^a salvari. Testimonia etiam Scripturæ quæ de Saule vel de David posuisti, non pertinere putant ad questionem, quæ de exhortatione versatur. Alia autem ad id referunt, ut ex his eam gratiam accipiant commendari, qua unusquisque post voluntatem juvatur; vel ad ipsam vocationem, quæ præstatur indignis. Hoc enim & illis locis tuorum opusculorum, & aliorum, quæ persequi longum est, se demonstrare testantur.

^a
1. Reg. 10.
25.
1. Par. 12.
18.

8. Parvulorum autem causam ad exemplum majorum non patiuntur adferri. Quam & tuam sanctitatem dicunt eatenus adtingisse, ut incertum esse volueris, ac potius de eorum pœnis malueris dubitari. Quod ^{Cap. 23.} in libro tertio de libero arbitrio ita positum meministi, ut hanc eis occasionem potuerit exhibere. Hoc etiam de aliorum libris, quorum est in Ecclesia auctoritas, faciunt: quod [®] perspicit sanctitas tua non parum posse juvare contradictores, nisi majora, aut certè vel paria proferantur à nobis. Non enim ignorat prudentissima pietas tua, quanto

AA 2

^a Aliquot MSS. velle salvari.

plures sint in Ecclesia, qui auctoritate nominum in sententia teneantur, aut à sententia transferantur. Ad summam, fatigatis omnibus nobis, ad id prosecutio eorum, vel potius querela convertitur, consentientibus etiam his, qui hanc definitionem improbare non audent, ut dicant: Quid opus fuit hujuscemodi disputationis incerto tot minus intelligentium corda turbari? Neque enim minus utiliter sine hac definitione, ajunt, tot annis, à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris & tuis & aliorum, cum contra alios, tum maxime contra pelagianos, catholicam fidem fuisse defensam.

9. Hæc, mi Pater, & alia interminabiliter plura, ut summa mea vota confitear, per me deferre maluissem; vel, quia hoc non merui, saltem prolixiore tempore omnia, quibus moventur, collecta dirigere; ut quidquid de hac re contradicitur, quatenus refelli, vel, si id non potest, tolerari deberet, audirem: sed quia neutrum ex voto provenit, malui, quomodo potui, hæc comprehensa dirigere, quam penitus de tanta quorundam contradictione reticere. Sunt ex parte tales personæ, ut his consuetudine ecclesiastica laicos summam reverentiam necesse sit exhibere. Quod quidem ita curavimus Deo juvante servare, ut cum opus fuit, non taceremus, quæ ad quæstionis hujus assertionem exiguitas nostrarum virium suggererat. Sed nunc summam, quantum festinatio perlatoris admisit, hæc velut commonendo suggesti. Tuæ sanctæ prudentiæ est dispicere quid facto opus sit, ut talium & tantorum superetur vel temperetur intentio. Cui ego jam parum prodesse existi-

mo

mo te reddere rationem, nisi & addatur auctoritas, quam transgredi infatigabiliter contentiosa corda non possint. Sed planè illud tacere non debeo, quod se dicant tuam sanctitatem, hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari. Tuum erit decernere, quomodo sit in hoc eorum contradictio toleranda. Nec mireris quod aliter, vel aliqua in hac epistola addidi, quantum puto, quæ in superiore non dixeram: talis est enim nunc eorum definitio, præter illa quæ per festinationem aut oblivionem fortasse præterii.

10. Libros, * cum editi fuerint, quos de universo opere tuo moliris, quæso habere mereamur: maxime ut per eorum auctoritatem, si qua tibi in tuis displicent, à dignitate tui nominis jam non trepidi sequestremus. Librum etiam de Gratia & Libero arbitrio non habemus: superest ut eum, quia utilem quæstioni confidimus, mereamur accipere. Nolo autem sanctitas tua sic me arbitretur hæc scribere, quasi de iis quæ nunc edidisti, ego dubitem. Sufficiat mihi pœna mea, quod à præsentia tuæ deliciis exsulatus, * ubi salubribus tuis uberibus nutrebar, non solum absentia tua crucior, verum etiam pervercatia quorundam, qui non tantum manifesta respuunt, sed etiam non intellecta reprehendunt. Ceterum hac suspitione in tantum careo, ut potius infirmitatem meam, qua tales parum patienter fero, notabilem putem. Qualiter autem ad hæc consulendum judices, ut dixi, tuæ sapientiæ derelinquo. Nam ad me hoc pertinere credidi, pro ea quam Christo vel tibi debeo caritate, ut quæ in quæstionem veniunt non tacerem. Quidquid pro ea gratia, quam in te pusilli cum magnis miramur, vo-

AA 3

lue-

* Retractionum libros intelligit.

* Hilarius Augustini se fuisse discipulum indicat.

lueris aut valueris, gratissimè accipiemus, tamquam à nobis carissima & reverentissima auctoritate decretum. Sanè quia urgente perlatore, timui ne vel non omnia, vel hæc ipsa minus dignè, conscius mearum virium, possem dirigere; egi cum * viro, tum moribus tum eloquio & studio claro, ut quanta posset collecta suis litteris intimaret: quas conjunctas his destinare curavi. Est enim talis qui etiam præter hanc necessitatem, dignus tuæ sanctitatis notitia judicetur. Sanctus Leontius diaconus cultor tuus; cum meis parentibus multum te salutat. Memorem mei paternitatem tuam Dominus Christus Ecclesie suæ annis pluribus donare dignetur, domine Pater. Et infra: Sciat sanctitas tua, fratrem meum, cujus maxime causa hinc discessimus, cum matrona sua ex consensu perfectam Deo continentiam devovisse. Unde rogamus sanctitatem tuam, ut orare digneris, quo hoc ipsum in eis Dominus confirmare & custodire dignetur.

* Prosperum intelligere videtur, cuius præcedit epistola.

Continentiæ perpetuæ votum mutuo inter conjugatos consensu initum.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE PRÆDESTINATIONE
SANCTORUM
LIBER AD PROSPERUM
ET HILARIUM * PRIMUS.

In quo Prædestinationis & Gratiæ veritas propugnatur contra Semipelagianos, homines videlicet à pelagiana heresi omnino nequam recedentes, dum salutis initium ac fidei ex nobis ipsis esse volunt, ut hoc tamquam merito præcedente cetera bona donum Dei esse, non solum incrementum, sed ipsum quoque initium fidei. Hac de re se aliter sensisse aliquando, & in opusculis ante suum episcopatum scriptis errasse non diffitetur, velut in illa quam objectant, Expositione propositionum ex epistola ad Romanos. At postea convictum se indicat hoc præcipue testimonio: Quid autem habes, quod non accepisti? Quod testimonium de ipsa etiam fide accipiendum probat. Fidem inter alia numerandam esse opera, quibus Dei gratiam præveniri negat Apostolus, cum dicit: Non ex operibus. Gratia duritiam cordis auferri; & ad Christum venire omnes qui à Patre docentur ut veniant: quos autem docet, misericordia docere; & quos

* Scriptus post Retractationum libros, an. Christi 428. aut 429.

lueris aut valueris, gratissimè accipiemus, tamquam à nobis carissima & reverentissima auctoritate decretum. Sanè quia urgente perlatore, timui ne vel non omnia, vel hæc ipsa minus dignè, conscius mearum virium, possem dirigere; egi cum * viro, tum moribus tum eloquio & studio claro, ut quanta posset collecta suis litteris intimaret: quas conjunctas his destinare curavi. Est enim talis qui etiam præter hanc necessitatem, dignus tuæ sanctitatis notitia judicetur. Sanctus Leontius diaconus cultor tuus; cum meis parentibus multum te salutat. Memorem mei paternitatem tuam Dominus Christus Ecclesie suæ annis pluribus donare dignetur, domine Pater. Et infra: Sciat sanctitas tua, fratrem meum, cujus maxime causa hinc discessimus, cum matrona sua ex consensu perfectam Deo continentiam devovisse. Unde rogamus sanctitatem tuam, ut orare digneris, quo hoc ipsum in eis Dominus confirmare & custodire dignetur.

* Prosperum intelligere videtur, cuius præcedit epistola.

Continentiæ perpetuæ votum mutuo inter conjugatos consensu initum.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE PRÆDESTINATIONE
SANCTORUM
LIBER AD PROSPERUM
ET HILARIUM * PRIMUS.

In quo Prædestinationis & Gratiæ veritas propugnatur contra Semipelagianos, homines videlicet à pelagiana heresi omnino nequam recedentes, dum salutis initium ac fidei ex nobis ipsis esse volunt, ut hoc tamquam merito præcedente cetera bona donum Dei esse, non solum incrementum, sed ipsum quoque initium fidei. Hac de re se aliter sensisse aliquando, & in opusculis ante suum episcopatum scriptis errasse non diffitetur, velut in illa quam objectant, Expositione propositionum ex epistola ad Romanos. At postea convictum se indicat hoc præcipue testimonio: Quid autem habes, quod non accepisti? Quod testimonium de ipsa etiam fide accipiendum probat. Fidem inter alia numerandam esse opera, quibus Dei gratiam præveniri negat Apostolus, cum dicit: Non ex operibus. Gratia duritiam cordis auferri; & ad Christum venire omnes qui à Patre docentur ut veniant: quos autem docet, misericordia docere; & quos

* Scriptus post Retractationum libros, an. Christi 428. aut 429.

non docet, iudicio non docere. Locum ex ipsius epistola 102. quæst. 2. de Tempore christiana religionis, qui à Semipelagianis allegatur, posse rectè salva gratiæ ac prædestinationis doctrina explicari. Docet quid inter gratiam intersit & prædestinationem. Porro prædestinatione Deum ea præscivisse, quæ fuerat ipse factururus. Prædestinationis adversarios, qui ad incertum voluntatis Dei deduci se nolle dicuntur, miratur malle se ipsos infirmitati suæ, quam firmitati promissionis Dei committere. Eodem hac auctoritate: Si credideris, salvus eris, abuti commonstrat. Gratiæ ac Prædestinationis veritatem relucere in parvulis qui salvantur, nullis suis meritis discreti à ceteris qui pereunt. Non enim inter eos discerni ex præscientia meritorum, quæ si diutius viverent fuerant habituri. Ab adversariis illud injuria tamquam non canonicum testimonium respui, quod in eam rem adtulit: Raptus est ne malitia &c. Præclarissimum exemplum Prædestinationis & Gratiæ esse ipsum Salvatorem, qui ut Salvator & Filius Dei unigenitus esset, nullis præcedentibus vel operum vel fidei meritis comparavit. Prædestinatos vocari certa quadam electorum propria vocatione; atque ante mundi constitutionem electos esse, non quia credituri præsciebantur & futuri sancti, sed ut tales essent per ipsam electionem gratiæ, &c.

CAPUT I. I. DIXISSE quidem Apostolum scimus Phil. 3. I. in epistola ad Philippenses: Eadem scribere vobis, mihi quidem non pigrum, vobis autem tutum est. Idem tamen scribens ad
Ga-

Galatas, cum se satis apud eos egisse perspiceret, quod illis per ministerium sermonis sui necessarium esse cernebat: De cetero, inquit, laborem mihi nemo præstet; vel, sicut in plerisque codicibus legitur, nemo mihi molestus sit. Ego autem quàmvis me molestè ferre confitear, quòd divinis eloquiis quibus Dei gratia prædicatur (quæ omnino nulla est, si secundum merita nostra datur) tam multis manifestisque non ceditur: vestrum tamen studium fraternamque dilectionem, filii carissimi, Prosper & Hilari, qua eos qui tales sunt, ita non vultis errare, ut post tot libros de hac re vel epistolas meas, adhuc me desideretis hinc scribere, tantum amo, quantum non possum dicere; & tantum me amare, quantum debeo, non audeo dicere. Quapropter ecce rescribo vobis, & licèt jam non vobiscum, tamen etiam per vos adhuc ago, quod me satis egisse credebam.

2. Consideratis enim litteris vestris videre mihi videor eos fratres, pro quibus geritis piam curam (ne teneant poëticam sententiam, qua dictum est, Spes sibi quisque: & in illud incurrant quod non poëticè, sed propheticè dictum est: *Maledictus omnis qui spem habet in homine*) eo modo esse tractandos, quo tractavit Apostolus, quibus ait: *Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit.* Adhuc quippe in quæstione caligant de Prædestinatione sanctorum: sed habent unde si quid aliter in ea sapiunt, hoc quoque illis revelet Deus, si in eo ambulent in quod pervenerunt. Propter quod Apostolus cum dixisset: *Si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit: verumtamen, inquit, in quod pervenimus, in eo ambulamus.*

Gal. 6. 17.

Virg. lib. 2.

Æneid.

Jer. 17. 5.

Phil. 3. 15.

Ibid. 16.

Quatenus à Pelagianis recesserint Massilienses. *mus.* Pervenerunt autem isti fratres nostri, pro quibus sollicita est pia caritas vestra, ut credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo nisi per justitiam secundi hominis aliquem liberari. Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. Retenta ergo ista in quæ pervenerunt, plurimum eos à pelagianorum errore discernunt. Proinde si in eis ambulent, & orent eum qui dat intellectum, si quid de prædestinatione aliter sapiunt, ipse illis hoc quoque revelabit: tamen etiam nos impendamus eis dilectionis affectum ministeriumque sermonis, sicut donat ille quem rogavimus, ut in his litteris ea quæ illis essent apta & utilia diceremus. Unde enim scimus ne forte Deus noster id per hanc nostram velit efficere servitute, quæ eis in Christi libera caritate servimus?

3. PRIUS itaque fidem, qua christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere: si tamen diligentius id facere possumus, quam in voluminibus tot tantisque jam fecimus. Sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo: tamquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantum augeatur in nobis, eo merito, quo coepit à

a MSS. Gallicani & Vaticani, *aperta.*

b Am. Er. & MSS. tamen. Lovanienses ex conjectura correxerant, *tantum*

c Sex MSS. *quoniam coepit à nobis.*

V. supra Hilarii epist. 226. n. 2.

nobis. Non ergo receditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in episcopali judicio palæstino, sicut eadem Gesta * testantur, damnare compulsus est: *Gratiam Dei secundum merita nostra dari*; si non pertinet ad Dei gratiam quod credere coepimus, sed illud potius quod propter hoc nobis additur, ut plenius perfectiusque credamus: ac per hoc, initium fidei nostræ priores damus Deo, ut retribuatur nobis & supplementum ejus; & si quid aliud fideliter poscimus.

4. Sed contra hæc cur non potius audimus: *Quis prior dedit ei, & retribuetur illi? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Et ipsum igitur initium fidei nostræ, ex quo, nisi ex ipso est? Neque enim hoc excepto ex ipso sunt cetera; sed *ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Quis autem dicat eum qui jam coepit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri? Unde fit, ut jam merenti cetera dicantur addi retributione divina; ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari: quod objectum sibi Pelagius, ne damnaretur, ipse damnavit. Quisquis igitur hanc damnabilem vult ex omni parte vitare sententiam, veraciter intelligat dictum, quod Apostolus ait: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo.* Utrumque a ostendit Dei donum, quia utrumque dixit esse donatum. Nec ait, ut plenius & perfectius credatis in eum; sed, *ut credatis in eum.* Nec se ipsum misericordiam consecutum dixit, ut fidelior, sed

* Lib. de Gestis Pelagii cap. 14.

Rom. II. 35.

Phil. I. 29.

a Lov. *utrumque enim. Abest enim ab aliis libris.*

1. Cor. 7. 25. ut fidelis esset: quia sciebat non se initium fidei suæ priorem dedisse Deo, & retributum sibi ab illo ejus augmentum; sed ab eo se factum fidelem, à quo & Apostolus factus est. Nam scripta sunt etiam fidei ejus initia, suntque ecclesiastica ^a celebri lectione notissima. Aversus quippe à fide quam vastabat, eique vehementer adversus, repente est ad illam gratia potentior conversus: convertente illo cui hoc ipsum facturo per ^b Prophetam dictum est: *Tu convertens vivificabis nos*; ut non solum ex nolente fieret volens credere; verum etiam ex persecutore persecutionem in ejus fidei, quam persequabatur, defensione pateretur. Donatum quippe illi erat à Christo, non solum ut crederet in eum, verum etiam ut pateretur pro eo.

5. Et ideo commendans istam gratiam, quæ non datur secundum aliqua merita, sed efficit omnia bona merita: *Non quia idonei sumus, inquit, cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Adtendant hæc, & verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei coeptum, & ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat, prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerrimè credendi

VO-

^a Noalliensis cod. celebrata. Alii MSS. cum editis, celebri. Lectionem Actuum Apostolorum in Ecclesia celebrem dicit, quod jam tum usu receptum esset, ut solemniter quotannis repeteretur tempore Paschali. *Actus Apostolorum*, ait in Serm. 315. n. 1. liber est de canone Scripturarum: ipse liber incipit legi à dominico Paschæ, sicut se consuetudo habet Ecclesiæ.

^b Plures MSS. per prophetiam.

voluntatem quædam a cogitationes antevolent, moxque illa ita sequatur, ut quasi conjunctissima comitetur; necesse est tamen ut omnia quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur. Quamquam & ipsum credere, nihil aliud est, quam cum assensione cogitare. Non enim omnis qui cogitat, credit; cum ideo cogitent plerique, ne credant: sed cogitat omnis qui credit, & credendo cogitat, & cogitando credit. Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem (de qua loquebatur Apostolus) si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; profectò non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra qua credere incipiamus, ex Deo est. Quocirca sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum; quod jam isti fratres, sicut vestra ^a scripta indicant, verum esse consentiunt; unde in omni opere bono & incipiendo & perficiendo sufficientia nostra ex Deo est: ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est: quoniam fides, si non cogitetur, nulla est; & non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

6. Cavendum est, fratres dilecti à Deo, ne homo se extollat adversus Deum, cum se dicit facere quod promisit Deus. Nonne fides gentium promissa est Abraham, & ille *dans gloriam Deo, plenissimè credidit, quoniam*

^a Plerique ac potiores MSS. *quandam sanctæ cogitationes.*

Crederè, est cum assensione cogitare.

^a Hilar. suprà in epist. 226. n. 2.

Rom. 4. 20. & 21.

niam quod promisit, potens est & facere? Ipse igitur fidem gentium facit, qui potens est facere quod promisit. Porro si operatur Deus fidem nostram, miro modo agens in cordibus nostris ut credamus; numquid metuendum est, ne totum facere non possit; & ideo homo sibi primas ejus vindicat partes, ut novissimas ab illo accipere mereatur? Videte si aliud agitur isto modo, nisi ut gratia Dei secundum merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia jam non sit gratia. Redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis: debetur enim credenti, ut à Domino ipsa fides ejus augeatur, & sit merces fidei coepta fides aucta: nec attenditur, cum hoc dicitur, non secundum gratiam, sed secundum debitum istam mercedem credentibus imputari. Cur autem non totum tribuatur homini, ut qui sibi potuit instituere quod non habebat, ipse quod instituit augeat, omnino non video: nisi quia resisti non potest divinis manifestissimis testimoniis, quibus & fides, unde pietatis exordium sumitur, donum Dei esse monstratur. Quale est illud, quod unicuique Deus partitus est mensuram fidei.

Rom. 11. 6.

Rom. 12. 3.

Eph. 6. 23.

CAP. III.

7. NON sic pius atque humilis doctor ille sapiebat: Cyprianum beatissimum loquor, qui

qui dixit: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Quod ut ostenderet, adhibuit Apostolum testem dicentem: *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quo precipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona quibus temperanter, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo. Neque enim fidem putabam Dei gratia præveniri, ut per illam nobis daretur quod posceremus utiliter; nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis: ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, ante episcopatum meum scripta. In quibus est illud quod commemorastis in litteris * vestris, ubi est expositio quarumdam propositionum ex Epistola quæ est ad Romanos. Denique cum mea cuncta opuscula retractarem, eamque retractationem stilo prosequerem, cujus operis jam duos absolveram libros, antequam scripta vestra prolixiora sumssem, cum ad hunc librum retractandum in primo * volumine pervenissem, sic inde locutus sum. "Item disputans, inquam, quid elegerit Deus in nondum nato, cui dixit servitutum esse majorem; & quid in eodem majore similiter nondum nato reprobaverit: de quibus propter hoc commemoratur, quamvis longè postea prolatum, propheticum testimonium: "Jacob dilexi, Esau autem odio habui; ad hoc perduxit ratiocinationem, ut dice-

Lib. 3. ad
Quirinum
cap. 4.
I. Cor. 4. 7.

Augustinus
fatetur se
non rectè
aliquando
de gratia
Dei sensisse.

* Epist. Hilarii n. 3.

* Retract.
lib. I. c. 23.
n. 3.

Malac. 1.
2.

rem.

rem. Non ergo elegit Deus opera eius-
quam in præscientia, quæ ipse daturus est;
sed fidem elegit in præscientia, ut quem
sibi crediturum esse præscivit, ipsum ^a ele-
gerit, cui Spiritum sanctum daret, ut bona
operando, etiam æternam vitam conseque-
retur. Nondum diligentius quæsieram, nec
adhuc inveneram, qualis sit electio gratiæ:
Rom. II. 5. de qua idem dicit Apostolus: *Reliquiæ*
per electionem gratiæ salvæ factæ sunt.
Quæ utique non est gratia, si eam merita
ulla præcedant: ne jam quod datur, non
secundum gratiam, sed secundum debitum,
reddatur potius meritis, quam donetur. Pro-
inde quod continuo dixi: Dicit enim idem
I. Cor. 12. Apostolus: *Idem Deus qui operatur om-*
nia in omnibus; nusquam autem dictum est,
Deus credit omnia in omnibus: ac deinde
subjunxi: Quod ^b ergo credimus, nostrum
est; quod autem bonum operamur, illius
est qui credentibus dat Spiritum sanctum;
profectò non dicerem, si jam scirem etiam
ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ
dantur in eodem Spiritu. Utrumque ergo
nostrum est, propter arbitrium voluntatis:
& utrumque tamen datum est per spiritum
fidei & caritatis. Neque enim sola caritas,
Eph. 6. 23. sed, sicut scriptum est: *Caritas cum fide*
à Deo Patre & Domino Jesu Christo. Et
quod paulò post dixi: Nostrum est enim
credere & velle; illius autem, dare creden-
tibus & volentibus facultatem bene operan-
di per Spiritum sanctum, per quem cari-
tas diffunditur in cordibus nostris; verum

^a In MSS. *eligeret.*

^b Am. Er. & MSS. *Quod enim credimus.*

est quidem; sed eadem regulâ, & utrum-
que ipsius est, quia ipse præparat volunta-
tem; & utrumque nostram, quia non fit
nisi volentibus nobis. Ac per hoc quod et-
iam postea dixi: Quia neque velle possu-
mus, nisi vocemur; & cum post vocatio-
nem voluerimus, non sufficit voluntas nos-
tra, & cursus noster, nisi Deus & vires
currentibus præbeat, & perducatur quò vo-
cat: ac deinde subjunxi: Manifestum est
ergo, non volentis neque currentis, sed
miserentis Dei esse quòd bene operamur;
omnino verissimum est. Sed parum de ipsa
vocatione disserui, quæ fit secundum pro-
positum Dei: non enim omnium qui vo-
cantur talis est, sed tantum electorum. Ita-
que quod paulò post dixi: Sicut enim in
his quos elegit Deus, non opera, sed fides
inchoat meritum, ut per munus Dei ^a bene
operentur; sic in his quos damnat, infide-
litas & impietas inchoat poenæ meritum, ut
per ipsam poenam etiam malè operentur;
verissimè dixi: sed fidei meritum etiam ip-
sum esse donum Dei, nec putavi quæren-
dum esse, nec dixi. Et alio loco: Cujus
enim miseretur, inquam, facit eum bene
operari; & quem obdurat, relinquit eum
ut ^b malè operetur; sed & illa misericor-
dia præcedenti merito fidei tribuitur, & is-
ta obduratio præcedenti iniquitati. Quod qui-
dem verum est: sed adhuc quærendum erat,
utrum & meritum fidei ^c de misericordia
Tom. IV. BB Dei

^a Hic Am. Er. & plerique MSS. omittunt, *bene.*

^b Am. Er. & plerique MSS. *ut mala operetur.*

^c Sic Vatic. & Gallic. MSS. hoc loco, & lib. I. *Retract.*
c. 23. At editiones Am. & Er. *meritum fidei misericor-*
diam Dei præveniat. Lov. meritum fidei misericordia Dei
præveniat.

1. Cor. 7.
25.

„Dei veniat: id est, utrùm ista misericordia
„ideo tantummodo fiat in homine, quia fide-
„lis est; an etiam facta fuerit, ut fidelis es-
„set. Legimus enim dicente Apostolo: *Mi-
„sericordiam consecutus sum, ut fidelis es-
„sem*; non ait, quia fidelis eram. Fideli er-
„go datur quidem, sed data est etiam ut es-
„set fidelis. Rectissimè itaque alio loco in
„eodem libro dixi: Quoniam si non ex ope-
„ribus, sed misericordia Dei & vocatur ut
„credamus, & credentibus præstat ut bene
„operemur, non est gentibus ista invidenda
„misericordia; quàmvis minùs ibi diligenter de
„illa, quæ per Dei propositum fit, vocatione
„tractaverim.”

CAP. IV.

8. VIDETIS certè quid tunc de fide at-
que operibus sentiebam, quàmvis de com-
mendanda gratia Dei laborarem: in qua sen-
tentia istos fratres nostros esse nunc video;
quia non sicut legere libros meos, ita etiam
in eis curaverunt proficere mecum. Nam si
curassent, invenissent istam quæstionem se-
cundùm veritatem divinarum Scripturarum so-
lutam in primo libro duorum, quos ad bea-
tæ memoriæ Simplicianum scripsi, episcopum
mediolanensis Ecclesiæ, sancti Ambrosii suc-
cessorem, in ipso exordio episcopatus mei.
Nisi fortè non eos noverunt; quòd si ita
est, facite ut noverint. De hoc primo duo-
rum illorum libro in secundo Retractationum
primùm locutus sum, qui sermo meus ita se
habet: “ Librorum, inquam, quos elaboravi
„episcopus, primi duo sunt ad Simplicianum
„Ecclesiæ mediolanensis antistitem, qui bea-
„tissimo succesit Ambrosio, de diversis quæ-
„tionibus: quarum duas ex epistola Pauli
„Apostoli ad Romanos in primum librum
„con-

Simplicia-
nus Ambro-
sii in epis-
copatu me-
diolanensi
succesor.

Lib 2. Re-
tract. c. 1.

„contuli. Harum prior est de eo quod scrip-
„tum est: *Quid ergo dicemus? Lex pec- Rom. 7. 7.
„catum est? Absit*; usque ad illud ubi ait:
„*Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*
„*Gratia Dei per Jesum Christum Domi- Ibid. 24.
„num nostrum.* In qua illa Apostoli verba:
„*Lex spiritalis est, ego autem carnalis Ibid. 14.
„sum*; & cetera, quibus caro contra spi-
„ritum configere ostenditur, eo modo expo-
„sui, tamquam homo describatur adhuc sub
„lege, nondum sub gratia constitutus. Lon-
„gè enim postea, etiam spiritalis hominis (&
„hoc probabiliùs) esse posse illa verba cog-
„novi. Posterior in hoc libro quæstio est ab
„eo loco ubi ait: *Non solum autem, sed & Rom. 9. 10.
„Rebecca ex uno concubitu habens Isaac
„patris nostri*; usque ad illud ubi ait: *Ni- Ibid. 29.
„si Dominus Sabaoth reliquisset nobis se-
„men, sicut Sodoma facti essemus, & si-
„cut Gomorrha similes fuissetus.* In cui-
„jus quæstionis solutione laboratum est qui-
„dem pro libero arbitrio voluntatis humanæ:
„sed vicit Dei gratia; nec nisi ad illud po-
„tuit perveniri, ut liquidissima veritate dixis-
„se intelligatur Apostolus: *Quis enim te
„discernit? Quid autem habes quod non ac-
„cepisti? Si autem & accepisti, quid glo-
„riaris, quasi non acceperis? Quod volens
„etiam martyr Cyprianus ostendere, hoc to-
„tum ipso titulo definivit, dicens: In nullo
„gloriantur, quando nostrum nihil sit.* Ecce
„quare dixi superiùs, hoc apostolico præcipuè
„testimonio etiam me ipsum fuisse convictum,
„cùm de hac re aliter saperem; quam mihi
„Deus in hac quæstione solvenda, cùm ad
„episcopum Simplicianum, sicut dixi, scribe-
„rem,

rem, a revelavit. Hoc igitur Apostoli testimonium, ubi ad reprimendam hominis inflationem dixi: *Quid enim habes quod non accepisti?* non sinit quemquam fidelium dicere: Habeo fidem quam non accepi. Reprimitur omnino his apostolicis verbis tota hujus responsionis elatio. Sed ne hoc quidem potest dici: Quamvis non habeam perfectam fidem, habeo tamen ejus initium, quo in Christum primitus credidi. Quia & hic respondetur: *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriari quasi non acceperis?*

CAPUT V.
Supra in
epist. Hi-
larit, n. 4.
1. Cor. 4. 7.

9. ILLUD verò quod putant: De hac fide ideo non posse dici: *Quid enim habes quod non accepisti; quia in eadem natura remansit, licet vitata, quæ prius sana ac perfecta donata sit;* nihil ad id, quod volunt, valere intelligitur, si cur hoc Apostolus dixerit cogitetur. Agebat enim, ne quisquam gloriaretur in homine (quoniam dissensiones exortæ fuerant inter Corinthios christianos, ita ut unusquisque diceret: *Ego quidem sum Pauli, alius autem, ego Apollo, alius verò, ego Cephæ*) & inde ventum est, ut diceret: *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt tamquam sint, ut quæ sunt evacuet; ut non gloriatur coram Deo omnis caro.* Hic certè contra humanam superbiam satis clara est

a Revelatum id sibi à Deo dicit; quia non ingenio & sagacitati suæ, sed divinæ gratiæ adjutorio tribuendum sentit, quod hoc ipsum de quo aliter sapiebat, considerato aduentiùs Apostoli testimonio tandem intellexerit.

est Apostoli intentio, ne in homine quamquam gloriatur, ac per hoc nec in se ipso. Denique cum dixisset: *Ut non gloriatur coram Deo omnis caro;* ut ostenderet in quo debeat homo gloriari, mox addidit: *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo & justitia, & sanctificatio, & redemptio: ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Inde pervenit ista ejus intentio, ut postea increpans dicat: *Adhuc enim carnales estis: cum enim sint inter vos æmulatio & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli, alius autem, ego Apollo; nonne homines estis? Quid ergo est Apollo, quid autem Paulus? Ministri per quos credidistis: & unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus. Videtisne nihil agere Apostolum, nisi ut humilietur homo, & exaltetur Deus solus? Quandoquidem in eis qui plantantur & rigantur, nec ipsum plantatorem & rigatorem dicit esse aliquid, sed qui incrementum dat, Deum: quamvis & hoc ipsum quod ille plantat, hic rigat, non ipsis, sed Domino tribuat, dicens: *Unicuique sicut Dominus dedit, ego plantavi, Apollo rigavit.* Hinc ergo in eadem intentione persistens, ad hoc venit ut diceret: *Itaque nemo gloriatur in homine.* Jam enim dixerat: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Post hæc & alia nonnulla quæ his connectuntur, ad hoc perducitur eadem ipsa ejus intentio, ut dicat: *Hæc autem,**

Ibidem 30.

Fer. 9. 23.

1. Cor. 3. 2.
& seq.

1. Cor. 3. 21.

1. Cor. 1.
31.

1. Cor. 4. 6.

tem, fratres, transfiguravi in me & Apol-
lo propter vos, ut in vobis discatis, ne su-
pra quàm scriptum est unus pro altero in-
fletur adversus alterum. Quis enim te dis-
cernit? Quid autem habes quod non accepisti?
Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

10. In hac Apostoli evidentissima intentione, qua contra humanam superbiam loquitur, ne quisquam in homine, sed in Domino gloriatur, dona Dei naturalia suspicari, sive ipsam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata est, sive vitiatæ naturæ qualescumque reliquias, nimis, quantum existimo, absurdum est. Numquid enim per hæc dona quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus? Hic autem prius dixit: *Quis enim te discernit?* Et deinde addidit: *Quid autem habes quod non accepisti?* Posset quippe dicere homo inflatus adversus alterum: *Discernit me fides mea, justitia mea, vel si quid aliud.* Talibus occurrens cogitationibus bonus doctor: *Quid autem habes, inquit, quod non accepisti?* A quo, nisi ab illo qui te discernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi? *Si autem & accepisti, ait, quid gloriaris quasi non acceperis?* Num, quæso, agit aliud, nisi ut qui gloriatur, in Domino gloriatur? Nihil autem huic sensui tam contrarium est, quàm de suis meritis sic quemquam gloriari, tamquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei: sed gratia quæ bonos discernit à malis, non quæ communis est bonis & malis. Sit ergo gratia naturæ adtributa, qua sumus animantia rationalia, discernimurque à pecoribus: sit etiam gratia naturæ ad-

Gratia Dei
ea propriè
est quæ bonos à malis
discernit.

adtributa, qua in ipsis hominibus à deformibus pulchri, vel ingeniosi discernuntur à tardis, ac si quid ejusmodi est: sed non se ille, quem coercebat Apostolus, adversus pecus inflabat, nec adversus hominem alterum de aliquo naturali munere, quod inesse posset & pessimo: sed aliquod bonum quod pertineret ad vitam bonam, sibi non Deo tribuens inflabatur, quando audire meruit: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* Ut enim sit naturæ, fidem posse habere; numquid & habere? *Non enim omnium est fides; cum fidem posse habere sit omnium.* Non autem ait Apostolus: *Quid autem potes habere, quod non accepisti ut posses habere; sed ait: Quid autem habes quod non accepisti?* Proinde a posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratiæ est fidelium. Illa itaque natura, in qua nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem: ipsa verò fides discernit ab infideli fidelem. Ac per hoc ubi dicitur: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* quisquis audet dicere: *Habeo ex me ipso fidem, non ergo accepi; profectò contradicit huic apertissimæ veritati: non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Domino. Ideo ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est, pertinet:*

BB 4

a Inde Bernardus in libro de Gratia & libero arbitrio cap. 1. *Deus auctor est salutis, liberum arbitrium tantum capax.* Confer lib. 2. de Vocatione gentium cap. 2. & Fulgent. lib. de Incarnatione & gratia D. N. J. C. cap. 22. 23. & 24.

2. Thes. 3.

2.

Posse habere fidem vel caritatem naturæ est hominum: habere autem, gratiæ fidelium.

Prov. 8.
sec. LXX.

net: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?*

CAPUT VI.

11. *MULTI audiunt verbum veritatis: sed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? Sed cum aliis praearetur, aliis non praearetur voluntas à Domino; discernendum est utique quid a veniat de misericordia ejus, quid de iudicio. Quod querebat Israel, ait Apostolus, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est: ceteri vero excæcati sunt, sicut scriptum est: Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque in hodiernum diem. Et David dicit: Fiat mensa eorum in laqueum, & in retributionem, & in scandalum illis: obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva. Ecce misericordia & iudicium: misericordia in electionem quae consecuta est iustitiam Dei; iudicium vero in ceteros qui excæcati sunt: & tamen illi quia voluerunt, crediderunt; illi quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur, & iudicium in ipsis voluntatibus facta sunt. Electio quippe ista gratia est, non utique meritum. Superius enim dixerat: Sic ergo & in hoc tempore, reliqua per electionem gratiae salvae facta sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. Gratis ergo consecuta est, quod consecuta est elec-*

^a MSS. Gallici & Vaticani, *eveniat.*

^b Editi, in *electione*. Melius MSS. in *electionem*, id est, in electos. Sic postea in accusandi casu legitur, in *ceteros*.

^c Vaticani MSS. qui *voluerunt*: & infra, qui *noluerunt*. Am. & Er. hoc posteriore loco habent, *quia*; sed priore tamen, *qui*.

Rom. II. 7.

Isai. 6. 9.

Ps. 68. 23.

Rom. II. 5.

electio: non præcessit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis: pro nihilo salvos fecit eos. Ceteris autem qui excæcati sunt, sicut ibi non tacitum est, in a retributione factum est. *Universæ viæ Domini misericordia & veritas. Investigabiles sunt autem viæ ejus.* Investigabiles igitur sunt, & misericordia qua gratis liberat, & veritas qua justè judicat.

Ibid. 35.

Psal. 55. 9.

Ps. 24. 10.

Rom. II.

33.

12. SED forsitan dicant: *Ab operibus fidem distinguit Apostolus: gratiam vero non ex operibus esse dicit; non autem dicit, quod non sit ex fide.* Ita vero est: sed ipsam quoque fidem opus Dei dicit esse Jesus, & hanc ut operemur jubet. Dixerunt enim ad eum judæi: *Quid faciemus, ut operemur opus Dei? Respondit Jesus & dixit illis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Sic ergo distinguit Apostolus ab operibus fidem, quemadmodum in duobus regnis hebræorum distinguitur Judas ab Israel, cum & ipse Judas sit Israel. Ex fide autem ideo dicit justificari hominem, non ex operibus; quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus justè vivitur. Nam dicit etiam ipse: *Gratia salvati estis facti per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est:* id est, & quod dixi per fidem, non ex vobis, sed Dei donum est etiam fides. *Non ex operibus, inquit, ne forte quis extollatur.* Solet enim dici: Ideo credere meruit, quia vir bonus erat & ante quàm crederet. Quod de Cornelio dici potest, cujus

CAP. VII.

Joan. 6. 28.

Gal. 2. 16.

Ex fide justificari nos, cur potius dixerit Apostolus, quàm ex operibus.

Eph. 2. 8.

Ibidem 9.

Act. 10. 4.

ac-

^a Noalliensis MS. in *retributionem*.

^b Sic omnes prorsus MSS. At editi, *opera Dei*.

acceptæ sunt eleemosynæ & exaudita orationes, antequàm credidisset in Christum: nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crederat? Sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus: quàmvis nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam. Et dicitur nobis: *Fides est à nobis, cetera à Domino ad opera justitiæ pertinentia*; quasi ad ædificium non pertineat fides; quasi ad ædificium, inquam, non pertineat fundamentum. Quòd si in primis & maxime pertinet, in vanum laborat prædicando ædificans fidem, nisi eam Dominus miserando intus ædificet. Quidquid igitur & antequàm in Christum crederet, ^a & cùm crederet, & cùm credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne fortè quis extollatur.

CAPUT VIII.

13. PROINDE ipse unus Magister & Dominus, cùm dixisset quæ suprâ memoravi: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille*; in eodem ipso sermone suo paulò post ait: *Dixi vobis, quia & vidistis me, & non credidistis. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet. Quid est, ad me veniet, nisi credet in me? Sed ut fiat, Pater dat. Item paulò post: Nolite, inquit, murmurare invicem: nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: & ego eum resuscitabo in novissimo die.*
 Isa. 54. 13. *Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes do-*

^a Lovanienses expunxerunt, & cùm crederet, ut superfluum. Habetur non tantùm in antiquioribus editis Am. & Er. sed etiam in Vatic. MSS. & pluribus ex Gallic.

Rom. 10. 14.

Pr. 126. 1.

Fides ædificii spiritalis fundamentum.

UNIVERSITATIS

Joan. 6. 29.

Ibidem 36.

Ibid. 44.

Isa. 54. 13.

*docibiles Dei. Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me. Quid est: Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me; nisi, nullus est qui audiat à Patre & discat, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audivit à Patre & didicit, venit: profectò omnis qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit: nam si audisset & didicisset, veniret. Neque enim ullus audivit & didicit, & non venit: sed omnis, ut ait Veritas, qui audivit à Patre & didicit, venit. Valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Pater auditur & docet, ut veniatur ad Filium. Ibi est & ipse Filius; quia ipse est Verbum ejus, per quod sic docet; nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis. Simul ibi est & Spiritus Patris & Filii: neque enim ipse non docet, aut separatim docet: inseparabilia quippe didicimus esse opera Trinitatis. Et ipse est utique Spiritus sanctus, de quo Apostolus dicit: *Habentes autem eundem Spiritum fidei.* Sed ideo Patri hoc potissimum est adtributum, quia de ipso est genitus Unigenitus, & de ipso procedit Spiritus sanctus: unde longum est enucleatiùs disputare, & de Trinitate quæ Deus est laborem nostrum in quindecim libris ad vos jam existimo pervenisse. Valde, inquam, remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Deus auditur & docet. Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Christum: sed ubi & quomodo à Patre audierint hoc & didicerint, non videmus. Nimiùm gratia ista secreta est: gratiam verò esse quis ambigat? Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur,*

Schoia Dei Patris valde occulta.

2. Cor. 4. 13.

De Trinitate libri 15.

Divinæ gratiæ potentia & energia.

Ezech. II.
19.

tur, ut cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo Pater intus auditur & docet, ut veniatur ad Filium, auferit cor lapideum, & dat cor carneum, sicut Propheta prædicante promisit. Sic quippe facit filios promissionis, & vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.

Cur non omnes docet Pater, ut veniant ad Christum.

Rom. 9. 18.

Ibid. 19.

Ibid. 20.

Omnes doceri ut veniant quo sensu recte dicatur.
Joan. 6. 45.

Simile. F. lib. I. de peccatorum meritis. c. 28.

14. Cur ergo non omnes docet, ut veniant ad Christum; nisi quia omnes quos docet, misericordia docet; quos autem non docet, iudicio non docet? Quoniam *cujus vult miseretur, & quem vult obdurat*: sed miseretur, bona tribuens; obdurat, digna retribuens. Aut si & ista, ut quidam distinguere maluerunt, verba sunt ejus cui Apostolus ait: *Dicis itaque mihi; ut ipse dixisse accipiatur: Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat*; & quæ sequuntur, id est: *Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus quis resistit? Numquid responsum est ab Apostolo: O homo, falsum est quod dixisti? Non: sed responsum est: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus lutu ex eadem massa; & sequentia, quæ optimè nostis. Et tamen secundum quemdam modum, omnes Pater docet venire ad suum Filium. Non enim frustra scriptum est in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Quod testimonium cum præmisisset, tunc subdidit: Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me. Sicut ergo integrè loquimur, cum de aliquo litterarum magistro, qui in civitate solus est, dicimus: Omnes iste hinc litteras docet.*

^a Omnes MSS. omittunt, Non.

docet; non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicumque ibi litteras discit: ita rectè dicimus: Omnes Deus docet venire ad Christum; non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit. Cur autem non omnes doceat, aperuit Apostolus, quantum aperiendum judicavit: quia *volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, adtulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, & ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Hinc est quod *verbum crucis pereuntibus stultitia est; his autem qui salvati sunt, virtus Dei est.* Hos omnes docet venire ad Christum Deus; hos enim omnes vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Nam si & illos quibus stultitia est verbum crucis, ut ad Christum venirent, docere voluisset, proculdubio venirent & ipsi. Non enim fallit aut fallitur qui ait: *Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me.* Absit ergo ut quisquam non veniat, qui à Patre audit & didicit.

15. Quare, inquiunt, non omnes docet? Si dixerimus, quia nolunt discere quos non docet; respondebitur nobis: Et ubi est quod ei dicitur: *Deus tu convertens vivificabis nos?* Aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, ut quid orat Ecclesiã secundum præceptum Domini pro persecutoribus suis? Nam sic etiam voluit intelligi sanctus Cyprianus quod dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra*: hoc est, sicut in eis qui jam crediderunt, & tamquam cælum sunt; ita &

Rom. 9. 22.

I. Cor. I. 18.

I. Tim. 2. 4.

Psal. 84. 7.

Matth. 5.

44. Cyprian.

de Orat.

Domin.

Matth. 6.

10.

^a Hic addimus enim: quia MSS. omnes id habent.

& in eis qui non credunt, & ob hoc adhuc terra sunt. Quid ergo oramus pro nolentibus credere, nisi ut Deus in illis operetur & velle? De judæis certè Apostolus ait: *Phil. 2. 13. Fratres, bona voluntas quidem cordis mei, & deprecatio ad Deum pro illis a fit in salutem. Orat pro non credentibus, quid, nisi ut credant? Non enim aliter consequuntur salutem. Si ergo fides orantium Dei prævenit gratiam; numquid eorum fides, pro quibus oratur ut credant, Dei prævenit gratiam? Quandoquidem hoc pro eis oratur, ut non credentibus, id est, fidem non habentibus, fides ipsa donetur. Cum igitur Evangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt: sed qui credunt prædicatore forinsecus insonante, intus à Patre audiunt atque discunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt neque discunt: hoc est, illis datur ut credant, illis non datur. Quia nemo, inquit, venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Quod apertius postea dicitur. Nam post aliquantum cum de carne sua manducanda & bibendo sanguine suo loqueretur, & dicerent quidam etiam discipulorum ejus: *Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciens Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Et paulò post: Verba, inquit, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Et mox Evangelista: Sciebat enim, inquit, ab initio Jesus qui essent credentes, & quis traditurus esset eum, & dicebat: Propterea dixi**

*Phil. 2. 13.**Rom. 10. 1.**Joan. 6. 44.**ibid. 61.**ibid. 64.*

^a Omnes propè MSS. omittunt, fit.

xi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Ergo trahi à Patre ad Christum, & audire ac discere à Patre ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quàm donum accipere à Patre, quo credat in Christum. Neque enim audientes Evangelium à non audientibus, sed credentes à non credentibus discernebat qui dicebat: Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.

16. Fides igitur, & inchoata, & perfecta, donum Dei est: & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes isse in condemnationem, sine dubitatione justissimam: ita ut nulla dei esset justa reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Unde constat magnam esse gratiam, quod plurimi liberantur, & quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur agnoscunt: ut qui gloriatur, non in suis meritis, quæ paria videt esse damnatis, sed in Domino gloriatur. Cur autem istum potius quàm illum liberet, inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Melius enim & hic audimus aut dicimus: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* quàm dicere audeamus, quasi noverimus, quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid injustum velle non potuit.

17. ILLUD autem quod in opusculo * meo quodam contra Porphyrium sub titulo: De tempore christianæ religionis, me dixisse, recolitis, ita dixi, ut hanc diligentiorum & operosiorum disputationem de gratia præterierem,

Trahi, audire, & discere à Patre.

Hic apud Am & Er. incipit Caput IX. Fidei donum cur non omnibus detur.

Rom. 11. 33.

Rom. 9. 20.

* CAPUT IX. * Epist. 102. inter Augustinianas, quart. 2 n. 14.

rem, non sanè omiſſa ſignificatione, quòd
eam loq̄ illo explicare noluiſſem, quæ poſ-
ſet aliàs vel ^a ab aliis explicari. Nam ita lo-
cutus ſum inter cetera, reſpondens propoſi-
tæ quæſtioni: Cur Chriſtus poſt tam longa
tempora venerit. "Proinde, inquam, cùm
"Chriſto non obijciant, quòd ejus doctri-
"nam non omnes ſequuntur (ſentiunt enim
"& ipſi, nequaquam hoc rectè obijci poſſe,
"vel ſapientiæ philoſophorum, vel etiam nu-
"mini deorum ſuorum) quid reſpondebunt,
"ſi excepta illa altitudine ſapientiæ & ſcien-
"tiæ Dei, ubi fortassis aliud divinum conſi-
"lium longè ſecretius latet, ſine præjudicio
"etiam aliarum fortè cauſarum, quæ à pru-
"dentibus veſtigare queunt, hoc ſolum eis
"brevitatis gratia in hujus quæſtionis diſputa-
"tione dicamus, tunc voluiſſe hominibus ap-
"parere Chriſtum, & apud eos prædicari doc-
"trinam ſuam, quando ſciebat & ubi ſciebat
"eſſe qui in eum fuerant credituri? His enim
"temporibus & his locis quibus Evangelium
"ejus non eſt prædicatum, tales omnes in
"ejus prædicatione futuros eſſe præſciebat,
"quales, non quidem omnes, ſed tamen
"multi in ejus corporali præſentia fuerunt,
"qui in eum nec ſuſcitatſ ab eo mortuis,
"credere voluerunt; quales etiam nunc mul-
"tos videmus, cùm tanta manifeſtatione de-
"illo compleantur præconia Prophetarum, nol-
"le adhuc credere, & malle humana aſtu-
"tia reſiſtere, quàm tam claræ atque pers-
"picuæ, tamquæ ſublîmi & ſublîmîter diffu-
"ſatæ divinæ cedere auctoritati, quamdiu
"parvus & infirmus eſt intellectus hominis
"di-

^a Sex MSS. qua poſſet aliàs vel aliis explicari.

"divinæ ^a accedere veritati. Quid ergo mi-
"rum, ſi tam infidelibus ^b plenum orbem ter-
"rarum Chriſtus prioribus ſæculis noverat, ^b
"ut eis apparere vel prædicari meritò nollet,
"quos nec verbis, nec miraculis ſuis credi-
"turos eſſe præſciebat? Neque enim incredi-
"bile eſt, tales fuiſſe tunc omnes, quales ab
"ejus adventu uſque ad hoc tempus tam
"multos fuiſſe atque eſſe miramur. Et ta-
"men ab initio generis humani, aliàs occul-
"tius, aliàs evidentius, ſicut congruere tem-
"poribus divinitus viſum eſt, nec prophetari
"deſtitit, nec qui in eum erederent deſuerunt:
"& ab Adam uſque ad Moysen, & in ipſo
"populo Iſraël, quæ ſpeciali quodam mys-
"terio gens prophetica fuit; & in aliis gen-
"tibus antequàm veniſſet in carne. Cùm
"enim nonnulli commemorantur in ſanctis
"hebraicis libris, jam ex tempore Abrahamæ,
"nec de ſtirpe carnis ejus, nec ex populo
"Iſraël, nec ex adventitia ſocietate in popu-
"lo Iſraël, qui tamen hujus ſacramenti par-
"ticipes fuerunt; cur non credamus etiam in
"ceteris hac atque illac gentibus ^c aliàs alios ^c
"fuiſſe, quàmvis eos commemoratos in eis-
"dem auctoritatibus non legamus? Ita ſalus
"religionis hujus, per quam ſolam veram ſa-
"lus vera veraciterque promittitur, nulli um-
"quam deſuit qui dignus fuit; & cui deſuit,
"dignus non fuit. Et ab exordio propagatio-
"nis

TOM. IV.

CC

nis

^a Am. & Er. divina accedere veritati non poterit. Lov. divina debet accedere veritati. At MSS. Vaticani & Gallici nec debet habent, nec non poterit. Præferendū videtur ipſi etiam editioni Lov. quam in 2. tomo ſecuti ſumus.

^b Tres MSS. pleno orbe terrarum Chriſtus prioribus ſæculis non venerat.

^c Sic MSS. At editi, alios atque alios fuiſſe.

nis humanæ usque in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad iudicium prædicatur. Ac per hoc & quibus omnino annuntiata non est, non credituri præsciebantur; & quibus non credituris tamen annuntiata est, in illorum exemplum demonstrantur: quibus autem credituris annuntiatur, hi regno cælorum & sanctorum Angelorum societati præparantur.

18. Cernitisne, me sine præiudicio latentis consilii Dei aliarumque caussarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videretur? Quid enim est verius, quam præscisse Christum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato sibi Christo à se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumturi, id est, utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere atque disserere tunc necessarium non putavi. Proinde quod dixi: *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri*; potest etiam sic dici: *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso*

Eph. 1. 4.

ante mundi constitutionem. Sed quoniam si ita diceretur, lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione pelagianæ erroris necesse est copiosius & laboriosius disputari; visum mihi est, quod tunc satis erat, breviter esse dicendum, excepta, ut dixi, altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, & sine præiudicio aliarum caussarum de quibus non

non tunc, sed ^a aliàs opportunius disputandum putavi.

19. ITEM quod dixi: *Salutem religionis huius nulli unquam defuisse qui dignus fuit, & dignum non fuisse cui defuit*; si discutiatur & quæratur, unde quisque sit dignus, non desunt qui dicant, voluntate humana: nos autem dicimus, gratia vel prædestinatione divina. Inter gratiam porrò & prædestinationem hoc tantum interest, quòd prædestinatio est gratiæ preparatio, gratia verò iam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus: *Non ex operibus, ne fortè quis extollatur, ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis*; gratia est: quod autem sequitur, *quæ preparavit Deus, ut in illis ambulemus*; prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus: unde dictum est: *Fecit quæ futura sunt*. Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit; sicut quæcumque peccata: quia etsi sunt quædam, quæ ita peccata sunt, ut pœnæ sint etiam peccatorum, unde dictum est: *Tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt*; non ibi peccatum Dei est, sed iudicium. Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, preparatio: gratia verò est ipsius prædestinationis effectus. Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium, dicens: *Patrem multarum gentium posui te*; unde dicit Apostolus: *Ideo ex fi-*

CC 2

de,

^a Hic nostri omnes MSS. omittunt, *aliar.*

a

CAPUT X.

Prædestinatio & gratia quo differant.

Eph. 2. 9.

Præscientia sine prædestinatione, non sine præscientia prædestinatio.

Isai. 45. sec. LXX.

Rom. 1. 28.

Gen. 17. 5.

Rom. 4. 16.

de, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini; non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promissit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines. Quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum; ipse facit ut illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promissit: alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abraham. Non autem sic credidit Abraham; sed *credidit dans gloriam Deo, quoniam quæ promissit, potens est & facere*: non ait, prædicere; non ait, præscire; nam & aliena facta potest prædicere atque præscire: sed ait, *potens est & facere*; ac per hoc facta, non aliena, sed sua.

Ibid. 20.

20. An fortè opera bona gentium Deus promissit Abraham in semine ipsius, ut hoc promitteret quod ipse facit; non autem promissit fidem gentium, quam sibi homines faciunt; sed ut promitteret quod ipse facit, illam præscivit homines esse facturos? Non quidem loquitur sic Apostolus: filios quippe promissit Deus Abraham, qui fidei ejus vestigia sectarentur: quod apertissimè dicit. Sed si opera gentium promissit, non fidem; profectò quoniam non sunt bona opera nisi ex fide (*Justus enim ex fide vivit*; Et *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; Et *Sine fide impossibile est placere* ^a) nihilominus ut impleat quod promissit Deus, in hominum est potestate. Nisi enim homo faciat quod Deo non

Habac. 2.4.

Rom. 14.

23.

Hebr. 11. 6.

a

^a Editi, *placere Deo*. Abest Deo à MSS. & à græco textu Apostoli, & passim omittitur ab Augustino.

non donante ad hominem pertinet, non faciet ipse quod donet: hoc est, nisi habeat homo fidem ex semetipso, non implet Deus quod promissit, ut opera justitiæ dentur ex Deo. Ac per hoc, ut promissa sua Deus possit implere, non est in Dei, sed in hominis potestate. Quod si veritas & pietas nos credere vetat; credamus cum Abraham, quoniam quæ promissit, potens est & facere. Promissit autem filios Abraham; quod esse non possunt, si non habeant fidem: ergo ipse donat & fidem.

Rom. 4. 21.

21. SANE cum Apostolus dicat: *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio*; miror homines infirmitati suæ se malle committere, quam firmitati promissionis Dei. *Sed incerta est mihi, inquis, de me ipso voluntas Dei*. Quid ergo, tuanc tibi voluntas de te ipso certa est, nec times: *Qui videtur stare, videat ne cadat*? Cum igitur utraque incerta sit, cur non homo firmitati quàm infirmitati fidem suam, spem, caritatemque committit?

CAPUT XI.
Ibid. 16.Firmitas
promissionis
Dei.1. Cor. 10.
12.

22. *Sed cum dicitur, inquit, si credideris, salvus eris; unum horum exigitur, alterum offertur. Quod exigitur, in hominis; quod offertur, in Dei est potestate*. Cur non utrumque in Dei, ^a & quod jubet, & quod offert? Rogatur enim ut det quod jubet: rogant credentes, ut sibi augeatur fides: rogant pro non credentibus, ut eis donetur fides: & in suis igitur incrementis, & in suis initiis Dei donum est fides. Sic autem dicitur: *Si credideris, salvus eris*; quemadmodum

Suprà in
epist. Hi-
larii, n. 2.
Rom. 10. 9.

cc 3

di-

^a Ita MSS. At Lov. *in Dei est, & quod jubetur, & quod offertur?*

Rom. 8. 13. dicitur: *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Nam & hic ex his duobus unum exigitur, alterum offertur. *Si spiritu,* inquit, *facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Ut ergo spiritu facta carnis mortificemus, exigitur: ut autem vivamus, offertur. Num igitur placet, ut facta carnis mortificare non donum Dei esse dicamus; neque id donum Dei esse fateamur, quoniam exigi audimus à nobis præmio vitæ, si hoc fecerimus, oblato? Absit, ut hoc placeat participibus & defensoribus gratiæ. Pelagianorum est error iste damnabilis: quorum mox Apostolus ora obstruxit, adjungens: *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei;* ne facta mortificare nos carnis, non per Dei, sed per nostrum spiritum crederemus. De quo Dei Spiritu etiam ibi loquebatur, ubi ait: *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult.* Inter quæ omnia, sicut scitis, nominavit & fidem. Sicut ergo quàmvis donum Dei sit, facta carnis mortificare, exigitur tamen à nobis propositio præmio vitæ: ita donum Dei est & fides, quàmvis & ipsa cum dicitur:

Si credideris, salvus eris; proposito præmio salutis exigatur à nobis. Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur quod & nos ea facimus, & Deus facit ut illa faciamus, sicut per prophetam Ezechielem apertissimè dicit. Quid enim apertius, quàm ubi dicit: *Ego faciant ut faciatis?* Locum ipsum Scripturæ^a attendite: & videbitis illa Deum promittere futurum se ut faciant, quæ jubet ut fiant. Non

52-

^a Hic in editis additur, *fratres carissimi* Abest à MSS.

sanè ibi tacet merita eorum, sed mala; quibus se ostendit reddere pro malis bona, hoc ipso quo eos facit habere deinceps opera bona, cum ipse facit ut faciant divina mandata.

23. SED omnis hæc ratio, qua defendimus gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, verè esse gratiam, id est, non secundum merita nostra dari, quàmvis evidentissimè divinorum eloquiorum testimoniis asseratur; tamen apud eos, qui nisi aliquid sibi assignent, quod priores dent ut retribuatur eis, ab omni studio pietatis reprimi se putant, a laborat aliquantum in ætate majorum jam utentium voluntatis arbitrio: sed ubi venit ad parvulos, & ad ipsum Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum assertio meritorum: quia nec illi ullis bonis præcedentibus meritis discernuntur à ceteris, ut pertineant ad liberatorem hominum; nec ille ullis humanis præcedentibus meritis, cum & ipse sit homo, liberator factus est hominum.

24. Quis enim audiat, quod dicuntur * parvuli pro suis futuris meritis in ipsa infantili ætate baptizati exire de hac vita; & ideo alii non baptizati in eadem ætate mori, quia & ipsorum præscita sunt merita futura, sed mala; non eorum vitam bonam vel malam Deo remunerante vel damnante, b sed nullam? cc 4

^a Editi, *laboratur aliquando.* At MSS. *laborat aliquantum,* sive *aliquantò.* Refertur *laborat* ad superiora verba: *Sed omnis hæc ratio.*

^b Editi, *vel damnante?* Tum inde sententiam sequentem inchoant hoc modo: *Sed nullum. Apostolus quidem limitem fixit.* Emendantur ex MSS. fide, quorum lectionem probant manifestè Lovanienses in annotationibus, ubi mo-

CAP. XII.
Gratiæ ac prædestinationis exempla præclara in parvulis, & in Christo. Rom. 11. 35.

1. Tim. 2. 5.

* *Suprà in epist. Proximi n. 5.* Neminem judicari secundum ea quæ, si diutius vixisset, facturus fuerat.

b

lam? Apostolus quidem limitem fixit, quem transgredi non debeat hominis, ut mitius loquar, incauta suspicio. Ait enim: *Omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum: gessit, inquit; non adjunxit, vel gesturus fuit. Sed unde hoc talibus viris in mentem venerit nescio, ut futura quæ non sunt futura, puniantur aut honorentur merita parvulorum. Cur autem dictum est, secundum ea quæ per corpus gessit hominem judicandum, cum gerantur multa solo animo, non per corpus, nec per ullum corporis membrum; & plerumque tam magna, ut talibus cogitationibus pœna justissima debeat: sicuti est, ut alia taceam, quod *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus?* Quid est ergo, secundum ea quæ per corpus gessit; nisi secundum ea quæ gessit eo tempore quo in corpore fuit, ut per corpus intelligamus per corporis tempus? Post corpus autem nemo erit in corpore, nisi resurrectione novissima; non ad ulla merita comparanda, sed ad recipienda pro bonis meritis præmia, pro malis luenda supplicia. Hoc autem medio tempore inter depositionem & receptionem corporis, secundum ea quæ gesserunt per corporis tempus, sive cruciantur animæ, sive requiescunt. Ad quod tempus corporis pertinet etiam quod pelagiani negant, sed Christi Ecclesia confitetur, originale peccatum: quo sive soluto per Dei gratiam, sive per Dei judicium non soluto, cum moriuntur infantes, aut merito regenerationis trans-*

moment, *nullam* illis appellari vitam infantum, quæ futura somniatur, si supervixissent.

transeunt ex malis ad bona, aut merito originis transeunt ex malis ad mala. Hoc catholica fides novit: in hoc etiam nonnulli hæretici sine ulla contradictione consentiunt. Judicari autem quemquam, non secundum merita quæ habuit quamdiu fuit in corpore, sed secundum merita quæ fuerat habiturus si diutius vixisset in corpore, unde opinari poterint homines, quorum ingenia non esse contentibilia vestræ indicant litteræ, mirans & stupens reperire non possum: nec credere audeam, nisi vobis non credere non audeam. Sed spero adfuturum Deum, ut commoniti citò videant, ea quæ dicuntur futura fuisse peccata, si per Dei judicium in non baptizatis possunt jure puniri, etiam per Dei gratiam baptizatis posse dimitti. Quicumque enim dicit, puniri tantum posse Deo judicante futura peccata, dimitti autem Deo miserante non posse, cogitare debet quantam Deo faciat gratiæque ejus injuriam: quasi futurum peccatum prænosci possit, nec possit ignosci. Quod si absurdum est: magis ergo futuris, si diu viverent, peccatoribus, cum in parva ætate moriuntur, lavacro quo peccata diluuntur, debuit subveniri.

25. QUOD si forsitan dicunt, pœnitentibus peccata dimitti; & ideo istos non baptizari in parvula ætate morientes, quia præsciti sunt pœnitentiam si viverent non acturi; eos autem qui baptizantur, & parvuli de corporibus exeunt, Deum præscisse acturos pœnitentiam fuisse, si viverent: attendant & videant, si ita est, non jam in parvulis sine baptismate morientibus peccata originalia vindicari, sed sua cujusque futura, si viveret: itemque baptizatis non originalia dilui, sed sua fu-

CAP. XIII.

futura, si viverent; quoniam non^a possent nisi in maiore aetate peccare; sed alios acturos poenitentiam, alios non acturos fuisse, praevios; ideo alios baptizatos, alios sine baptismo exisse de hac vita. Hoc si auderent pelagianus, non iam laborarent, negando originale peccatum, quaerere parvulis extra regnum Dei nescio cuius suae felicitatis locum: maxime quando convincuntur non eos habere posse vitam aeternam, quia non manducaverunt carnem nec hiberunt sanguinem Christi; & quia in eis, qui nullum habent omnino peccatum, falsus est baptismus qui in remissionem traditur peccatorum. Dicerent enim prorsus nullum esse originale peccatum, sed pro suis futuris, si viverent, meritis vel baptizari vel non baptizari eos qui de corpore solvuntur infantes; & pro suis futuris meritis eos vel accipere vel non accipere corpus & sanguinem Christi, sine quo vitam prorsus habere non possunt: & in veram remissionem peccatorum baptizari, quamvis nullum ex Adam traherent; quoniam remittuntur eis peccata, de quibus illos Deus poenitentiam praescivit acturos. Ita facillime agerent atque obtinerent causam suam, qua negant esse originale peccatum; & gratiam Dei non dari nisi secundum merita nostra contendunt. Sed quia hominum futura, quae non sunt futura, proculdubio nulla sunt merita, & hoc videre facillimum est: ideo nec pelagianus hoc dicere poterunt; & multo magis nec isti dicere debuerunt. Dici enim non potest, quam moles-
te

^a MSS. quoniam non posset nisi in maiore aetate peccari. Et infra loco, fuisse praevios; habent, fortasse praevios. Non omnia hic satis cohaerent: quia forte verba nonnulla e margine irreperunt in textum.

Joan. 6. 54.

te feram, quod viderunt pelagianus esse falsissimum & absurdissimum, hoc non vidisse istos, qui nobiscum errorem illorum haereticorum catholica auctoritate condemnant.

26. SCRIPSIT librum de Mortalitate Cyprianus, multis ac penè omnibus qui Ecclesiasticas litteras amant, laudabiliter notum: in quo propterea dicit non solum non esse fidelibus inutilem mortem, verum etiam utilem reperiri; quoniam peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitate constituit. Sed quid prodest, si etiam futura, quae commissa non sunt, peccata puniuntur? ^a Agit tamen ille copiosissime atque optime, peccandi pericula nec deesse in ista vita, nec superesse post illam. Ubi & illud testimonium ponit de libro Sapientiae: *Rap- tus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Quod a me quoque positum, fratres istos ita respuisse dixistis, tamquam non de libro canonico adhibitum: quasi & excepta hujus libri adtestatione res ipsa non clara sit, quam volumus hinc doceri. Quis enim audeat negare christianus, justum, si morte praecoepatus fuerit, in refrigerio futurum? Quilibet hoc dixerit, quis homo sanae fidei resistendum putabit? Item si dixerit, justum, si a sua justitia recesserit, in qua diu vixit, & in ea fuerit impietate defunctus, in qua, non dico unum annum, sed unum diem vixerit, in poenas iniquis debitas hinc iturum, nihil sibi sua praeterita justitia profutura: huic perspicuae veritati quis fidelium contradicet? Porro si quaeratur a nobis, utrum si tunc esset mortuus, quando erat justus, poenas esset inven-

CAPUT
XIV.

Sap. 4. 11.

Ibid. 7.

Ezech. 18.
24.

^a Sic MSS. At editi, *Ait.*

venturus, an requiem; numquid requiem respondere dubitabimus? Hæc est tota causa cur dictum est, à quocumque sit dictum: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Dictum est enim secundum pericula vitæ hujus, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat: id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. De hac quippe vita legitur in libro Job: *Numquid non tentatio est vita humana super terram?* Sed quare aliis concedatur, ut ex hujus vitæ periculis dum justi sunt auferantur; alii verò justi donec à justitia cadant, in eisdem periculis vita productiore teneantur; quis cognovit sensum Domini? Et tamen hinc intelligi datur, etiam illis justis, qui bonos piosque mores usque ad senectutis maturitatem & diem vitæ hujus ultimum servant, non in suis meritis, sed in Domino esse gloriantur: quoniam qui vitæ brevitate rapuit justum, ne malitia mutaret intellectum ejus, ipse in quantacumque vitæ longitudine custodit justum, ne malitia mutet intellectum ejus. Cur autem hic tenuerit casurum justum, quem priusquam caderet hinc posset auferre, justissima omninò, sed inscrutabilia sunt judicia ejus.

Job. 7. 1.
Sec. LXX.

Rom. 11.
34.

Liber Sapientie canonice Scripturæ auctoritatem in Ecclesia obtinet.

27. Quæ cum ita sint, non debuit repudiari sententia libri Sapientie, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesie Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos fideles, poenitentes, catechumenos, cum veneratione divinæ auctoritatis au-

audiri. Certè enim si de divinarum Scripturarum tractatoribus qui fuerunt ante nos, proferrem defensionem hujusce sententiæ, quam nunc solito diligentius atque copiosius contra novum pelagianorum defendere urgemur errorem; hoc est, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, & gratis dari cui datur; quia neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; justo autem iudicio non dari cui non datur, quia non est iniquitas apud Deum: si hujus ergo sententiæ defensionem ex divinarum eloquiorum nos præcedentibus catholicis tractatoribus promerem; profectò hi fratres, pro quibus nunc agimus, adquiescerent: hoc enim significastis litteris vestris. Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuseula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari? Quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis & transeunter adtingerent: immorarentur verò in eis, quæ adversus inimicos Ecclesie disputabant, & in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiscenda vita æterna & vera felicitate servitur. Frequentationibus autem orationum simpliciter apparebat Dei gratia quid valeret: non enim poscerentur de Deo quæ præcipit fieri, nisi ab illo donaretur ut fierent.

28. Sed qui sententiis tractatorum instrui volunt, oportet ut istum librum Sapientie, ubi legitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus;* omnibus tractatoribus anteponant: quoniam sibi eum anteposuerunt

Rom. 9. 16.

Ibid. 14.

Sap. 4. 11.

et-

etiam temporibus proximi Apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere nisi divinum testimonium crediderunt. Et certè beatissimum Cyprianum disputasse constat, ut celerioris mortis beneficium commendaret, à peccatorum periculis eripi eos, qui hanc vitam finiunt in qua peccari potest. In eodem libro ait inter cetera: *Cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quòd ad Christum voceris, amplecteris? & quòd diabolo careas, gratularis?* Et aliò loco: *Pueri, inquit, periculum lubricæ ætatis evadunt. Itemque alio: Quid non, inquit, properamus & currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate securus, adhuc de nostra salute sollicitus.* His atque hujusmodi doctor ille sententiis in catholicæ fidei luce clarissima, satis apertèque testatur, usque ad hujus corporis depositionem peccandi pericula tentationesque metuendas; deinceps nulla talia quemquam esse passurum. Quod & si non testaretur, quando de hac re christianus qualiscumque dubitaret? Quomodo igitur homini lapsò, & in eodem lapsu istam vitam miserè finienti, atque in pœnas eunti talibus debitas: quomodo, inquam, huic non plurimum summèque prodesset, si ex hoc tentationum loco priùsquàm laberetur, morte raperetur?

29. Ac per hoc, si absit nimis inconsiderata contentio, tota quæstio ista finita est de illo qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Nec ideo liber Sapientiæ, qui

tanta numerositate annorum legi meruit in Ecclesia Christi, in quo & hoc legitur, pati debet injuriam, quoniam resistit eis qui pro meritis hominum falluntur, ut veniant contra Dei manifestissimam gratiam: quæ maximè apparet in parvulis; quorum cum alii baptizati, alii non baptizati vitæ hujus terminum sumunt, satis indicant misericordiam & judicium; misericordiam quidem gratuitam, judicium debitum. Si enim judicarentur homines pro meritis suæ vitæ, quæ non habuerunt morte præventi, sed habituri essent, si viverent; nihil prodesset ei qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus; nihil prodesset eis qui lapsi moriuntur, si antè morentur: quod nullus dicere christianus audebit. Quocirca non debent fratres nostri, qui nobiscum pro catholica fide perniciem pelagianæ erroris impugnant, huic pelagianæ in tantum favere opinioni, qua opinantur gratiam Dei secundum merita nostra dari; ut quod illi audere non possunt, sententiam veram planè & antiquitus christianam: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, destruere moliantur; & id adstruere, quod, non dico crediturum, sed somniaturum neminem putaremus: secundum ea scilicet judicari quemque mortuorum, quæ gesturus fuerat, si tempore proluxiore vixisset. Ita quippe claret invictum esse quod dicimus, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, ut huic veritati contradicentes ingeniosi homines, hæc ab omnium auribus & cogitationibus abigenda dicere cogentur.

30. EST etiam præclarissimum * lumen prædestinationis & gratiæ, ipse Salvator, ipse Mediator Dei & hominum homo Christus

CAPUT
XV.
Prædesti-

Je-

Cyprianus
libro de
Mortalitate.

UNIVERSITATIS
PAVINE

UNIV

OMA

DIGITALIS
GENERAL DE

nationis illustri-
 -mum
 exemplum
 Christus
 Jesus.
 *V. de Pec-
 -cat. meritis
 & remiss.
 l. 2. c. 17. &
 de Dono
 -perseu. c.
 24.

Jesus: qui ut hoc esset, quibus tandem suis
 vel operum vel fidei præcedentibus meritis
 natura humana quæ in illo est comparavit?
 Respondeatur, quæso: Ille homo, ut à Verbo
 Patri coæterno in unitatem personæ assumtus,
 Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit?
 Quod ejus bonum quaecumque præcessit?
 Quid egit antè, quid credidit, quid petivit,
 ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?
 Nonne faciente ac suscipiente Verbo,
 ipse homo, ex quo esse coepit, Filius Dei
 unicus esse coepit? Nonne Filium Dei uni-
 cum femina illa gratia plena concepit? Non-
 ne de Spiritu sancto & Virgine Maria Dei
 Filius unicus natus est, non carnis cupidine,
 sed a singulari Dei munere? Numquid me-
 tuendum fuit, ne accedente ætate homo ille
 libero peccaret arbitrio? Aut ideo in illo non
 libera voluntas erat, ac non tanto magis erat,
 quanto magis peccato servire non poterat?
 Nempe ista omnia singulariter admiranda, &
 alia si qua ejus propria verissimè dici possunt,
 singulariter in illo accepit humana, hoc est,
 nostra natura, nullis suis præcedentibus meri-
 tis. Respondeat hïc homo Deo, si audet, &
 dicat: Cur non & ego? Et si audierit: O ho-
 mo, tu quis es qui respondeas Deo; nec
 sic cohibeat, sed augeat impudentiam, & di-
 cat: Quomodo audio: Tu quis es, ò homo?
 Cùm sim quod audio, id est, homo, quod
 est & ille de quo ago, cur non sim quod
 & ille? At enim gratia ille talis ac tantus est.
 Cur diversa est gratia, ubi natura communis
 est? Certè non est acceptio personarum apud
 Deum.

Rom. 9. 20.

Coloss. 3.
25.Libertas à
peccato.

a

a Plerique MSS. sed sólo Dei munere.

Deum. Quis, non dico christianus, sed insanus
 hæc dicat?

31. Appareat itaque nobis in nostro ca-
 pite ipse fons gratiæ, unde secundum unius-
 cujusque mensuram se per cuncta ejus mem-
 bra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suæ
 homo quicumque christianus, qua gratia ho-
 mo ille ab initio suo factus est Christus: de
 ipso Spiritu & hic renatus, de quo est ille
 natus: eodem Spiritu fit in nobis remissio
 peccatorum, quo Spiritu factum est ut nullum
 haberet ille peccatum. Hæc se Deus esse fac-
 turum profectò præscivit. Ipsa est igitur præ-
 destinatio sanctorum, quæ in Sancto sancto-
 rum maximè claruit: quam negare quis po-
 test rectè intelligentium eloquia veritatis? Nam
 & ipsum Dominum a gloriæ, in quantum ho-
 mo factus est Dei Filius, prædestinatum esse
 didicimus. Clamat Doctor gentium in capite
 Epistolarum suarum: *Paulus servus Jesu
 Christi, vocatus Apostolus, segregatus in
 Evangelium Dei, quod antè promiserat per
 Prophetas suos in Scripturis sanctis de Fi-
 lio suo, qui factus est ei ex semine David
 secundum carnem, qui prædestinatus est
 Filius Dei in virtute, secundum Spiritum
 sanctificationis ex resurrectione mortuorum.*
 Prædestinatus est ergo Jesus, ut qui futurus
 erat secundum carnem filius David, esset ta-
 men in virtute Filius Dei secundum Spiritum
 sanctificationis; quia natus est de Spiritu Sancto
 & virgine Maria. Ipsa est illa ineffabili-
 ter facta hominis à Deo Verbo susceptio
 singularis, ut filius Dei & filius hominis si-
 mul, filius hominis propter susceptum homi-
 nem,

TOM. IV.

DD

nem,

a Tres MSS. Dominum gratia.

a
Dei Filius
prædesti-
natus.
Rom. I. I.

®

nem; & filius Dei propter suscipientem unigenitum Deum, veraciter, & propriè diceretur; ne non Trinitas, sed quaternitas crederetur. Prædestinata est ista naturæ humanæ tanta & tam celsa & summa subvectio, ut quò attolleretur altius, non haberet: sicut pro nobis ipsa divinitas quò usque se deponeret humilior, non habuit, quam suscepta natura hominis cum infirmitate carnis usque ad mortem crucis. Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset; ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hîc merita conticescant, quæ perierunt per Adam: & regnet quæ regnat Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum, unicum Dei Filium, a unum Dominum. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat. Neque enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, ut alienus ab omni obligatione peccati, de Spiritu & Virgine nasceretur. Sic & nobis ut ex aqua & Spiritu renasceremur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum: & si nos ad lavacrum regenerationis fides duxit, non ideo putare debemus, priores nos dedisse aliquid, ut retribueretur nobis regeneratio salutaris: ille quippe nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in quem credimus Christum; ille facit in hominibus principium fidei & perfectionem in Jesum, qui fecit hominem principem fidei & perfectorem Jesum: sic enim est appellatus, ut scitis, in Epistola quæ est ad Hebræos.

Heb. 12.2.

VO-

a Sic omnes MSS. At editi, unicum Dei Filium, Dominum nostrum.

32. VOCAT enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filii sui, non ea vocatione quæ vocati sunt & qui noluerunt venire ad nuptias (illa quippe vocatione & judæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est; & gentes, quibus crucifixus stultitia est) sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, dicens, ipsis vocatis judæis & græcis prædicare se Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Sic enim ait: *Ipsis autem vocatis*; ut illos ostenderet non vocatos: sciens esse quamdam certam vocationem eorum qui secundum propositum vocati sunt, quos ante præscivit & prædestinavit conformes imaginis Filii sui. Quam vocationem significans, ait: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori.* Numquid dixit: Non ex operibus, sed ex credente? Prorsus etiam hoc abstulit homini, ut totum daret Deo. Dixit ergo, *sed ex vocante*; non quacumque vocatione, sed qua vocatione fit credens.

33. Hanc intuebatur etiam, cum diceret: *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* Nam & ibi quid agebatur paulisper advertite. Cum enim dixisset: *Nolo enim vos ignorare, fratres, sacramentum hoc, ut non sitis vobis sapientes: quia cecitas ex parte a Israël facta est, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël salvus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion qui eripiat, & avertat impietatem ab Jacob, & hoc illis à me testamentum, cum*

DD 2

abs-

a Editi, in Israël. Abest in à MSS. & à græco textu Apostoli.

CAPUT
XVI.
Duplex vocatio.
Luc. 14.16.
& seq.

I. Cor. 1.
23.

Ibid. 24.

Rom. 8.28.
& 29.

Rom. 9.12.

Rom. 11.
29.

Ibidem 25.
&c.

Isaia 59.
20.

abstulero peccata eorum : mox addidit, quod diligenter intelligendum est : *Secundum Evangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem dilecti propter patres.* Quid est : *Secundum Evangelium quidem inimici propter vos* ; nisi quod eorum inimicitia qua occiderunt Christum, Evangelio, sicut videmus, sine dubitatione profecit? Et hoc ostendit ex Dei dispositione venisse, qui bene uti novit etiam malis : non ut ei prosint vasa iræ, sed ut ipso illis bene utente, prosint vasis misericordiæ. Quid enim apertius dici potuit, quàm id quod dictum est : *Secundum Evangelium quidem inimici propter vos*? Est ergo in malorum potestate peccare : ut autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei dividens tenebras & ordinantis eas ; ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei. Legimus in Actibus Apostolorum, quod cum dimissi à judæis Apostoli venissent ad suos, & indicassent quanta eis sacerdotes & seniores dixerunt ; levaverunt illi vocem unanimes omnes ad Dominum, & dixerunt : *Domine, tu es qui fecisti calum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, qui per os patris nostri David, sancti pueri tui, dixisti :*

Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania ; adstiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversus Dominum & adversus Christum ejus? Convenerunt enim in veritate, in civitate ista, adversus sanctum puerum tuum Jesum quem unxisti, Herodes, & Pilatus, & populus Israël, facere quanta manus tua & consilium prædestinavit fieri. Ecce quod dictum est : *Secundum Evangelium quidem ini-*

In malorum est potestate peccare : ut autem hoc vel hoc illa malitia faciant, in solius Dei.

Act. 4. 24. & seq.

Psal. 2. 1.

Rom. II. 28.

inimici propter vos. Tanta quippe ab inimicis judæis manus Dei & consilium prædestinavit fieri, quanta necessaria fuerunt Evangelio propter nos. Sed quid est quod sequitur : *Secundum electionem autem dilecti propter patres?* Numquid illi inimici, qui in suis inimicitias perierunt, & adversantes Christo de gente ipsa adhuc pereunt, ipsi sunt electi atque dilecti? Absit : quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed utrumque licet inter se contrarium, id est, inimici & dilecti, quàmvis non in eosdem homines, tamen in eandem gentem convenit judæorum, & ad idem carnale semen Israël, aliis eorum ad claudicationem, aliis ad benedictionem Israël ipsius pertinentibus. Hunc enim sensum apertius superius explicavit, ubi ait : *Quod quærebat Israël, hoc non est consecutus : electio autem consecuta est, ceteri verò excæcati sunt.* In utrisque tamen idem ipse Israël. Ubi ergo audimus : *Israël non est consecutus, vel ceteri excæcati sunt* ; ibi intelligendi sunt inimici propter nos : ubi verò audimus, *electio autem consecuta est* ; ibi intelligendi sunt dilecti propter patres : quibus patribus utique ista promissa sunt. *Abrahæ quippe dictæ sunt promissiones & semini ejus.* Unde & in ista olea oleaster inseritur gentium. Jam porrò a electionem quam dicat, quia secundum gratiam, non secundum debitum, debet utique occurrere ; quoniam reliquiæ per electionem gratiæ factæ sunt. Hæc electio consecuta est, ceteris excæcatis. Secundum hanc electionem Israëlita dilecti propter patres. Non enim vocatione illa vocati sunt, de qua dic-

Ibidem.

Ibid. 7.

Gal. 3. 16.

Rom. II. 17.

Ibid. 5.

DD 3

tunt

a Sic MSS. At editi, *electio quam dicit.*

Matth. 20. tum est : *Multi vocati* ; sed illa , qua vo-

16.

Rom. 11. xit : *Secundum electionem autem dilecti pro-*
28. *pter patres* ; continuo subiicit unde agimus :

Ibid. 29. *Sine paenitentia enim sunt dona & vocatio*

Dei : id est , sine mutatione stabiliter fixa sunt.
Ad hanc vocationem qui pertinent , omnes
sunt docibiles Dei : nec potest eorum quis-

Isa. 54. 13.
Vocatio
electorum,
non quia
credide-
runt , sed
ut credant.

Ibid. 6. 45. *Omnis qui audivit à*

Patre & didicit , venit ad me. Istorum au-

tem nemo perit ; quia omne quod dedit ei

Pater , non perdet ex eo quidquam. Quisquis

ergo inde est , omnino non perit : nec a erat inde

qui perit. Propter quod dictum est : *Ex nobis*

exierunt , sed non erant ex nobis ; nam si fuisset

ex nobis , mansissent utique nobiscum.

34. INTELLIGAMUS ergo vocationem

qua fiunt electi ; non qui eliguntur quia cre-

diderunt , sed qui eliguntur ut credant. Hanc

enim & Dominus ipse satis aperit , ubi dicit :

Non vos me elegistis , sed ego vos elegi.

Nam si propterea electi erant , quia credide-

runt ; ipsi eum prius utique elegerant creden-

do in eum , ut eligi mererentur. Aufert autem

hoc omnino qui dicit : *Non vos me elegis-*

tis , sed ego vos elegi. Et ipsi quidem procul-

dubio elegerunt eum , quando crediderunt in

eum. Unde non ob aliud dicit : *Non vos me ele-*

gistis , sed ego vos elegi ; nisi quia non elege-

runt eum ut eligeret eos , sed ut eligerent

eum

a Sic aliquot MSS. alii verò , *non erant inde qui pe-*

rierunt. Editi , *non erit inde qui perit (vel qui pereat.)*

eum elegit eos : quia misericordia ejus præ-

venit eos secundum gratiam , non secundum

debitum. Elegit ergo eos de mundo cum hic

ageret a carnem , sed jam electos in se ipso

ante mundi constitutionem. Hæc est immobi-

lis veritas prædestinationis & gratiæ. Nam quid

est quod ait Apostolus : *Sicut elegit nos in*

ipso ante mundi constitutionem ? Quod præ-

fectò si propterea dictum est , quia præsci-

vit Deus credituros , non quia facturus fue-

rat ipse credentes ; contra istam præscientiam

loquitur Filius , dicens : *Ne vos me elegis-*

tis , sed ego vos elegi ; cum hoc potius præ-

scierit Deus , quòd ipsi eum fuerant electuri,

ut ab illo mererentur eligi. Electi sunt ita-

que ante mundi constitutionem ea prædes-

tinatione , in qua Deus sua futura facta præ-

scivit : electi sunt autem de mundo ea voca-

tionem , qua Deus id quod prædestinavit , im-

plevit. Quos enim prædestinavit , ipsos & vo-

cavit ; illa scilicet vocatione secundum pro-

positum : non ergo alios , sed quos prædes-

tinavit , ipsos & vocavit : nec alios , sed quos

ita vocavit , ipsos & justificavit : nec alios ,

sed quos prædestinavit , vocavit , justificavit ,

ipsos & glorificavit ; illo utique fine qui non

habet finem. Elegit ergo Deus fideles , sed

ut sint , non quia jam erant. Apostolus Ja-

cobus dicit : *Nonne Deus elegit pauperes*

in hoc mundo , divites in fide , & hæredes

regni , quod repromisit Deus diligentibus

se ? Eligendo ergo facit divites in fide , sicut

hæredes regni. Rectè quippe in eis hoc eli-

gere dicitur , quod ut in eis faciat , eos eli-

git. Rogo quis audiat Dominum dicentem :

DD 4 Non

a Sic nostri omnes MSS. Gallic. & Vatic. At editi ,
ageret in carne.

Ps. 58. 11.

a

Immobili-

lis veritas

prædesti-

nationis.

Eph. 1. 4.

Rom. 8. 30.

Fac. 2. 5.

Divites in

fide quo-

modo Deus

elegerit.

Non vos me elegistis, sed ego vos elegi; & audeat dicere, credere homines ut eligantur, cum potius eligantur ut credant, ne contra sententiam veritatis priores inveniatur eligisse Christum, quibus dicit Christus: Non vos me elegistis, sed ego vos elegi?

Joan. 15.
16.

CAPUT
XVIII.
Eph. 1. 3.
& seq.

35. QUIS audiat Apostolum dicentem: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in caelestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in caritate, praeordinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum placitum voluntatis suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae ejus, quae abundavit in nos in omni sapientia & prudentia, ut ostenderet nobis mysterium voluntatis suae, secundum bonam voluntatem suam, quam proposuit in illo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quae in caelis sunt, & quae in terris in ipso: in quo etiam & sortem consecuti sumus, praeordinati secundum propositum b, qui universa operatur secundum consilium voluntatis suae, ut simus in laudem gloriae ejus: quis, inquam, haec audiat diligenter & intelligenter, & audeat de*

mi
hand
1272

hac
a Am. & Er. in dispositione. MSS. in dispositionem uno excepto Corbeiensi, qui habet, in dispensationem.

b Editi hoc & proximo loco, propositum ejus. At MSS. hic & infra constanter, nec non ipsi editi cap. 19. praeterunt, ejus: quod explicandi loci causa n. 37. sic adicit Augustinus: secundum propositum, non nostrum, sed ejus.

hac a, quam defendimus, tam clara veritate dubitare? Elegit Deus in Christo ante constitutionem mundi membra ejus: & quomodo eligeret eos qui nondum erant, nisi praeordinando? Elegit ergo praeordinans nos. Numquid eligeret impios & immundos? Nam si quaestio proponatur, utrum hos eligat, an potius sanctos & immaculatos; quid horum respondeat b quis requirat, ac non statim ferat pro sanctis immaculatisque sententiam?

36. Praesciebat ergo, ait pelagianus, qui futuri essent sancti & immaculati per liberae voluntatis arbitrium: & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua praescientia, qua tales futuros esse praescivit, elegit. Elegit ergo, inquit, antequam essent, praeordinans filios, quos futuros sanctos immaculatosque praescivit: utique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse praevideat. Intueamur ergo verba Apostoli, atque videamus utrum propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia sancti & immaculati futuri eramus, an ut essemus. Benedictus, inquit, Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nos benedixit in omni benedictione spiritali in caelestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati. Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est: ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, praeordinans ut tales per gratiam ejus essemus. Ita ergo nos

Deus elegit justos, non quos tales per se ipsos futuros praevideat, sed quos ut tales faceret praevideat.

a MSS. Gallic. omnes & Vat. de hac re, quam defendimus tam clara veritate, dubitare.

b Editi, qui requiratur. Nostri omnes MSS. quis requirat? puta, quasi dubius & incertus.

benedixit benedictione spiritali in caelestibus in Christo Jesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus, in caritate praedestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum. Deinde quid adjungat attendite; secundum placitum, inquit, voluntatis suae: ne in tanto beneficio gratiae^a de placito gloriaremur voluntatis nostrae. In qua gratificavit nos, inquit, in dilecto Filio suo; in qua utique voluntate sua gratificavit nos. Sic dictum est gratificavit à gratia, sicut justificavit dicitur à justitia. In quo habemus, inquit, redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae ejus, quae abundavit in nos in omni sapientia & prudentia, ut ostenderet nobis mysterium voluntatis suae, secundum bonam voluntatem suam. In hoc mysterio voluntatis suae posuit divitias gratiae suae, secundum bonam voluntatem suam, non secundum nostram: quae bona esse non posset, nisi ipse secundum bonam voluntatem suam ut bona fieret subveniret. Cum autem dixisset: Secundum bonam voluntatem suam; subjecit, quam proposuit in illo, id est, in dilecto Filio suo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quae in caelis sunt, & quae in terris in ipso: in quo etiam & sortem consecuti sumus, praedestinati secundum propositum, qui universa operatur secundum consilium voluntatis suae, ut simus in laudem gloriae ejus.

Ni-

^a Editti, gratiae Dei, placito gloriaremur. &c. Emendantur ex MSS.

37. Nimis longum est de singulis disputare. Cernitis autem proculdubio, cernitis quanta manifestatione apostolici eloquii defendatur hæc gratia, contra quam merita extolluntur humana, tamquam homo aliquid prior det, ut retribuatur ei. Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, praedestinans nos in adoptionem filiorum: non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed elegit praedestinavitque ut essemus. Fecit autem hoc secundum placitum voluntatis suae, ut nemo de sua, sed de illius erga se voluntate gloriatur: fecit hoc secundum divitias gratiae suae, secundum bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilecto Filio suo, in quo sortem consecuti sumus, praedestinati secundum propositum, non nostrum, sed ejus, qui universa operatur, usque adeo ut ipse in nobis operetur & velle. Operatur autem secundum consilium voluntatis suae, ut simus in laudem gloriae ejus. Hinc est quod clamamus, ut nemo gloriatur in homine, ac per hoc nec in se ipso; sed qui gloriatur, in Domino gloriatur, ut simus in laudem gloriae ejus. Ipse quippe operatur secundum propositum suum, ut simus in laudem gloriae ejus, utique sancti & immaculati, propter quod nos vocavit, praedestinans ante mundi constitutionem. Ex hoc proposito ejus est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperatur in bonum: quia secundum propositum vocati sunt, & sine poenitentia sunt dona & vocatio Dei.

38. SED hi nostri, de quibus & pro quibus nunc agimus, forsitan dicunt, pelagianos hoc apostolico testimonio refutari, ubi dicit ideo nos electos in Christo & praedesti-

Electi sumus & praedestinati, non quia futuri eramus sancti, sed ut essemus.

Phil. 2.13.

I. Cor. 3. 21.

I. Cor. 1. 31.

Rom. 8.28.

Rom. 11. 29.

CAPUT XIX.

Eph. 1. 4. De praedestinatione quae pelagiana-

gianorum
sententia,
quæve se-
mipelagia-
norum.

natos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in caritate. Ipsi enim putant, *acceptis præceptis jam per nos ipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio sanctos & immaculatos, in conspectu ejus in caritate: quod futurum Deus quoniam præscivit, inquit, ideo nos ante mundi constitutionem elegit & prædestinavit in Christo; cum dicat Apostolus, non quia futuros tales nos esse præscivit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ, qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. Cum ergo nos prædestinavit, opus suum præscivit, quo nos sanctos & immaculatos facit. Unde rectè hoc testimonio pelagianus error arguitur. Nos autem dicimus, inquit, nostram Deum non præscisse nisi fidem, qua credere incipimus, & ideo nos elegisse ante mundi constitutionem, ac prædestinasse, ut etiam sancti & immaculati gratia atque opere ejus essemus. Sed audiant & ipsi in hoc testimonio, ubi dicit: *Sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum, qui universa operatur. Ipse ergo ut credere incipiamus operatur, qui universa operatur. Vocationem quippe illam de qua dictum est: Sine penitentia enim sunt dona & vocatio Dei; & de qua dictum est: Non ex operibus, sed ex vocante; cum posset dicere, sed ex credente: & electionem quam significavit Dominus, dicens: Non vos me elegistis, sed ego vos elegeri; nec fides ipsa præcedit. Non enim quia credidimus, sed ut credamus elegit nos: ne priores eum elegisse dicamur, falsumque sit, quod absit: Non vos me elegistis, sed ego vos elegeri. Nec quia credidimus, sed ut credamus vocamur: atque illa vocatio-**

Ibid. 11.

Rom. 11.
29.

Rom. 9. 12.

Joan. 15.
16.

tione, quæ sine penitentia est, id prorsus agitur & peragitur, ut credamus. Nec omnia replicanda sunt de hac re tam multa quæ diximus.

39. Denique & in hujus testimonii consequentibus, Deo gratias agit Apostolus pro his qui crediderunt, non utique quoniam eis annuntiatum est Evangelium, sed quoniam crediderunt. Ait enim: *In quo & vos audientes verbum veritatis Evangelium salutis vestræ, in quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius: propter hoc & ego audita fide vestra in Christo Jesu & in omnes sanctos, non cesso gratias agere pro vobis. Nova erat & recens eorum fides prædicato sibi Evangelio, qua fide audita, gratias Deo pro eis agit Apostolus. Si homini gratias ageret pro eo, quod illum vel putaret non præstitisse vel nosset, adulatio vel irrisio veriùs quam gratiarum actio diceretur. Nolite errare, Deus non irridetur; donum enim ejus est etiam incipiens fides, ne Apostoli falsa vel fallax gratiarum actio merito judicetur. Quid illud, nonne initium fidei apparet Thessalonicensium, de quo tamen idem Apostolus Deo gratias agit, dicens: *Propterea & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum percepissetis à nobis verbum auditus Dei, excepistis non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei, quod operatur in vobis, cui credidistis? Quid est quod hinc Deo gratias agit? Nempe vanum est atque inane, si cui gratias agit, hoc ipse non fecit. Sed quia hoc vanum & inane non est, profectò Deus cui de**

Eph. 1. 13.
& seq.

Gal. 6. 7.

Fidei initium Dei donum est.
1. Thess. 2. 13.

hoc

hoc opere gratias agit, ipse fecit, ut cum percepissent ab Apostolo verbum auditus Dei, exciperent illud non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei. Deus igitur operatur in cordibus hominum, vocatione illa secundum propositum suum, de qua multum locuti sumus, ut non inaniter audiant Evangelium, sed eo audito convertantur & credant, excipientes non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei.

CAPUT
XX.Coloss. 4. 2.
Ec.

40. ILLUD etiam initium fidei hominum donum Dei esse nos admonet, cum hoc significet Apostolus dicens in epistola ad Colossenses: *Orationi instate, vigilantes in illa in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi sui ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam vincit sum, ut manifestem illud ita ut oportet me loqui.* Quomodo aperitur ostium verbi, nisi cum sensus aperitur audientis ut credat, & initio fidei facto, ea quæ ad ædificandam salubrem doctrinam prædicantur & disputantur admittat; ne per infidelitatem corde clauso, ea quæ dicuntur improbet ac repellat? Unde & ad Corinthios ait: *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten; ostium enim mihi apertum est magnum & evidens, & adversarii multi.* Quid hæc aliud potest intelligi, nisi prædicato ibi per eum primitus Evangelio credidisse multos, & multos ejusdem fidei adversarios existisse, secundum illud Domini: *Nemo ad me venit, nisi cui datum fuerit à Patre meo; & vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum?* Ostium ergo apertum est in eis quibus datum est: adversarii autem multi ex eis quibus non est datum.

Item-

I. Cor. 16.
8.

Joan. 6. 66.

Lucæ 8. 10.
Matth. 13.
11.

41. Itemque ad eosdem in secunda epistola idem Apostolus: *Cum venissem, inquit, in Troadem in Evangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non inveni Titum fratrem meum: sed vale illis faciens exiit in Macedoniam.* Quibus vale fecit, nisi eis qui crediderant, in quorum scilicet cordibus evangelizanti apertum est ostium? Quid autem adjungat attendite: *Deo autem, inquit, gratias, qui semper triumphare nos facit in Christo, & odorem notitiæ suæ per nos manifestat in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salvi fiunt, & in his qui pereunt; quibusdam quidem odor mortis in mortem, quibusdam autem odor vitæ in vitam.* Ecce unde gratias agit miles acerrimus & defensor invictissimus gratiæ: ecce unde gratias agit, quia Christi bonus odor sunt Apostoli Deo, & in his qui salvi fiunt gratia ejus, & in his qui pereunt iudicio ejus. Sed ut minùs succenseatur a hæc parum intelligentibus, ipse admonet, cum adjungit & dicit: *Et ad hæc quis idoneus?* Verùm redeamus ad ostii apertionem, qua initium fidei audientium significavit Apostolus. Quid est enim: *Orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi;* nisi apertissima demonstratio, etiam ipsum initium fidei esse donum Dei? Non enim orando peteretur ab eo, nisi ab ipso tribui crederetur. Hoc donum cælestis gratiæ in illam purpurariam descenderat, cui, sicut Scriptura

2. Cor. 2.
12. & 13.Ibid. 14.
Ec.

Ibid. 16.

Coloss. 4. 3.

a Editi, succenseatur ad hæc parum intelligentibus. Particula ad non exstat in MSS.

Act. 16. 14. ra dicit in Actibus Apostolorum: *Deus aperuerat sensum ejus, & intendebat in ea quæ à Paulo dicebantur.* Sic enim vocabatur, ut crederet. Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum, vel adjuvando, vel judicando, ut etiam per eos impleatur quod manus ejus & consilium prædestinavit fieri.

42. Frustrâ itaque etiam illud, quod Regnorum & Paralipomenon Scriptura teste probavimus, cum Deus vult fieri quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda ut hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle ad causam de qua disserimus, * non pertinere dixerunt. Quid est aliud, nihil dicere, & tamen contradicere? nisi fortè cur eis hoc visum sit rationem vobis aliquam reddiderunt, quam vos in litteris vestris tacere maluistis. Sed quæ illa esse possit ignoro. An fortè quia ostendimus hoc Deum egisse in cordibus hominum, & ad hoc perduxisse quorum ei placuit voluntates, ut Rex constitueretur Saul sive David; ideo hæc exempla causæ huic convenire non putant, quoniam non hoc est temporaliter regnare in hoc sæculo, quod est in æternum regnare cum Deo; ac per hoc existimant ad regna terrena faciendâ Deum inclinare, ad regnum verò cæleste obtinendum Deum non inclinare quorum voluerit voluntates? Sed puto propter regnum cælorum, non propter regnum terrenum esse dictum: *Inclina cor meum in testimonia tua; vel A Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet; vel Paratur voluntas à Domino; vel Fiat Dominus noster nobiscum, sicut erat cum*

1. Reg. 10.
25.
1. Paral. 2.
18.
* Suprà in
epist. Hi-
larii, n. 7.
Ps. 118.
36.
Ps. 36. 25.
Prov. 8.
sec. LXX.
3. Reg. 8.
57.

eum patribus nostris; non derelinquat nos, nec avertat nos à se; inclinet corda nostra ad se, ut eamus in omnibus viis ejus; vel Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes; vel Dabo eis cor aliud, & spiritum novum dabo eis. Audiant etiam illud: *Spiritum meum dabo in vobis, & faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis.* Audiant: *A Domino diriguntur gressus viri, mortalis autem quomodo intelligit vias suas? Audiant: Omnis vir videtur sibi metipsi justus, dirigit autem corda Dominus.* Audiant: *Crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam.* Audiant hæc, & alia quæcumque non dixi, quibus ostenditur Deus ad regnum etiam cælorum & ad vitam æternam parare & convertere hominum voluntates. Cogitate autem quale sit, ut credamus ad constituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum, & ad capessendum regnum cælorum homines operari voluntates suas.

43. MULTA diximus, & fortasse jam dudum potuimus persuadere quæ volumus, & adhuc tam bonis ingeniis sic loquimur quasi obtusis, quibus & quod nimium est non est satis. Sed dent veniam; nova enim quæstio ad hoc nos compulit. Quia cum in prioribus opusculis nostris satis idoneis testimoniis egissemus, donum Dei esse etiam fidem; inventum est quod contradiceretur, ad hoc valere illa testimonia, ut ostendant Dei donum esse incrementum fidei; initium verò fidei quo in Christum primitus creditur, ab homine ipso esse, nec esse donum Dei,
TOM. IV. EE sed

a In hoc versiculo MSS. omnes habent corriguntur.

Boruch. 2.
31.
Ezech. 11.
19.
Ezech. 36.
27.
Prov. 20.
24. a
Prov. 21. 2.
Act. 13. 48.

CAPUT
XXI.

sed hoc exigere Deum, ut cum id præcesse-
 rit, cetera tamquam hoc merito consequantur
 quæ Dei dona sunt; nec a ullum eorum dari
 gratis, cum in eis Dei gratia, quæ non nisi
 gratuita est, prædicetur. Quod videtis quàm
 sit absurdum; propter quod institimus, quan-
 tum potuimus, ut etiam ipsum initium fidei
 donum Dei esse ostenderemus. Quod & si
 diutiùs fecimus, quàm forsitan vellent hi prop-
 ter quos fecimus, hinc ab eis reprehendi pa-
 rati sumus: dum tamen etsi multò diutiùs
 quàm vellent, etsi cum fastidio ac tædio intel-
 ligentium, fateantur nos fecisse quod fecimus,
 id est, etiam initium fidei, sicut continentiam,
 patientiam, justitiam, pietatem, & cetera, de
 quibus cum his nulla contentio est, donum
 Dei esse docuisse. Hic ergo sit hujus volu-
 minis terminus, ne offendant unius nimia lon-
 gitude.

AD-

2. Viro cuidam erudito legendum videtur, nec nullum
 eorum dari gratis: quasi postea sequeretur, quippe cum
 in eis &c. At veteres codices, quotquot videre nobis
 licuit, cum editis consentientes ferunt, nec ullum eorum
 dari gratis: ut subsequenti sententiæ sensus sit, cum ta-
 men in eis &c. Moveret Vir eruditus, quòd semipelagiani,
 excepto initio bonæ voluntatis aut fidei, bona quæcum-
 que opera gratiæ Dei gratiæ assignent, ut videre est
 apud Cassianum in Collatione 17, cap. 13. & 17. teste
 quoque Hilario supra in epistola 226. ad Augustinum,
 n. 2. ubi ait: Ad nullum opus vel incipiendum, &c.
 Verùm id Augustinus contendit opinione ipsorum, vellent
 nolint, contineri, ut cetera Dei dona initio fidei tam-
 quam merito præcedente consequantur, nec ullum eorum
 gratis detur. Quem secutus Bonifacius Papa II. in epis-
 tola ad Cæsarium, concilii arausicani II. decreta confir-
 mans, scribit: Illor autem, qui præcedente fide, cetera,
 sicut indicas, volunt gratiæ deputare, sua professione
 constringimus, ut multò magis dono gratiæ etiam fidem con-
 gantur adscribere &c. Si enim nihil boni est sine fide,
 fides autem ipsa venire negetur ex gratia; nullum, quod
 absit, bonum erit gratiæ deputandum. Epistolam Bonifacii
 exhibemus integram in 2. parte Appendicis.

ADMONITIO
 IN SECUNDUM LIBRUM
 DE PRÆDESTINATIONE
 SANCTORUM,

vulgò

DE DONO PERSEVERANTIÆ nuncupatum.

RELIQUOS errores Semipelagianorum mas-
 siliensium coarguere pergit Augustinus. Ver-
 rùm ut maxima parte superioris libri de
 initio fidei egit, sic in primis partibus li-
 bri sequentis copiosè disserit de perseve-
 rantia perfectione. Nempe sanctus Doctor
 ex Prosperi & Hilarii litteris intellexit,
 prædestinationis & gratiæ inimicos duplici
 hoc errore propius à pelagianis recedere,
 quòd & initium fidei, & usque in finem per-
 severantiam sic in nostra constituent potesta-
 te (quemadmodum hic capite 17. loquitur)
 ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc
 habenda atque retinenda Deum operari nos-
 tras cogitationes & voluntates. Quamquam
 autem hoc posteriore libro & ad alias eorum
 quasdam adversus prædestinationem quæs-
 tiones respondeat; quia tamen ipso in exor-
 dio proponit disputandum de perseverantia,
 inde factum ut liber vulgò vel de dono Per-
 severantiæ nuncuparetur, vel (quæ ipsius

communior in antiquis codicibus inscriptio est) de bono Perseverantiæ, sub qua olim inscriptione citabatur à Remigio archiepiscopo lugdunensi in libro de tenenda Veritate Scripturæ cap. 9. à Floro seu Beda vulgato in Paulum, ab Hincmaro lib. de Prædestinatione cap. 1. &c. At certe Prosper, qui operis Hilario ac sibi dicati exemplaria prima & sinceriora conspexit, eundem utriusque libro inditum fuisse titulum tradit in principio libri Responsionum ad excerpta Genuensium. In libris, ait, beatæ memoriæ Augustini episcopi, quorum titulus est, de Prædestinatione sanctorum. Adstipulatur Prospero Noalliensis vetus codex, finito libro primo subjiciens: Explicit de Prædestinatione sanctorum beati Augustini episcopi liber primus. Incipit secundus. Finito autem hoc secundo: Explicit liber secundus sancti Augustini episcopi de Prædestinatione sanctorum. Pratellensis quoque ac Metensis MSS. in annotatione post Retractationes, quam tom. 1. pag. 63. reperies, libros de prædestinatione sanctorum duos recensent.

De iisdem libris Bellarminus in libro 2. de Gratia & libero arbitrio, cap. 11. Constat, inquit, delatam fuisse ad apostolicam sedem, Celestino pontifice, à Prospero & Hilario querimoniam, quod in Gallia presbyteri quidam doctrinam sancti Augustini de Prædestinatione reprehenderent. Quid autem Celestinus rescripserit, perspicuum est ex epistola ejus ad Gallos, in qua inter cetera, posteaquam magnis laudibus sanctum Augustinum extulit, ita subjunxit: Unde resistatur talibus, quos male crescere videmus &c. Et quoniam
» Gal-

» Galli respondebant, fuisse quidem à Pontifice commendatam sancti Augustini doctrinam, sed non approbatos in specie libros illos duos de Prædestinatione sanctorum, & de bono Perseverantiæ; contra sanctus Prosper in libro contra Collatorem, extremo loco demonstrat, Pontificem non potuisse hos libros non approbare, cum Augustini doctrinam probaverit, & hi libri à ceteris non dissentiant, &c. Deinde de Celestinus in ea epistola cap. 2. ita laudat Augustinum, ut dicat eum semper habitum à Romana Ecclesia pro magistro optimo, & nunquam eum fuisse saltem rumore sinistrae suspicionis aspersum. At quomodo ista dicere potuisset Celestinus, si Augustinus falsò scripsisset, fidem prædestinationis in Ecclesia catholica semper fuisse; & * CONTRA EAM NEMINEM NISI ERRANDO DISPUTARE POTUISSE? Nam si Augustini de prædestinatione sententia falsa esset, non posset idem Augustinus ab ingenti temeritate defendi: quippe qui non solum tam acriter pro falsitate certasset, sed etiam pro fide catholica venditare ausus esset, &c. Denique Gelasius in concilio LXX. episcoporum non solum probavit omnia scripta sancti Augustini, & sancti Prosperi; sed etiam contra damnavit libellos Joannis Cassiani & Faustini Regiensis: cum tamen non ignoraret, potissimam contentionem inter Prosperum & Cassianum, ac deinde inter Fulgentium & Faustum, de scriptis sancti Augustini de Prædestinatione sanctorum, & de bono Perseverantiæ fuisse.

* Lib. de dono perseverantiæ cap. 19.



S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE DONO PERSEVERANTIÆ
LIBER AD PROSPERUM
ET HILARIUM * SECUNDUS.

* Scriptus
post Retra-
ctationes,
anno Chris-
ti 428. aut
429.

Prima parte libri probat perseverantiam illam, qua in Christo perseveratur usque in finem, esse donum Dei. Hoc enim à Deo irrisoriè peti, si à Deo dari non creditur. Porro Dominica oratione nihil pend aliud posci quàm perseverantiam, juxta Cypriani martyris expositionem: qua quidem expositione ipsi gratiæ inimici convicti sunt antequàm nati. Perseverandi gratiam non secundum accipientium merita, sed aliis Dei misericordia dari, aliis justo ejus judicio non dari docet. Cur ex adultis ille potius quàm iste vocetur, quemadmodum & ex duobus parvulis cur iste assumatur, ille relinquatur, inscrutabile. Inscrutabilius verò, cur ex duobus piis, huic perseverare donetur, non illi: sed illud tamen certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Prædestinationis mysterium Dominicis verbis de Tyriis & Sidoniis, si eadem apud illos quæ apud Chorozain signa facta essent, pœnitentiæ acturis, monstrari observat. Exemplum parvulorum ad prædestinationis, & gratiæ in majoribus

ve-

veritatem firmandam valere ostendit: atque ad locum libri sui de libero Arbitrio tertii ab adversariis malè huc allatum respondet. Altera postea operis hujus parte refellit quod illi ajunt, prædestinationis definitionem utilitati exhortationis & correptionis adversam. Asserit contra prædestinationem utiliter prædicari, ut homo non in se ipso, sed in Domino gloriatur. Quæ autem ab illis adversus prædestinationem objectantur, eadem non absimiliter vel adversus Dei præscientiam, vel adversus gratiam illam, quam ad cetera bona (excepto initio fidei & perseverantiæ perfectione) necessariam esse consentiunt, posse torqueri. Prædestinationem quippe sanctorum nihil aliud esse quàm præscientiam & præparationem beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Verùm prædestinationem congrua ratione prædicari jubet, ac non eo modo ut apud imperitam multitudinem redargui ipsa sua prædicatione videatur. Postremò illustrissimum prædestinationis exemplum nobis positum ob oculos Dominum Jesum commendat.

I. **JAM** de perseverantia diligentius disputandum est: nam & in priore libro, cum ageremus de initio fidei, etiam de hac aliqua diximus. Asserimus ergo donum Dei esse perseverantiam qua usque in finem perseveratur in Christo. Finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur. Itaque utrùm quisque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, incertum est. Si enim priusquam moriatur ca-

EE 4

dat,

CAPUT I.
De qua hic
perseve-
rantia dis-
putetur.



S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE DONO PERSEVERANTIÆ
LIBER AD PROSPERUM
ET HILARIUM * SECUNDUS.

* Scriptus
post Retra-
ctationes,
anno Chris-
ti 428. aut
429.

Prima parte libri probat perseverantiam illam, qua in Christo perseveratur usque in finem, esse donum Dei. Hoc enim à Deo irrisoriè peti, si à Deo dari non creditur. Porro Dominica oratione nihil pend aliud posci quàm perseverantiam, juxta Cypriani martyris expositionem: qua quidem expositione ipsi gratiæ inimici convicti sunt antequàm nati. Perseverandi gratiam non secundum accipientium merita, sed aliis Dei misericordia dari, aliis justo ejus judicio non dari docet. Cur ex adultis ille potius quàm iste vocetur, quemadmodum & ex duobus parvulis cur iste assumatur, ille relinquatur, inscrutabile. Inscrutabilius verò, cur ex duobus piis, huic perseverare donetur, non illi: sed illud tamen certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Prædestinationis mysterium Dominicis verbis de Tyriis & Sidoniis, si eadem apud illos quæ apud Chorozain signa facta essent, pœnitentiam acturis, monstrari observat. Exemplum parvulorum ad prædestinationis, & gratiæ in majoribus

ve-

veritatem firmandam valere ostendit: atque ad locum libri sui de libero Arbitrio tertii ab adversariis malè huc allatum respondet. Altera postea operis hujus parte refellit quod illi ajunt, prædestinationis definitionem utilitati exhortationis & correptionis adversam. Asserit contra prædestinationem utiliter prædicari, ut homo non in se ipso, sed in Domino gloriatur. Quæ autem ab illis adversus prædestinationem objectantur, eadem non absimiliter vel adversus Dei præscientiam, vel adversus gratiam illam, quam ad cetera bona (excepto initio fidei & perseverantiæ perfectione) necessariam esse consentiunt, posse torqueri. Prædestinationem quippe sanctorum nihil aliud esse quàm præscientiam & præparationem beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Verùm prædestinationem congrua ratione prædicari jubet, ac non eo modo ut apud imperitam multitudinem redargui ipsa sua prædicatione videatur. Postremò illustrissimum prædestinationis exemplum nobis positum ob oculos Dominum Jesum commendat.

I. **JAM** de perseverantia diligentius disputandum est: nam & in priore libro, cum ageremus de initio fidei, etiam de hac aliqua diximus. Asserimus ergo donum Dei esse perseverantiam qua usque in finem perseveratur in Christo. Finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur. Itaque utrùm quisque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, incertum est. Si enim priusquam moriatur ca-

EE 4

dat,

CAPUT I.
De qua hic
perseve-
rantia dis-
putetur.

dat, non perseverasse utique dicitur, & verissimè dicitur. Quomodo ergo perseverantiam, qui non perseveravit, accepisse vel habuisse dicendus est? Nam si habeat aliquis continentiam, & ab ea decidat atque incontinentens fiat, si justitiam similiter, si patientiam, si ipsam fidem, rectè dicitur habuisse & non habere: continens enim fuit, vel justus fuit, vel patiens, vel fidelis fuit, quamdiu fuit; cum verò esse destitit, non est quod fuit: qui verò non perseveraverit, quomodo perseverans fuit; cum perseverando quisque ostendat se perseverantem, quod iste non fecit? Sed ne quisquam reluctetur & dicat: Si ex quo fidelis quisque factus est, vixit, verbi gratia, decem annos, & eorum medio tempore à fide lapsus est, nonne quinque annos perseveravit? Non contendo de verbis, si & illa perseverantia putatur esse dicenda tamquam temporis sui: hanc certè de qua nunc agimus perseverantiam, qua in Christo perseveratur usque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem: potiusque hanc habuit unius anni fidelis, & quantum infra cogitari potest, si donec moreretur fideliter vixit, quàm multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem à fidei stabilitate defecit.

CAPUT II.

Matth. 10.
22.

Phil. 2. 29.

2. QUO constituto videamus, utrum hæc perseverantia, de qua dictum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit;* donum sit Dei. Quòd si non sit, quomodo verum est quod Apostolus ait: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo?* Horum quippe unum pertinet ad initium, alterum ad finem: utrumque tamen est Dei do-

donum, quia utrumque dictum est esse donatum, sicut & superius jam diximus. Quod enim est initium verius christiano, quàm credere in Christum? Quis finis melior, quàm pati pro Christo? Sed quod ad id pertinet ut credatur in Christum, qualiscumque inventa est contradictio, ut donum Dei non initium, sed augmentum fidei diceretur: cui opinioni donante Domino satis superque respondimus. Quid autem dici potest, cur perseverantia usque in finem non donetur in Christo, cui donatur pati pro Christo, aut, ut expressius eloquar, cui donatur mori pro Christo? Nam & Petrus Apostolus donum Dei hoc esse demonstrans: *Melius est, inquit, bene facientes, si velit voluntas Dei, pati, quàm male facientes.* Cum dicit, *si velit voluntas Dei*, ostendit hoc divinitus donari, nec omnibus sanctis, ut pro Christo patiantur. Neque enim quos non vult voluntas Dei pervenire ad experientiam gloriamque passionis, non perveniunt ad regnum Dei, si perseveraverint in Christo usque in finem. Sed quis dicat, istis non donari hanc perseverantiam, qui agilitudine corporis vel quocumque casu moriuntur in Christo; cum longè difficilior donetur illis, à quibus suscipitur & mors ipsa pro Christo? Multò quippe difficilior perseveratur, ubi hoc agit qui persequitur ne perseveretur, & propterea usque ad mortem sustinetur ut perseveretur. Illam proinde difficilior perseverantiam, istam facillius est habere: sed cui nihil difficile est, facile est utramque donare. Hanc enim promisit Deus, dicens: *Timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant.* Quod quid est aliud, quàm talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor

Fides initium est hominis christiani, martyrimum pro Christo finis optimus.

1. Petr. 3.
17.

®

Fer. 32. 40.

cor eorum, ut mihi perseveranter adhæreant?

3. Cur autem perseverantia ista poscitur à Deo, si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur quod scitur non ipsum dare, sed ipso non dante esse in hominis potestate; sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ex hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit? Sed quod ibi dixi, hoc & hic dico.

Lib. superiore, cap. 19. n. 39. Gal. 6. 7.

Nolite errare, inquit Apostolus, *Deus non irridetur*. O homo, non verborum tuorum tantum, verum etiam cogitationum testis est Deus: si aliquid à tanto divite veraciter ac fideliter poscis; ab illo, à quo poscis, te accipere crede quod poscis. Noli eum labiis honorare, & super eum corde te extollere, credens à te ipso tibi esse, quod ab illo te fingis orare. An ab illo perseverantia ista fortè non poscitur? Jam hoc qui dicit, non meis disputationibus refellendus, sed sanctorum orationibus aonerandus est. An verò quisquam eorum est, qui non sibi poscat à Deo ut perseveret in eo; cum ipsa oratione quæ Dominica nuncupatur, quia eam Dominus docuit, quando oratur à sanctis, nihil penè aliud quam perseverantia posci intelligatur?

Perseverantiam tota penè oratione Dominica petimus.

4. Legite aliquanto intentiùs ejus expositionem in beati Cypriani martyris libro, quem de hac re condidit, cujus est titulus: De Dominica oratione; & videte ante quot annos, contra ea quæ futura erant pelagianorum venena, quale sit antidotum præparatum. Nam tria sunt, ut scitis, quæ maximè adversus eos catholica defendit Ecclesia: quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nos-

Pelagianæ doctrinæ tria potissimum capita.

a Sic omnes MSS. At editi, *revocandus est*.

nostra dari; quoniam Dei dona sunt, & Dei gratia conferuntur etiam merita universa justorum: alterum est, in quantacumque justitia sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere: tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum, nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione solvatur. Horum trium hoc, quod loco ultimo posui, solum non tractatur in supradicto gloriosi martyris libro: de duobus verò ceteris tanta illic perspicuitate disseritur, ut supradicti hæretici, novi inimici gratiæ Christi, longè antè reperiantur convicti esse quàm nati. In his ergo meritis sanctorum, quæ nulla nisi Dei dona sunt, etiam perseverantiam donum Dei esse sic loquitur. *Dicimus*, inquit, *sanctificetur nomen tuum: non quòd optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris, sed quòd petamus ab eo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Ceterum à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit: Sancti stote, quoniam & ego sanctus sum: id petimus & rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseveremus. Et paulò post de hac ipsa re adhuc disputans, & docens nos perseverantiam petere à Domino; quod nullo modo rectè ac veraciter faceret, nisi ejus donum & hoc esset: *Hæc*, inquit, *sanctificatio ut in nobis permaneat oramus, & quia Dominus & judex noster sanato à se & vivificato comminatur non delinquere, ne quid ei deterius**

Cyprian. de Dominica orat. Matt. 6.9.

Lev. 19.2.

Joan. 5. 14.

a MSS. *quomodo & ego*. Sic suprà constanter ferebant in libro de Correctione & Gratia cap. 6.

rius fiat: hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus & noctibus postulamus, ut sanctificatio & vivificatio, quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur. In sanctificatione igitur perseverantiam, hoc est, ut in sanctificatione perseveremus, nos ab eo petere iste doctor intelligit, cum sanctificati dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*. Quid est enim aliud petere quod accepimus, nisi ut id quoque nobis præstetur, ne habere desinamus? Sicut ergo sanctus, cum Deum rogat ut sanctus sit, id utique rogat ut sanctus esse permaneat; ita utique & castus, cum rogat ut castus sit; continens, ut continens sit; justus, ut justus; pius, ut pius; & cetera, quæ contra pelagianos dona Dei esse defendimus, hoc sine dubio petunt, ut in eis perseverent bonis, quæ se accepisse noverunt. Quod si accipiunt, profectò & ipsam perseverantiam magnum Dei donum, quo cetera dona ejus conservantur, accipiunt.

Matth. 6.
10.

5. Quid, cum dicimus: *Veniat regnum tuum*; num aliud poscimus, nisi ut veniat & nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus sanctis? Ergo & hîc, qui jam sancti sunt, quid orant, nisi ut in ea sanctitate quæ illis data est perseverent? Neque enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non aliis, sed his qui perseverant usque in finem, certum est esse venturum.

CAP. III.
Matth. 6.
10.

6. TERTIA petitio est: *Fiat voluntas tua in celo & in terra*; vel quod in plerisque codicibus legitur, magisque ab orantibus frequentatur, *sicut in celo & in terra*; quod plerique intelligunt, sicut sancti Angeli*, & nos faciamus voluntatem tuam. Vult au-

Quomodo
petamus
quæ acce-
pimus.

autem ille doctor & martyr, cælum & terram intelligi spiritum & carnem, & hoc nos orare, ut voluntatem Dei re utraque concordante faciamus. Vidit in his verbis & alterum sensum sanissimæ fidei congruentem, de quo jam supra locuti sumus: ut scilicet pro infidelibus qui sunt adhuc terra, terrenum tantum hominem prima nativitate portantes, orare intelligantur fideles, qui cælesti homine induti, non immeritò cæli nomine nuncupantur. Ubi evidenter ostendit, & initium fidei esse donum Dei, quando non tantum pro fidelibus ut augeatur in eis vel perseveret fides, verum etiam pro infidelibus ut habere incipiant eam quam penitus non habebant, & contra quam corda insuper inimica gestabant, sancta orat Ecclesia. Verum nunc non de initio fidei, de quo in superiore libro multa jam diximus; sed de illa quæ habenda est usque in finem perseverantia disputamus, quam petunt utique etiam sancti qui faciunt voluntatem Dei, dicentes in oratione: *Fiat voluntas tua*. Cum enim jam facta sit in eis, cur ut fiat adhuc petunt, nisi ut perseverent in eo quod esse cœperunt? Quamvis hîc dici possit, non petere sanctos, ut voluntas Dei fiat in cælo; sed ut fiat in terra sicut in cælo: ut terra scilicet imitetur cælum, id est, ut homo Angelum, vel infidelis fidelem: ac per hoc id sanctos poscere, ut sit quod nondum est, non ut perseveret quod est. Quantalibet enim homines sanctitate præpolleant, nondum sunt æquales Angelis Dei: nondum ergo sicut in cælo in eis fit voluntas Dei. Quod si ita est, in ea quidem parte qua optamus, ut homines ex infidelibus fiant fideles, non perseverantia, sed initium videtur optari: in

faciunt.
Cælum &
terra quo-
modo in
oratione
Dominica
accipian-
tur.

ea verò qua optamus, ut homines in facienda voluntate Dei æquentur Angelis Dei, cum hoc orant sancti, perseverantiam demonstrantur orare: quoniam nemo pervenit ad illam summam, quæ in regno est, beatitudinem, nisi in ea sanctitate quam sumpsit in terra, perseveraverit usque in finem.

CAPUT IV.
Matth. 6.
11.

7. QUARTA petitio est: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ubi beatus Cyprianus ostendit quomodo & hinc intelligatur perseverantia postulari. Ait quippe inter cetera: *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes à celesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.* Hæc verba sancti hominis Dei perseverantiam prorsus à Domino sanctos indicant poscere, quando hac intentione dicunt: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;* ne à Christi corpore separentur, sed in ea sanctitate permaneant, qua nullum quo inde separari mereantur, crimen admittant.

CAPUT V.
Matth. 6.
12.

8. QUINTO orationis loco dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* In qua sola petitione non invenitur posci perseverantia. Præterita enim sunt peccata, quæ nobis ut dimittantur oramus: perseverantia verò quæ in æternum salvos facit, temporis quidem hujus vitæ, non tamen peracto, sed ei quod usque ad ejus finem restat, est necessaria. Operæ pretium est tamen paulisper intueri, quomodo & in hac petitione jam tunc linguâ Cypria-

priani, tamquam telo^a invictissimo veritatis, longè postea futuri confodiebantur hæretici. Etiam hoc enim pelagiani audent dicere, hominem justum in hac vita nullum habere omnino peccatum, & in talibus hominibus esse jam præsentis temporis Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi, quæ una & sola sponsa sit Christi: tamquam sponsa ejus non sit, quæ per universam terram quod ab eo didicit, dicit: *Dimitte nobis debita nostra.* Sed attendite quomodo istos gloriosissimus Cyprianus interimat. Cum enim locum ipsum Dominicæ orationis exponeret, ait inter cetera: *Quàm necessariè autem, quàm providenter & salubriter admonemur, quòd peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur: ut dum indulgentia de Deo petitur, conscientie suæ animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus peccet, instruitur & docetur se peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique & Joannes in epistola sua ponens dixit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est; & cetera quæ hic inserere longum est.*

9. Jam verò cum dicunt sancti: *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo;* quid aliud quàm ut in sanctitate perseverent, precantur? Nam profectò concesso sibi isto Dei dono, quod esse Dei donum, cum ab illo poscitur, satis apertèque monstratur: isto ergo concesso sibi dono Dei, ne inferantur in tentationem, nemo sanctorum non tenet

a
Pelagianorum error, justos omnino peccato carere.
Eph. 5. 27.

I. Joan. I. 8.

Matth. 6. 13.
Perseverantia sibi concessa nemo non perseverat.

a In ante editis, *invictissima.*

net usque in finem perseverantiam sanctitatis. Neque enim quisquam in proposito a christiano perseverare desistit, nisi in tentationem primitus inferatur. Si ergo concedatur ei quod orat, ut non inferatur; utique in sanctificatione, quam Deo donante percepit, Deo donante persistit.

CAPUT VI.

Suprà in
epist. Hila-
rii, n. 3.

Cap. I.

10. Sed nolunt, ut scribitis, isti fratres, ita hanc perseverantiam prædicari, ut non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Ubi quid dicant, parum diligenter attendunt. De illa enim perseverantia loquimur, qua perseveratur usque in finem: quæ si data est, perseveratum est usque in finem; si autem non est perseveratum usque in finem, non est data; quod jam & superius satis egimus. Non itaque dicant homines, perseverantiam cuiquam datam usque in finem, nisi cum ipse venerit finis, & perseverasse cui data est repertus fuerit usque in finem. Dicimus quippe castum quem novimus castum, sive sit, sive non sit in eadem castitate mansurus; & si quid aliud divini muneris habeat, quod teneri & amitti potest, dicimus eum habere quamdiucumque habet; & si amiserit, dicimus habuisse: perseverantiam verò usque in finem, quoniam non habet quisquam, nisi qui perseverat usque in finem; multi eam possunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum est, ne fortè cum perseveraverit homo usque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseveret usque in finem. Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest: sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Cum enim perseveraverit quis-

Perseverantia donum precibus obtineri potest.

2. Sic omnes MSS. At editi, christianitatis.

quisque usque in finem, neque hoc donum potest amittere, nec alia quæ poterat ante finem. Quomodo igitur potest amitti, per quod fit ut non amittatur etiam quod posset amitti?

11. Sed ne fortè dicatur, usque in finem perseverantiam non amitti quidem, cum data fuerit, id est, cum perseveratum fuerit usque in finem, sed tunc amitti quodammodo, quando agit homo per contumaciam, ut ad eam pervenire non possit (sicut dicimus hominem, qui non perseveraverit usque in finem, amisisse vitam æternam, vel regnum Dei; non quod jam acceperat & habebat, sed quod acciperet & haberet, si perseverasset) verborum controversias auferamus, & nonnulla etiam quæ non habentur, sed habenda sperantur, posse dicamus amitti. Dicat mihi quisquis audeat, utrum Deus dare non possit, quod à se posci imperavit? Hoc certe qui sapit, non dico desipit, sed insanit. Imperavit autem Deus, ut ei sancti ejus dicant orantes: *Ne inferas nos in tentationem.* Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, qua possit, vel dignus sit perseverantiam sanctitatis amittere.

12. At enim, *voluntate sua quisque deserit Deum, ut merito deseratur à Deo.* Quis hoc negaverit? Sed ideo petimus, ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat. Et si exaudimur, utique non fit; quia Deus non permittit ut fiat. Nihil enim fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit. Potens ergo est, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere, ac dirigere in sibi placitum gressum. Cui non frustra dicitur: *Deus, tu convertens vivificabis*

Occupatio.

Matth. 6.
13.Occupatio.
Voluntate
sua quisque
deserit
Deum, ut
merito de-
seratur.Psal. 84. 7.
bis

Psal. 65. 9. bis nos ; non frustra dicitur : *Ne des ad movendum pedem meum* ; non frustra dicitur : *Ne tradas me , Domine , à desiderio meo peccatori* ; postremo , ne multa commemorem , cum vobis plura fortassis occurrant , non frustra dicitur : *Ne nos inferas in tentationem*. Nam quisquis in tentationem non infertur , profecto nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur : & qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur , in nullam prorsus infertur. *Unusquisque enim , tentatur* , ut scriptum est , *à concupiscentia sua abstractus & illectus : Deus autem neminem tentat* ; tentatione scilicet noxia. Nam est & utilis , qua a non decipimur vel opprimimur , sed probamur , secundum quod dictum est : *Proba me , Domine , & tenta me*. Illa ergo noxia tentatione , quam significat *1. Thez. 3. 5.* Apostolus , dicens : *Ne forte tentaverit vos qui tentat , & inanis sit labor noster* , Deus , ut dixi , neminem tentat , hoc est , neminem infert vel inducit in tentationem. Nam tentari & in tentationem non inferri , non est malum , imò etiam bonum est : hoc est enim probari. Quod itaque dicimus Deo : *Ne nos inferas in tentationem* ; quid dicimus , nisi , ne nos inferri sinas ? Unde sic orant nonnulli , & legitur in codicibus pluribus , & hoc sic posuit beatissimus Cyprianus : *Ne patiaris nos induci in tentationem*. In Evangelio tamen græco nusquam inveni , nisi : *Ne nos inferas in tentationem*. Tutiores igitur vivimus , si totum Deo damus , non autem nos illi ex parte , & nobis ex parte committimus : quod vidit iste venerabilis martyr.

Nam

^a Am. Er. & MSS, quando non decipimur.

Nam cum eundem locum orationis exponeret , ait post cetera : *Quando autem rogamus , ne in tentationem veniamus ; admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ , dum sic rogamus , ne quis se insolenter extollat , ne quis sibi superbe & arroganter aliquid assumat , ne quis aut confessionis aut passionis gloriam suam a ducat : cum Dominus ipse humilitatem docens , dixerit : Vigilate & orate , ne veniatis in tentationem ; spiritus quidem promptus est , caro autem infirma : ut dum præcedit humilis & submissa confessio , & datur totum Deo , quidquid suppliciter cum timore Dei petitur , ipsius pietate præstetur*.

13. SI ergo alia documenta non essent , hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ , quam defendimus , sola sufficeret : quia nihil nobis reliquit , in quo tamquam in nostro gloriemur. Siquidem & ut non discedamus à Deo , non ostendit dandum esse nisi à Deo , cum poscendum ostendit à Deo. Qui enim non infertur in tentationem , non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii , quales nunc sunt : fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit , apparuit in Angelis , qui diabolo cum suis cadente in veritate steterunt , & ad securitatem perpetuam non cadendi , in qua nunc eos esse certissimi sumus , pervenire meruerunt. Post casum autem hominis , non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere , ut homo accedat ad eum ; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere ,

In conditi hominis viribus erat , non discedere à Deo : ad solam nunc Dei gratiam pertinet , ut ad Deum accedamus & ab eo non recedamus.

FF 2

ut

^a Idem codices , dicat.

ut homo non recedat ab eo.

Eph. 1. 11. 14. Hanc gratiam posuit in illo, in qua sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui universa operatur.

Ac per hoc sicut operatur ut accedamus, sic operatur ne discedamus. Propter quod ei per a
Ps. 79. 18. Prophetam dictum est: *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi, & non discedimus à te.* Iste certè non est Adam primus, in quo discessimus ab eò; sed Adam novissimus, super quem fit manus ejus, ut non discedamus ab eo. Christus enim totus cum membris suis est, propter Ecclesiam, quæ est corpus ejus, plenitudo ejus. Cùm ergo fit super eum manus Dei, ut non discedamus à Deo, ad nos utique pervenit opus Dei (hoc est enim manus Dei) c quo opere Dei fit ut simus in Christo permanentes cum Deo; non sicut in Adam, discedentes à Deo. In Christo enim sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui universa operatur. Manus igitur Dei est ista, non nostra, ut non discedamus à Deo. Manus, inquam, ejus est ista, qui dixit: *Timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant.*

15. Propter quod & posci à se voluit, ne inferamur in tentationem: quia & si non inferimur, nulla ab eo ratione discedimus. Quod poterat nobis & non orantibus dari: sed oratione nostra nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim, ni-

Peti à se
 cur Deus
 voluerit,
 quæ possit
 etiam

a Aliquot MSS. per prophetiam.

b Particula enim abest à veteri codice Corb.

c Sic nostri omnes & Belgici tres MSS. Editi verò, quoniam.

nisi ab illo accipimus, à quo jussum est ut petamus? Prorsus in hac re non operosas disputationes expectet Ecclesia; sed adtendat quotidianas orationes suas. Orat, ut increduli credant: Deus ergo convertit ad fidem. Orat, ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque in finem. a

Hæc Deus facturum se esse præscivit: IPSA
 „EST PRÆDESTINATIO SANCTO-
 „RUM, quos elegit in Christo ante cons-
 „titutionem mundi, ut essent sancti & im-
 „maculati in conspectu ejus in caritate, præ-
 „destinans eos in adoptionem filiorum per
 „Jesum Christum in ipsum, secundum pla-
 „citum voluntatis suæ in laudem gloriæ gra-
 „tiæ suæ, in qua gratificavit eos in dilecto
 „Filio suo, in quo habent redemptionem per
 „sanguinem ipsius, remissionem peccatorum
 „secundum divitias gratiæ ejus, quæ abundavit in eos in omni sapientia & prudentia,
 „ut ostenderet eis mysterium voluntatis suæ
 „secundum bonam voluntatem suam, quam
 „proposuit in illo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo quæ in cælis sunt & quæ in terris in ipso,
 „in quo etiam & sortem consecuti sumus,
 „prædestinati secundum propositum qui uni-
 „versa operatur.” Contra istam veritatis tam claram tubam, quis homo sobriæ vigilantisque fidei voces ullas admittat humanas?

16. SED cur, inquit, gratia Dei non secundum merita hominum datur? Respondeo: Quoniam Deus misericors est. Cur ergo, inquit, non omnibus? Et hic respondeo:

FF 3

Quo-
 a Am. & Er. Hoc Deus futurum esse præscivit. Correxerunt Lovanienses ex Belgicorum MSS. fide, quibus Gallici nostri & Vaticani suffragantur.

etiam non
 orantibus
 dare.

a
 Eph. 1. 4.
 & seq.

CAP. VIII

^a Quoniam Deus iudex est. Ac per hoc & gratis ab eo datur gratia; & justo ejus in aliis iudicio demonstratur, quid in eis quibus datur conferat gratia. Non itaque simus ingrati, quod secundum placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut si inde neminem liberaret, non esset injustus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non injustam iudicati sunt ire, sed justam. Qui ergo liberatur, gratiam diligit: qui non liberatur, debitum agnoscat. Si in remittendo debito bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, nusquam esse apud Deum iniquitas invenitur.

*Matt. 20.
1. & seq.*

17. *Sed cur, inquit, non solum in parvulorum, verum etiam in geminorum una atque eadem causa, tam diversum iudicium? Nonne similis quæstio est, cur in diversa causa idem iudicium? Recolamus igitur illos operarios in vinea qui toto die laboraverunt, & eos qui hora una: nempe causa diversa est impensi laboris, & tamen idem iudicium in redditione mercedis. Numquid & hic audierunt murmurantes à patre familias, nisi: Hoc volo? Ita quippe ejus erga alios fuit largitas, ut erga alios nulla esset iniquitas. Et isti quidem utrique in bonis sunt: verumtamen quantum ad justitiam spectat & gratiam, potest & de reo qui liberatur, rectè dici ^b reo qui damnatur: Tolle quod tuum est, & vade; huic autem volo quod non debetur donare. An non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Hic ille si dicat: Cur*

*Ibid. 14.
& 15.*

^a Editi, iudex justus est. Abest justus à MSS.

^b Sic MSS. At editi, rectè dici: Volo: potest & de eo qui damnatur: Tolle &c.

Cur non & mihi? Meritò audiet: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Quem certè in uno vestrum benignissimum largitorem, in te verò exactorem justissimum, in nullo tamen cernis injustum. Cùm enim justus esset, etiam si utrumque puniret: qui liberatur, habet unde gratias agat; qui damnatur, non habet quod reprehendat.*

18. *Sed si jam, inquit, hoc oportebat, ut damnatis non omnibus, quid omnibus deberetur ostenderet, atque ita gratius suam gratiam vasis misericordiæ commendaret; cur in eadem causa me quàm illum potius puniet, aut illum quàm me potius liberabit? Hoc non dico, si quæris, quare. Quia fateor me non invenire quid dicam. Si & hoc quæris, quare: quia in hac re sicut justa est ira ejus, sicut magna est misericordia ejus, ita inscrutabilia iudicia ejus.*

19. *Adhuc pergat & dicat: Cur quibusdam qui cum coluerunt bona fide, perseverare usque in finem non dedit? Cur putas, nisi quia non mentitur qui dicit: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum? Numquid ergo hominum naturæ duæ sunt? Absit. Si duæ naturæ essent, gratia ulla non esset: nulli enim daretur gratuita liberatio, si naturæ debita redderetur. Hominibus autem videtur, omnes qui boni apparent fideles, perseverantiam usque in finem accipere debuisse. Deus autem melius esse iudicavit, miscere quosdam non perseveraturos certo numero sanctorum suorum; ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione securitas, non possint esse securi. Multos enim à perniciosa elatione reprimat quod ait Apostolus: Quapropter qui videtur stare,*

*1. Joan. 2.
19.*

Perseveraturiscur interdum non perseveraturos Deus admisceat.

*1. Cor. 10.
12.*

videat ne cadat. Voluntate autem sua cadit, qui cadit; & voluntate Dei stat, qui stat.
 Rom. 14. 4. *Potens est enim Deus statuere illum: non ergo se ipse, sed Deus. Verumtamen bonum est non altum sapere, sed timere. In cogitatione autem sua vel cadit quisque, vel stat. Sicut autem Apostolus ait, quod in libro superiore memoravi: Non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quem secutus & beatus Ambrosius audet & dicit: Non enim in potestate nostra cor nostrum, & nostrae cogitationes. Quod omnis qui humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit.*

Ambrosius
 De fuga saeculi, cap. I.

20. Hoc autem Ambrosius ut diceret, in eo libro loquebatur quem *De fuga saeculi* scripsit, docens, hoc saeculum non corpore, sed corde fugiendum: quod nisi auxilio Dei fieri non posse disseruit. Ait enim: *Frequens nobis de fugiendo saeculo isto sermo; atque utinam quam facilis sermo, tam cautus & sollicitus affectus: sed, quod peius est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat; ut quod studeas vitare, hoc cogites animoque volvas. Quod cavere difficile est homini, exuere autem impossibile. Denique voti magis eam esse rem quam effectus, testatur Propheta dicendo: Declina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam. Non enim in potestate nostra cor nostrum & cogitationes nostrae, quae improviso offussa mentem animumque confundunt, atque alio trahunt quam tu proposueris: ad saecularia revocant, mundana inserunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoque in tempore quo ele-*

Psal. 118.
 36.

elevare mentem paramus, a inserti inanibus cogitationibus ad terrena plerumque dejici-mur. Non itaque in hominum, sed in Dei est potestate, ut habeant homines potestatem filii Dei fieri. Ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem, quae operetur per dilectionem: ad quod bonum sumendum & tenendum, & in eo perseveranter usque in finem proficiendum, non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; in cujus est potestate cor nostrum & cogitationes nostrae.

Joan. I. 12.

Gal. 5. 6.

2. Cor. 3. 5.

21. Ex duobus itaque parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; & ex duobus aetate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur; inscrutabiliora sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex praedestinis, illum non esse. *Nam si fuissent ex nobis*, ait unus praedestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum, *mansissent utique nobiscum.* Quid est quaeo: *Non erant ex nobis, nam si fuissent, mansissent utique nobiscum?* Nonne utrique a Deo creati, utrique ex Adam nati, utrique de terra facti erant, & ab eo qui dixit: *Omnem flatum ego feci*; unius ejusdemque naturae animas acceperant? Nonne postremo utrique vocati fuerant, & vocantem secuti, utrique ex impiis justificati, &

CAPUT IX.
 Inscrutabilem Dei
 judiciorum
 exempla.

I. Joan. 2.
 19.

Isaie 57.
 16.

per lavacrum regenerationis utriusque renovati? Sed si hæc audiret ille, qui sciebat proculdubio quod dicebat, respondere posset & dicere: Vera sunt hæc, secundum hæc omnia ex nobis erant; verumtamen secundum aliam quamdam discretionem non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Quæ est a tandem ista discretio? Patent libri Dei; non avertamus ad spectum: clamat Scriptura divina, adhibeamus auditum. Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati: non erant in Christo electi ante constitutionem mundi, non erant in eo sortem consecuti, non erant prædestinati secundum propositum ejus, qui universa operatur. Nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent.

22. Ut enim non dicam, quàm sit possibile Deo, aversas & adversas in fidem suam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant, nec ab illo aliqua superati tentatione discedant; cum possit & quod ait Apostolus facere, ut non eos permittat tentari super id quod possunt: ut ergo id non dicam, certè poterat illos Deus præsciens esse lapsuros, antequàm id fieret, auferre de hac vita. An eo redituri sumus, ut adhuc disputemus, quanta absurditate dicatur, judicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præscivit eos Deus perpetratos fuisse, si viverent? Quod ita abhorret à sensibus christianis, aut prorsus humanis, ut id etiam refellere pudeat. Cur enim non dicatur, & ipsum Evangelium cum

1. Cor. 10.
13.

Absurditas est, dicere judicandos mortuos de peccatis quæ perpetrati fuerant, si vixissent.

a Omnes MSS. tamen.

cum tanto labore passionibusque sanctorum frustra esse prædicatum, vel adhuc etiam prædicari; si judicari poterant homines, etiam non audito Evangelio, secundum contumaciam vel obedientiam, quam præscivit Deus habituros fuisse, si audissent? Nec damnerentur Tyrus & Sydon, quàmvis remissiùs quàm illæ civitates, in quibus non credentibus à Domino Christo mirabilia signa sunt facta: quoniam si apud illas facta essent, in cinere & cilicio poenitentiam egissent; sicut se habent eloquia veritatis, in quibus verbis suis Dominus Jesus altius nobis mysterium prædestinationis ostendit.

23. Si enim quæretur à nobis, cur apud eos tanta miracula facta sint qui videntes ea non fuerant credituri, & apud eos facta non sint qui crederent si viderent; quid respondebimus? Numquid dicturi sumus, quod in libro illo dixi, ubi sex quibusdam quæstionibus paganorum, sine præjudicio tamen aliarum caussarum, quas prudentes possunt vestigare, respondi? Hoc quippe, ut scitis, cum Christus quare post tam longa tempora venerit, quæreretur, dixi, "quod his temporibus & his locis quibus Evangelium ejus non est prædicatum, tales omnes in ejus prædicatione futuros esse præsciebat, quales multi in ejus corporali præsentia fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt. Item paulò post in eodem libro, atque in eadem quæstione: Quid mirum, inquam, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus sæculis noverat, ut eis prædicari meritò nolle, quos nec verbis nec miraculis suis credituros esse præsciebat?" Hæc certè de Tyro & Sidone non

Luca 10.
13. & seq.
Matth. 11.
21. & 22.

Cur Tyriis & Sidoniis credituris non sint facta miracula, quæ aliis facta fuere non credituris.

Epist. 102.
quest. 2.

non

non possumus dicere, & in eis cognoscimus ad eas causas prædestinationis hæc divina iudicia pertinere, sine quarum causarum latentium præiudicio tunc ista respondere me dixi. Facile est quippe ut infidelitatem accusemus iudeorum de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt. Quod & Dominus increpans arguit, & dicit: *Væ tibi, Chorozain & Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere penitentiam egissent.* Sed numquid possumus dicere, etiam tyrios & sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent? Cum eis ipse Dominus adtestetur, quod acturi essent magnæ humilitatis penitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum. Et tamen in die iudicii punientur, quamvis minori supplicio quam illæ civitates, quæ apud se virtutibus factis credere noluerunt. Secutus enim Dominus ait: *Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicii quam vobis.* Severius ergo punientur isti, illi remissius, sed tamen punientur. Porro si etiam secundum facta quæ facturi essent si viverent, mortui iudicantur; profecto quia fideles futuri erant isti, si eis cum tantis miraculis fuisset Evangelium prædicatum, non sunt utique puniendi: punientur autem: * falsum est igitur & secundum ea mortuos iudicari, quæ facturi essent si ad viventes Evangelium perveniret. Et si hoc falsum est, non est cur dicatur de infantibus qui pereunt sine baptismo morientes, hoc in eis eo merito fieri, quia præcivit eos Deus, si viverent, prædicatumque illis fuisset Evangelium,

Luc. 10. 13.
Matth. 11.
21.

Matth. 11.
22.
Luc. 10. 14.

Mortui non iudicantur secundum facta quæ facturi essent, si viverent.

* Hic incipit CAPUT X. apud Am. & Er.

lium, infideliter audituros. Restat igitur ut solo peccato originali teneantur obstricti, & propter hoc solum eant in damnationem; a quod videmus aliis eandem habentibus causam, non nisi per Dei gratuitam gratiam regeneratione donari; & ejus occulto, justo tamen iudicio, quoniam non est iniquitas apud Deum, quosdam etiam post baptismum pessimè vivendo perituros, in hac tamen vita quousque pereant detineri; qui non perirent, si eis corporis mors, lapsum eorum præveniens, subveniret. Quoniam nullus mortuus iudicatur ex bonis seu malis, quæ fuerat si non moreretur acturus: alioquin tyrii & sidonii non secundum ea quæ gesserunt pœnas luerent; sed potius secundum ea quæ gesturi fuerant, si in eis illæ virtutes evangelicæ factæ fuissent, per grandem penitentiam & per Christi fidem consequerentur salutem.

Rom. 9. 14.

CAPUT X.

24. QUIDAM disputator catholicus non ignobilis hunc Evangelii locum sic exposuit, ut diceret, præcisse Dominum tyrios & sidonios à fide fuisse postea recessuros, cum factis apud se miraculis credidissent, & misericordia potius non eum illic ista fecisse: quoniam graviore pœnæ obnoxii fierent, si fidem quam tenuerant reliquissent, quam si eam nullo tempore tenuissent. In qua sententia docti hominis & admodum acuti, quæ sint adhuc meritò requirenda, quid me nunc adinet dicere, cum & ipsa nobis ad id quod agimus suffragetur? Si enim miseratione Dominus non fecit in istis virtutes, per quas fie-

a Sic MSS. Editi verò, quoniam videmus. Et infra, per Dei gratuitam gratiam regenerationem donari.

fieri possent fideles, ne gravius punirentur cum postea fierent infideles, quod eos futuros fuisse præcivit; satis aperteque monstratur, de his peccatis neminem judicari mortuorum, quæ præcivit fuisse facturum, si aliquo modo ei ne illa faciat subvenitur: sicut tyriis & sidoniis, si sententia illa vera est, subvenisse dicitur Christus, quos maluit non accedere ad fidem, quam scelere multo graviore discedere à fide, quod eos, si accessissent, præviderat fuisse factoros. Quamvis si dicatur: Cur non factum est ut crederent potius, & hoc eis præstaretur, ut antequam fidem relinquerent, ex hac vita migrarent? Quid responderi possit, ignoro. Qui enim dicit, relicturis fidem beneficio fuisse concessum, ne habere inciperent quod graviore impietate desererent, satis indicat non judicari hominem ex eo quod prænoscur male fuisse facturum, si ei quocumque beneficio ut id non faciat consulatur. Consultum est igitur & illi, qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Sed cur non ita consultum fuerit tyriis ac sidoniis, ut crederent & raperentur, ne malitia mutaret intellectum eorum; forsitan responderet ille, cui placuit isto modo hanc solvere quæstionem: ego verò quantum ad hoc quod ago adinet, sufficere video, ut secundum istam quoque sententiam, demonstrantur homines non judicari de his quæ non fecerunt, etiam si facturi fuisse prævisi sunt. Quamquam, ut dixi, hanc opinionem, qua putantur in morientibus vel mortuis vindicari peccata, quæ præciti sunt facturi esse si viverent, etiam refellere pudeat; ne videamur & nos existimasse alicujus esse momenti, quam malimus dis-

502. 4. II.

disputatione cohibere, quam silentio præterire.

25. PROINDE sicut Apostolus ait: *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*; qui & parvulis quibus vult, etiam non volentibus neque currentibus subvenit, quos ante constitutionem mundi elegit in Christo, daturus eis gratiam gratis, hoc est, nullis eorum vel fidei vel operum meritis præcedentibus: & majoribus etiam his quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subvenire, non subvenit; de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed justè aliud judicavit. *Non enim est iniquitas apud Deum; sed inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus: universæ autem viæ Domini misericordia & veritas.* Investigabilis ergo est misericordia, qua cuius vult miseretur, nullis ejus præcedentibus meritis: & investigabilis veritas, qua quem vult obdurat, ejus quidem præcedentibus meritis, sed cum eo cuius miseretur plerumque communibus. Sicut duorum geminorum, quorum unus assumitur, unus relinquitur, dispar est exitus, merita communia: in quibus tamen sic alter magna Dei bonitate liberatur, ut alter nulla ejus iniquitate damnetur. Numquid enim iniquitas est apud Deum? Absit: sed investigabiles sunt viæ ipsius. Itaque misericordiam ejus in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur, sine dubitatione credamus: neque inscrutabilia scrutari, aut investigabilia vestigare conemur. Ex ore quippe infantium & lactentium suam perficit laudem: ut quod in his videmus quorum liberationem bona eorum merita nulla præcedunt, & in his quorum damnationem utrisque com-

CAPUT XI.
Rom. 9. 16.

Rom. 9. 14

Rom. 11.

33.

Psal. 24.

10.

Rom. 9. 18.

Psal. 8. 3

munia originalia sola præcedunt; hoc & in majoribus fieri nequaquam omnino cunctemur: id est, non putantes, vel secundum sua merita gratiam cuiquam dari, vel nisi suis meritis quemquam puniri, sive pares qui liberantur atque puniuntur, sive dispares habeant causas malas; ut qui videtur stare, videat ne cadat; & qui gloriatur, non in se ipso, sed in Domino gloriatur.

I. Cor. 10.
12.
I. Cor. 1.
31.

Suprà in
epist. hi-
lari n. 8.

Rom. 5. 12.
& 16.

Manichæi
libros vete-
ris instru-
menti non
recipiunt,
novi non
nisi quos
volunt.

26. Cur autem causam parvulorum ad exemplum majorum, sicut scribitis, non patiuntur afferri, homines, qui contra pelagianos non dubitant esse peccatum originale, quod per unum hominem intravit in mundum, & ex uno omnes esse in condemnationem? Quod & manichæi non accipiunt, qui non solum omnes veteris instrumenti Scripturas in ulla auctoritate non habent; verum etiam eas quæ ad novum pertinent Testamentum sic accipiunt, ut suo quodam privilegio, imò sacrilegio, quod volunt sumant, quod nolunt rejiciant: contra quos agebam in libris de Libero arbitrio, unde isti nobis præscribendum putant. Ideo quæstiones operosissimas incidentes enucleatè solvere nolui, ne nimium longum opus esset, ubi me adversus tam perversos testimoniorum divinatorum non adjuvabat auctoritas. Et poteram, sicut feci, quodlibet horum verum esset, quæ non definite interponebam, certa tamen ratione concludere, in omnibus Deum esse laudandum, sine ulla necessitate credendi duas, sicut illi volunt, coæternas boni & mali permixtas esse substantias.

27. Denique in primo Retractationum libro, quod opus meum nondum legistis, cum ad eosdem libros retractandos venissem, hoc est

est, de Libero arbitrio, ita locutus sum. *In Retr. lib. 1. cap. 9.*
 „his, inquam, libris ita multa disserta sunt,
 „ut incidentes nonnullæ quæstiones quas vel
 „enodare non poteram, vel longam sermo-
 „cinationem in præsentem requirebant, ita dif-
 „ferrentur, ut ex utraque parte, vel ex om-
 „nibus earundem quæstionum partibus, in
 „quibus non apparebat quid potius congrue-
 „ret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nos-
 „tra concluderetur, ut quodlibet eorum verum
 „esset, laudandus crederetur, vel etiam os-
 „tenderetur Deus. Propter eos quippe dispu-
 „tatio illa suscepta est, qui negant ex libero
 „voluntatis arbitrio mali originem duci; &
 „Deum, si ita est, creatorem omnium na-
 „turarum culpandum esse contendunt, eo
 „modo volentes secundum suæ impietatis er-
 „rorem (Manichæi enim sunt) immutabilem
 „quamdam, & Deo coæternam introducere
 „naturam mali. Item post aliquantum alio lo-
 „co: Deinde dictum est, inquam, ex qua
 „miseria peccantibus justissimè inflicta liberat
 „Dei gratia: quia homo sponte, id est, li-
 „bero arbitrio cadere potuit, non etiam sur-
 „gere. Ad quam miseriam justæ damnationis
 „pertinet ignorantia, & difficultas, quam pa-
 „titur omnis homo ab exordio nativitatis suæ:
 „nec ab isto malo liberatur quisquam, nisi
 „Dei gratia. Quam miseriam nolunt pelagia-
 „ni ex juxta damnatione descendere, negan-
 „tes originale peccatum: quàmvis ignorantia
 „& difficultas etiamsi essent hominis primor-
 „dia naturalia, nec sic culpandus, sed lau-
 „dandus esset Deus, sicuti in eodem libro
 „tertio * disputavimus. Quæ disputatio con-
 „tra manichæos habenda est, qui non acci-
 „piunt Scripturas sanctas veteris instrumenti,
 Tom. IV. GG „in

* Cap. 20.

in quibus peccatum originale narratur ; & quidquid inde in litteris apostolicis legitur , detestabili impudentia immissum fuisse contendunt à corruptoribus Scripturarum , tamquam non fuerit ab Apostolis dictum. Contra pelagianos autem hoc defendendum est , quod utraque Scriptura commendat , quam se accipere profitentur." Hæc dixi in primo libro Retractationum , cum retractarem libros de Libero arbitrio. Nec sola sanè ista ibi à me dicta sunt de his libris ; verum & alia multa , quæ huic ad vos operi inserere longum putavi , & non necessarium : quod & vos existimo esse iudicaturos , cum omnia legeritis. Quàmvis ergo in libro tertio de Libero arbitrio ita de parvulis disputaverim , ut etiamsi verum esset quod dicunt pelagiani , ignorantiam & difficultatem , sine quibus nullus hominum nascitur , primordia , non supplicia esse naturæ ; vincerentur tamen manichæi , qui volunt duas , boni scilicet & mali , coæternas esse naturas : numquid ideo fides in dubium vocanda vel deserenda est , quam contra ipsos pelagianos catholica defendit Ecclesia , quæ asserit originale esse peccatum , cuius reatus generatione contractus , regeneratione solvendus est ? Quod si & isti fatentur nobiscum , ut simul in hac causa pelagianorum destruamus errorem : cur putant esse dubitandum , quòd etiam parvulos Deus , quibus dat suam gratiam per baptismatis sacramentum , eruat de potestate tenebrarum , & transferat in regnum Filii caritatis suæ ? In eo ergo quòd aliis eam dat , aliis non dat , cur nolunt cantare Domino misericordiam & iudicium ? Cur autem illis potius quàm illis detur , quis cognovit sensum Domini ? Quis ins-

Coloss. I.
13.

Ps. 100. I.

Rom. II.
34.

inscrutabilia scrutari valeat ? Quis investigabilia vestigare ?

28. CONFICITUR itaque gratiam Dei non secundum merita accipientium dari , sed secundum placitum voluntatis ejus , in laudem & gloriam ipsius gratiæ ejus , ut qui gloriatur , nullo modo in se ipso , sed in Domino gloriatur : qui hominibus dat quibus vult , quoniam misericors est ; quod & si non det , justus est : & non dat quibus non vult , ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Dando enim quibusdam quod non merentur , profectò gratuitam , & per hoc veram suam gratiam esse voluit : non omnibus dando , quid omnes merentur ostendit. Bonus in beneficio certorum , justus in supplicio ceterorum : & bonus in omnibus , quoniam bonum est , cum debitum redditur ; & justus in omnibus , quoniam justum est , cum a debitum sine cujusquam fraude donatur.

29. Defenditur autem sine meritis Dei gratia , id est , vera gratia , etiam si parvuli baptizati , sicut pelagiani sentiunt , non eruantur de potestate tenebrarum , quia nulli peccato , sicut putant pelagiani , tenentur obnoxii , sed tantum in regnum Domini transferuntur : etiam sic enim sine ullis bonis meritis datur eis regnum quibus datur , & sine ullis malis meritis non datur eis quibus non datur. Quod adversus eosdem pelagianos dicere solemus , quando nobis objiciunt , quòd fato tribuamus Dei gratiam , dicendo eam non secundum merita nostra dari. Ipsi enim potius Dei gratiam fato in parvulis tribuunt , qui dicunt *fatum esse* ,

662

CAP. XII.
Eph. I. 5.

I. Cor. I. 31.

Rom. 9. 23.

Veram Dei gratiam defendi posse , etiamsi nullum esset , ut volebat Pelagius , originale peccatum.

Fide lib. 2.
Contra duas epistolas pelag. c. 6.

ubi

a In antè excusis , cum debitum. Aptius in Remensis Ecclesiæ codice , cum inaebitum.

ubi meritum non est. Nulla quippe merita, etiam secundum ipsos pelagianos, possunt in parvulis inveniri, cur alii eorum mittantur in regnum, alii verò alienentur à regno. Sicut autem nunc, ut ostenderem gratiam Dei non secundum merita nostra dari, secundum utrumque sensum hoc defendere malui; & secundum nostrum scilicet, qui obstrictos originali peccato parvulos dicimus, & secundum pelagianorum, qui originale negant esse peccatum; nec tamen ideo mihi est ambigendum, habere parvulos quod eis dimittat qui salvum facit populum suum à peccatis eorum: ita in tertio * libro de Libero arbitrio secundum utrumque sensum restiti manichæis, sive supplicia, sive primordia naturæ sint ignorantia & difficultas, sine quibus nullus hominum nascitur; & tamen unum horum teneo: ibi quoque à me satis evidentè expressum, quòd non sit ista natura instituti hominis, sed pœna damnati.

30. Frustrà itaque mihi de illius libri mei vetustate præscribitur, ne agam causam sicut debeo agere parvulorum, & inde gratiam Dei non secundum merita hominum dari, perspicuæ veritatis luce convincam. Si enim quando libros de Libero arbitrio laicus ^a cœpi, presbyter explicavi, adhuc de damnatione infantium non renascentium & de renascentium liberatione dubitarem; nemo, ut opinor, esset tam injustus atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi esse judicaret. Cùm verò rectiùs possit intelligi, non me propterea de hac

^a Am. & Er. laicus Roma capi, & in Africa presbyter explicavi.

Matth. I.
21.
* Cap. 20.
& 23.

hac re dubitasse credi oportere, quia contra quos mea dirigebatur intentio, sic mihi visi sunt refellendi, ut sive pœna esset peccati originalis in parvulis, quod veritas habet, sive non esset, quod nonnulli errantes opinantur; nullo modo tamen, quam manichæorum error inducit, duarum naturarum, boni scilicet & mali, permixtio crederetur: absit ut causam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum, utrum in Christo regenerati, si moriantur parvuli, transeant in æternam salutem; non regenerati autem transeant in mortem secundam: quoniam quod scriptum est: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransit*; aliter rectè intelligi non potest: nec à morte perpetua, quæ justissimè est retributa peccato, liberat quemquam pussillorum atque magnorum, nisi ille qui propter remittenda & originalia & propria nostra peccata mortuus est sine ullo suo originali proprio peccato. Sed quare illos potius quàm illos? Iterum atque iterum dicimus, nec nos piget: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Et hoc adjiciamus: *Altiora te ne quesieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.*

31. Videtis enim, carissimi, quàm sit absurdum, & à fidei sanitate atque sinceritate veritatis alienum, ut dicamus parvulos mortuos secundum ea judicari, quæ præsciti sunt facturi esse si viverent? In hanc autem sententiam, quam certè omnis sensus humanus quantulacùmque ratione subnixus, maximèque christianus exhorret, ire compulsi sunt, qui

Rom. 9.12.

Rom. 9.20.
Rom. 11.
33.
Eccli. 3.22.

Parvulos non judicari secundum ea quæ præsciti sunt facturi si viverent.

sic à pelagianorum errore alieni esse voluerunt, ut tamen gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, qua nobis una post lapsum primi hominis, in quo omnes cecidimus, subvenitur, secundum merita nostra dari sibi adhuc existiment esse credendum, & disputatione insuper proferendum. Quod ipse Pelagius ante orientales episcopos judices, damnationis suæ timore damnavit. Hoc autem si non dicatur, de mortuorum scilicet operibus, quæ facturi fuerant si viverent, bonis aut malis, ac per hoc nullis & in ipsa Dei præscientia non futuris; hoc ergo si non dicatur, quod cernitis errore dicatur; quid restabit, nisi ut gratiam Dei non secundum merita nostra dari, quod contra hæresim pelagianam catholica defendit Ecclesia, remota contentions caligine fateamur; atque id maximè in parvulis evidentiore veritate cernamus? Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subvenire, illis autem non subvenire; cum sit utrisque causa communis: aut res humanas in parvulis non divina providentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cum rationales vel damnandæ vel liberandæ sint animæ; quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri qui in cælis est: aut parentum negligentia sic tribuendum est, quod parvuli sine baptismo moriuntur, ut nihil ibi agant superna judicia; tanquam ipsi qui hoc modo malè moriuntur, parentes sibi negligentes voluntate propria de quibus nascerentur, elegerint: quid dicam, quod parvulus aliquando ante quàm illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat? Plerumque enim festinantibus parentibus, & paratis ministris, ut baptismus parvulo de-

Non fato fieri, ut infantibus aliis subveniatur, aliis non subveniatur.

Matt. 10.
29.

detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit ut daretur. Quid etiam, quod aliquando parvulis infidelium filiis potuit, ne irent in perditionem, & filiis fidelium non potuit baptismo subveniri? Ubi certè ostenditur, quod personarum apud Deum non sit acceptio: alioquin cultorum suorum potiùs, quàm inimicorum filios liberaret. Rom. 2.11.

32. JAM verò, quoniam a de dono perseverantiæ nunc agimus, quid est quod morturo non baptizato subvenitur, ne sine baptismo moriatur; & baptizato casuro non subvenitur, ut antè moriatur? Nisi fortè illi adhuc absurditati auscultabimus, qua dicitur nihil prodesse cuiquam mori antequàm cadat, quia secundum eos actus judicabitur, quos eum præscivit Deus acturum fuisse si viveret. Hanc perversitatem sanitati fidei tam vehementer adversam, quis patienter audiat? Quis ferat? Et tamen hoc dicere urgentur, qui non fatentur gratiam Dei non secundum merita nostra dari. Qui autem nolunt dicere unumquemque mortuorum secundum ea judicari, quæ Deus illum præscivit acturum fuisse si viveret, intuentes quàm manifesta falsitate & quanta absurditate dicatur; non eis remanet cur dicant, quod in pelagianis damnavit, & ab ipso Pelagio damnari fecit Ecclesia, gratiam Dei secundum merita nostra dari: cum videant alios parvulos non regeneratos ad æternam mortem, alios autem regeneratos ad æternam vitam tolli de hac vita; ipsosque regeneratos, alios perseverantes usque in finem hinc ire, alios quousque decidant hic tene-

CAPUT
XIII.

2

GG 4 ri,

a Am. Er. & MSS. de bono perseverantiæ.

ri, qui utique non decidissent, si antequam laborarentur hinc exissent; & rursus quosdam lapsos, quousque redeant, non exire de hac vita, qui utique perirent, si antequam redirent, exirent.

33. Unde satis dilucidè ostenditur, & inchoandi, & usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari; sed dari secundum ipsius secretissimam, eandemque justissimam, sapientissimam, beneficentissimam voluntatem: quoniam quos prædestinavit, ipsos & vocavit vocatione illa, de qua dictum est: *Sine penitentia sunt dona & vocatio Dei.* Ad quam vocationem pertinere nullus est homo ab hominibus certa asseveratione dicendus, nisi cum de hoc sæculo exierit: in hac autem vita humana quæ tentatio est super terram, qui videtur stare, videat ne cadat. Ideo quippe (sicut jam supra * diximus) non perseveraturi perseveraturis providentissima Dei voluntate miscentur, ut esse discamus non alta sapientes, sed humilibus consentientes, & cum timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur: Deus est enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere: hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quidquid agimus: quod autem adtinet ad pietatis viam & verum Dei cultum, non sumus idonei cogitare aliquid tamquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo

Rom. 8. 20.

Rom. 11. 29.

Job. 7. 1.
1. Cor. 10. 12.

* Cap. 8.

Rom. 12. 16.
Philip. 2. 12. & 13.

2. Cor. 3. 5.

Deo est. *Non enim est in potestate nostra cor nostrum & nostra cogitationes;* unde idem qui hoc ait, item dicit Ambrosius: *Quis autem tam beatus qui in corde suo semper adscendat? Sed hoc sine divino auxilio qui fieri potest? Nullo profectò modo. Denique, inquit, supra eadem Scriptura dicit: Beatus vir cujus est auxilium ejus abs te, Domine, adscensus in corde ejus.* Hoc utique ut diceret, non solum in litteris sacris legebat, sed sicut de illo viro sine dubitatione credendum est, etiam in corde suo sentiebat Ambrosius. Quod ergo in sacramentis fidelium dicitur, ut sursum cor habeamus ad Dominum, munus est Domini: de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere, à sacerdote post hanc vocem quibus hoc dicitur admonentur; & dignum ac justum esse respondent. Cum enim non sit in nostra potestate cor nostrum, sed divino sublevetur auxilio, ut adscendat, & quæ sursum sunt sapiat, ubi Christus est in dextra Dei sedens, non quæ super terram: cui de hac tanta re agenda sunt gratiæ, nisi hoc facienti Domino Deo nostro, qui nos per tale beneficium liberando de profundo hujus mundi, elegit, & prædestinavit ante constitutionem mundi?

34. SED ajunt prædestinationis definitionem utilitati prædicationis adversam. Quasi verò adversata sit Apostolo prædicanti. Nonne ille Doctor gentium in fide, & veritate, & prædestinationem tollens commendavit, & verbum Dei prædicare non destitit? Numquid quia dixit: *Deus est qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate;* ideo non ipse, & ut velimus quæ Deo placeant, & ut operemur, hortatus est?

Aut

De fuga
sæculi c. 1.
Ibidem.

Psal. 83. 6.

In præfatione ad canonem Missæ.

Col. 3. 1.

CAPUT
XIV.

In epistola Hilarii & Prosperi. Prædestinationis doctrinam utilitati prædicationis non esse adversam.

Phil. 2. 13

Aut quia dixit: *Qui in vobis bonum opus cepit, perficiet usque in diem Christi Jesu;* ideo ut inciperent homines, & perseverarent usque in finem, ipse non suavit? Nempe ipse Dominus hominibus præcepit ut crederent, atque ait: *a Credite in Deum, & in me credite;* nec tamen ideo ejus falsa sententia est, nec vana definitio ubi ait: *Nemo venit ad me, id est, nemo credit in me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Nec rursus, quia vera est hæc definitio, ideo vana est illa præceptio. Cur ergo prædicationi, præceptioni, exhortationi, correptioni, quæ omnia frequentat Scriptura divina, existimamus inutilem definitionem prædestinationis, quam commendat eadem Scriptura divina?

35. An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique si præscivit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit. Hæc ^b est PRÆDESTINATIO SANCTORUM, nihil aliud: præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Ceteri autem ubi nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur? Ubi tyrii relictii sunt & sidonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo

^a Lov. *Creditis.* Am. Er. & MSS. *Credite:* juxta præc.
^b Ita MSS. At editi: *Hæc prædestinatio sanctorum nihil aliud est quam præscientia scilicet &c.*

quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant: & tamen si Dei altiore judicio, à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia vel viderent. In eadem perditionis massa relictii sunt etiam judæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus. Cur enim non poterant credere, non tacuit Evangelium, dicens: *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non crediderunt in eum, ut sermo Isaia propheta impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Et ideo non poterant credere, quia iterum dixit Isaia: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor illorum, ut non videant oculis, nec intelligant corde, & convertantur, & sanem illos.* Non erant ergo sic excæcati oculi, nec sic induratum cor tyriorum & sidoniorum: quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa vidissent. Sed nec illis profuit quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cujus inscrutabilia sunt judicia, & investigabiles viæ; nec istis obfuisset quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre. Verum quod dixit Dominus de tyriis & sidoniis, aliquo alio modo potest fortassis intelligi: neminem tamen venire ad Christum, nisi cui fuerit datum, & eis dari qui in illo electi sunt ante constitutionem mundi, proculdubio confitetur, à quo non surdis auribus cordis eloquium divinum auribus carnis auditur. Et tamen

Joan. 12.
37. & seq.

Isai. 53. 1.

Isai. 6. 10.

Rom. 11. 33.

men hæc prædestinatio, quæ satis apertè etiam verbis evangelicis explicatur, non prohibuit Dominum & propter incipiendum dicere, quod paulò antè commemoravi: *Cre-
Joan. 14. I. dite in Deum, & in me credite; & prop-
Lucæ 18. I. ter perseverandum: Oportet semper orare,
& non deficere.* Audiunt enim hæc & faciunt, quibus datum est: non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant, quibus non datum est. Quia vobis, inquit, datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum. Quorum alterum ad misericordiam, alterum ad iudicium pertinet illius, cui dicit anima nostra: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi, Domine.*

36. Nec prædestinationis igitur prædicatione impedienda est prædicatio fidei perseverantis & proficientis, ut quod oportet audiant, quibus datum est ut obediant. Quomodo enim audient sine prædicante? Nec rursus prædicatione fidei proficientis, & usque ad ultimum permanentis, impedienda est prædicatio prædestinationis, ut qui fideliter & obedienter vivit, non de ipsa obedientia tamquam de suo non accepto bono extollatur; sed qui gloriatur, in Domino gloriatur. *In nullo enim gloriantur, quando nostrum nihil sit.* Quod vidit fidelissimè Cyprianus, & fidentissimè definivit, per quod utique prædestinationem certissimam pronuntiavit. Nam *si in nullo gloriantur, quando nostrum nihil sit; profecto nec de obedientia perseverantissima gloriantur est: nec ita nostra, tamquam non sit nobis desuper donata, dicenda est.* Et ipsa igitur Dei donum est, quod se daturum Deus vocatis suis illa vocatione, de qua dictum est: *Sine penitentia sunt dona & vocatio Dei;*
Rom. II. 29. om-

omni christiano confitente præscivit. Hæc est igitur prædestinatio, quam fideliter atque humiliter prædicamus. Nec tamen idem doctor & factor, qui & in Christum credidit, & in sancta obedientia usque ad passionem pro Christo perseverantissimè vixit, ideo cessavit prædicare Evangelium, exhortari ad fidem piòsque mores, atque ad ipsam usque in finem perseverantiam, quoniam dixit: *In nullo gloriantur, quando nostrum nihil sit;* ubi veram Dei gratiam, id est, quæ non secundum merita nostra datur, sine ulla ambiguitate declaravit: quam se daturum quoniam præscivit Deus, his Cypriani verbis proculdubio prædestinatio prædicata est: quæ si Cyprianum à prædicatione obedientiæ non prohibuit, nec nos utique debet prohibere.

37. Quàmvis ergo dicamus Dei donum esse obedientiam; tamen a homines exhortamur ad eam. Sed illis qui veritatis exhortationem obedienter audiunt, ipsum donum Dei datum est, hoc est, obedienter audire: illis autem qui non sic audiunt, non est datum. Non enim quicumque, sed Christus: *Nemo, inquit, venit ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo; & vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum.* Et de continentia: *Non omnes, inquit, capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Et cum Apostolus ad pudicitiam conjugalem conjuges hortaretur: *Vellem, inquit, omnes homines esse sicut me ipsum; sed unusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic.* Ubi satis ostendit, non tantum continentiam donum Dei

Sap. 7. 16.

1. Cor. 3.
10.

Ibid. 5. Sc.

Baruch. 2.

31.
Aures au-
diendi vo-
luntas est
obediendi.
Joan. 6. 66.Matt. 13.
13.Rom. 11.
34.

esse, sed conjugatorum etiam castitatem. Quæ cum vera sint, hortamur tamen ad hæc, quantum cuique nostrum datum est ut possit hortari; quia & hoc ejus donum est, in cujus manu sunt & nos & sermones nostri. Unde & Apostolus: *Secundum gratiam*, inquit, *quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui*. Et alio loco: *Unicuique*, inquit, *sicut Dominus dedit: ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit*. Itaque neque qui plantat, aliquid est, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Ac per hoc sicut exhortatur & prædicat rectè, sed ille qui accepit hoc donum; ita exhortantem rectè atque prædicantem profectò ille obedienter audit, qui accepit hoc donum. Hinc est quod Dominus, cum eis loqueretur, qui carnis aures apertas haberent, dicebat tamen: *Qui habet aures audiendi, audiat*; quas non omnes habere proculdubio noverat. A quo autem habeant, quicumque habent, ipse Dominus ostendit, ubi ait: *Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes*. Aures ergo audiendi, ipsum est donum obediendi, ut qui id haberent, venirent ad eum, ad quem nemo venit, nisi fuerit ei datum à Patre ipsius. Exhortamur ergo atque prædicamus; sed qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt: qui verò eas non habent, fit in eis quod scriptum est: *Ut audientes non audiant*; audientes videlicet corporis sensu, non audiant cordis assensu. Cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant, hoc est, cur illis datum sit à Patre ut veniant ad Filium, illis autem non sit datum; quis cognovit sensum Domini, aut quis ejus consiliarius fuit?

Aut

Aut tu quis es, ò homo, qui respondeas *Rom. 9. 20.* Deo? Numquid ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendì non potest quod occultum est? Numquid, inquam, propterea dicturi sumus quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit non possumus invenire?

38. SED ajunt, ut scribitis: *Neminem posse correctionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiæ audientibus multis: Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem, vel accepta perseverantia maneatis in fide; ceteri verò qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit. Verumtamen si qui estis necdum vocati, quos gratia sua prædestinaverit eligendos, accipietis eandem gratiam, qua velitis & sitis electi: & si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis*. Ista cum dicuntur, ita nos à confitenda vera Dei gratia, id est, quæ non secundum merita nostra datur, & à confitenda secundum eam prædestinatione sanctorum detertere non debent; sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, ut dicat: *Sive nunc rectè vivatis, sive non rectè, tales eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscivit, vel boni si bonos, vel mali si malos*. Numquid enim, si hoc audito nonnulli in torporem segnitiamque vertantur, & à labore proclives ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei

CAP. XV.
Prædestinationis
prædicandæ ratio
incommoda
& inepta.

Contra
præscientiæ prædicationem
eadem objectari posse, quæ contra prædestinationem.

Dei

Dei falsum putandum est esse, quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos futuros esse præcivit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur; si autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Fuit quidam in nostro monasterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, respondebat: Qualiscumque nunc sim, talis ero qualem me Deus futurum esse præcivit. Qui profectò & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum; sed usque adeo profecit in malum, ut deserta monasterii societate fieret canis reversus ad suum vomitum: & tamen adhuc qualis sit futurus, incertum est. Numquid ergo propter hujusmodi a animas ea quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt vel tacenda; tunc scilicet, quando si non dicantur, in alios itar errores?

Monasterium Augustini.

CAPUT XVI.

Matt. 6. 8.

39. SUNT etiam qui propterea vel non orant, vel frigide orant, quoniam Domino dicente didicerunt, scire Deum quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo. Num propter tales hujus sententiæ veritas deserenda, aut ex Evangelio delenda putabitur? Imò cum constet alia Deum, danda etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam: profectò qui ex se ipso hanc se habere putat, non orat ut habeat. Cavendum est igitur, ne dum timemus ne tepescat hortatio, exstinguatur oratio, accendatur elatio.

Verum quando dicendum, quando tacendum.

40. Dicatur ergo verum, maximè ubi aliqua
a Edicti, propter hujusmodi causas. Omnes propè MSS. animas.

qua quæstio ut dicatur impellit, & capiant qui possunt; ne fortè cum tacetur propter eos qui capere non possunt, non solum veritate fraudentur, verum etiam falsitate capiantur, qui verum capere quo caveatur falsitas possunt. Facile est enim, imò & utile, ut taceatur aliquod verum propter incapaces. Nam unde est illud Domini: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò?* Et illud Apostoli: *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis?* Quàmvis modo quodam dicendi fieri possit, ut id quod dicitur, & parvulis lac, & grandibus esca sit. Sicut: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; quis christianus tacere potest? Quis capere? Aut quid in doctrina sana potest inveniri grandius? Quod tamen & parvulis non tacetur & a grandibus, nec parvulis occultatur à grandibus. Sed alia est ratio verum tacendi, alia verum dicendi necessitas. Caussas verum tacendi longum est omnes quærere vel inserere: quarum tamen est & hæc una, ne peiores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores; qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores quidem non fiunt, sed nec peiores fiunt. Cum autem res vera ita se habet, ut fiat peior nobis eam dicentibus, ille qui capere non potest; nobis autem tacentibus, ille qui potest: quid putamus esse factum.*
TOM. IV. HH cien-

Joan. 16. 12.

1. Cor. 3. 1.

Idem & lac parvulis, & grandibus esca esse potest. Joan. 1. 1.

Verum tacendi vel non tacendi caussæ.

a Sic MSS. At editi, & parvulis non tacetur, & nec grandibus nec parvulis occultatur.

ciendum? Nonne potius est dicendum verum, ut qui potest capere capiat; quàm tacendum, ut non solum id ambo non capiant, verum etiam qui est intelligentior, ipse sit peior? Qui si audiret & caperet, per illum etiam plures discerent. Quò enim est capaxior ut discat, eò magis est idoneus ut alios doceat. Instat inimicus gratiæ, atque urget modis omnibus, ut credatur secundum merita nostra dari, ac sic gratia jam non sit gratia: & nos nolumus dicere, quod teste Scriptura possumus dicere? Timemus enim videlicet, ne loquentibus nobis offendatur, qui veritatem non potest capere; & non timemus, ne tacentibus nobis, qui veritatem potest capere, falsitate capiatur?

Rom. II. 6.

41. Aut enim sic prædestinatio prædicanda est, quemadmodum eam sancta Scriptura evidenter eloquitur, ut in prædestinatis sine pœnitentia sint dona & vocatio Dei; aut gratiam Dei secundum merita nostra dari confitendum, quod sapiunt pelagiani, quàmvis ista sententia, quod sæpe jam diximus, legatur * gestis episcoporum orientaliu. a etiam ipsius Pelagii ore damnata. A pelagianorum porro hæretica perversitate tantum isti remoti sunt, propter quos hæc agimus, ut licet nondum velint fateri prædestinatos esse, qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permaneant; jam tamen fateantur, quòd eorum præveniat voluntatem quibus datur hæc gratia: ideo utique, ne non gratis dari credatur gratia, sicut veritas loquitur; sed potius secundum præcedentis merita voluntatis, sicut contra veritatem pelagianus error obloquitur. Prævenit ergo & fidem gratia: alioquin si fides eam prævenit, proculdubio prævenit &

* Lib. de Gest. pelagii c. 14. Quæ contra prædestinationis prædicationem afferunt, eadem probat dici posse contra gratiam Dei, ex qua cetera dona excepta hinc ac perseverantia, esse fatentur.

VO-

voluntas, quoniam fides sine voluntate non potest esse. Si autem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem; profectò prævenit omnem obedientiam; prævenit etiam caritatem, qua una Deo veraciter & suaviter obeditur; & hæc omnia gratia in eo cui datur, & cujus hæc omnia prævenit, operatur.* RESTAT in his bonis usque in finem perseverantia, quæ frustrà quotidie à Domino poscitur, si non eam Dominus per gratiam suam in illo, cujus orationes exaudit, operatur. Videte jam à veritate quàm sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ; cum vitæ huic quando voluerit ipse det finem: quem si dat ante imminem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem. Sed mirabilior & fidelibus evidenter largitas bonitatis Dei est, quòd etiam parvulis, quibus obedientia non est illius ætatis ut detur, datur hæc gratia. Ista igitur sua dona quibuscumque Deus donat, proculdubio se donaturum esse præscivit, & in sua præscientia præparavit. Quos ergo præ-

* CAPUT XVII.

Rom. 8. 30.

Rom. II.

29.

Prædestinare quid sit.

®

HH 2

ca-

a Lov. & aliquot MSS. quod quærit.

1. Cor. 13.
4. caritas, nec inflatur, tamquam id non acceperit. Non solum ergo prædicatione prædestinationis ab hoc opere non impeditur, verum & ad hoc adjuvatur, ut cum gloriatur, in Domino gloriatur.

Adversarios negare non posse prædestinationem ad ea gratia dona quæ ipsi agnoscunt, & hæc tamen prædestinatione non impediri eorum exhortationes.

42. Quod autem dixi de castitate, hoc de fide, hoc de pietate, hoc de caritate, de perseverantia, & ne pergam per singula, hoc de omni obedientia qua obeditur Deo, veracissimè dici potest. Sed ii qui solum initium fidei & usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates, cetera verò ipsum dare concedunt, cum ab illo a impetrantur credentis fide; cur ad ipsa cetera exhortationem, eorumque ceterorum prædicationem, definitione prædestinationis non metuunt impediti? An fortè nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nescivit. Quod si & dantur, & ea se daturum esse præscivit; profectò prædestinavit. Sicut ergo ipsi quoque hortantur ad castitatem, caritatem, pietatem, & cetera quæ Dei dona esse confitentur, eaque ab illo esse præcognita, ac per hoc prædestinata negare non possunt; nec dicunt exhortationes suas impediti prædicatione prædestinationis Dei, hoc est, prædicatione de his donis ejus futuris præscientiæ Dei: sic videant nec ad fidem nec ad perseverantiam impediti exhortationes suas, si & ipsa, quod verum est, esse Dei dona, eaque præcognita, id est, ad donandum prædestinata esse dicantur; sed impediti potius

a. Nonnulli MSS. impetrant credentes fide.

atque subverti hac prædestinationis prædicatione illum tantummodo perniciosissimum errorem, quo dicitur, gratiam Dei secundum merita nostra dari; ut qui gloriatur, non in Domino, sed in se ipso gloriatur. I. Cor. 13.1.

43. Quod ut apertius propter tardiusculos explicemus, a remotionem meam ferant, quibus ingenio b prævolare donatum est. Dicit Apostolus Jacobus: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non impropert; & dabitur ei.* Scriptum est & in Proverbii Salomonis: *Quoniam Dominus dat sapientiam.* Et de continentia legitur in libro Sapientie, cujus auctoritate usi sunt magni & docti viri, qui longè ante nos eloquia divina tractarunt; ibi ergo legitur: *Cum scirem, quia nemo esse potest continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.* Hæc ergo Dei dona sunt, id est, ut de aliis taceam, sapientia & continentia. Adquiescunt & isti: neque enim pelagiani sunt, ut adversus istam perspicuam veritatem dura & hæretica perversitate contendant. Sed hæc, inquit, *ut à Deo dentur nobis, fides impetrat, quæ incipit à nobis; quam fidem & incipere habere, & in ea usque in finem permanere, tamquam id non à Domino accipiamus, nostrum esse contendunt.* Hic proculdubio contradicitur Apostolo dicenti: *Quid enim habes, quod non accepisti?* Contradicitur & martyri Cypriano dicenti: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Cum hæc, & alia multa quæ piget repetere, dixe-

a
b
Jac. 1. 5.

Prov. 2. 6.

Sap. 8. 21.

I. Cor. 4.
7.
Lib. 3. ad
Quir. c. 4.

HH 3

ri-

a Sic MSS. Editi verò, rememorationem.
b Remensis MS. prævolare.

rimus; atque ostenderimus, & initium fidei, & usque in finem perseverantiam, Dei dona esse; nec ulla sua ^a futura dona, & quæ danda essent, & quibus danda essent, Deum non præscire potuisse; ac per hoc prædestinatos ab illo esse, quos liberat & coronat: respondendum putant, *prædestinationis definitionem utilitati prædicationis adversam, eo quod hæc audita, nemo possit correptionis stimulis excitari.* Hæc dicentes nolunt hominibus prædicari dona Dei esse, ut veniatur ad fidem, & permaneat in fide, ne plus ^{*} desperatio quam exhortatio videatur afferri, dum cogitant qui audiunt, incertum esse humanæ ignorantie cui largiatur Deus, cui non largiatur hæc dona. Cur ergo & ipsi nobiscum prædicant, dona Dei esse sapientiam & continentiam? Quod si hæc cum Dei dona esse prædicantur, non impeditur hortatio qua homines hortamur esse sapientes & continentis; quæ tandem causa est, ut existiment impediri exhortationem, qua exhortamur homines venire ad fidem, & in ea permanere usque in finem, si & hæc dona Dei esse dicantur, quod Scripturis ejus testibus comprobatur?

* f. desperationis quam exhortationis.

44. Ecce, ut de continentia taceamus, & de sola in hoc loco sapientia disputemus; nempe supra memoratus Apostolus Jacobus dicit: *Quæ de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordia & fructibus bonis, inestimabilis, sine simulatione.* Cernitisne, obsecro, à Patre luminum

sa-

^a Editi, futura esse. Abest esse à MSS.

sapientia quam multis & magnis bonis ^a re-
ferta descendat? *Omne quippe datum optimum, sicut idem dicit, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Cur ergo, ut omittam cetera, corripimus impudicos & contentiosos, quibus tamen prædicamus donum Dei esse sapientiam, pudicam, atque pacificam; nec timeamus ne permoti divinæ voluntatis incerto, plus in hæc prædicatione desperationis quam exhortationis inveniant; nec correptionis stimulis adversus se ipsos, sed potius adversus nos excitentur, quia eos corripimus hæc non habentes, quæ ipsi dicimus non humana voluntate proferri, sed divina largitate donari? Cur denique ipsum Apostolum Jacobum hujus gratiæ prædicatio non deterruit corripere inquietos, & dicere: *Si zelum amarum habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari & mendaces esse adversus veritatem: non est ista sapientia de sursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica: ubi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus pravum?* Sicut ergo corripiendi sunt inquieti, & divinis eloquiis testibus, & ipsis quos nobiscum isti communes habent actibus nostris; neque hanc impedit correptionem, quod sapientiam pacificam, qua contentiosi corriguntur atque sanantur, donum Dei esse prædicamus: ita corripiendi sunt infideles, vel in fide non permanentes, non impediente istam correptionem prædicatione gratiæ Dei, quæ fidem quoque ipsam & in ea permansionem dona Dei esse commendat. Quia etsi ex fide impetra-

HH 4

tur

^a Ad marg. Et. fulta descendat.

tur sapientia, sicut ipse Jacobus, cum dixisset: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non impropert, & dabitur ei; mox addidit: Postulet autem in fide, nihil hæsitans; non tamen quoniam fides datur priusquam postuletur ab illo cui datur, ideo dicenda est non esse donum Dei, sed esse à nobis, quia data est nobis, non petentibus nobis. Apostolus enim apertissime dicit: Pax & caritas cum fide à Deo Patre & Domino Jesu Christo. A quo ergo pax & caritas, ab illo est & fides, propter quod ab illo eam non solum augeri habentibus, verum etiam non habentibus poscimus dari.*

45. Neque isti, propter quos hæc dicimus, qui prædicatione prædestinationis & gratiæ, exhortationem clamitant impediri, ad sola illa exhortantur dona, quæ non à Deo dari, sed à nobis esse contendunt; sicut sunt initium fidei, & in ea usque in finem perseverantia: quod utique facere deberent, ut tantummodo infideles hortarentur ut crederent, & fideles ut credere permanerent. Ea verò quæ nobiscum Dei dona esse non negant, ut nobiscum pelagianum demoliantur errorem, sicut est pudicitia, continentia, patientia, & cetera quibus rectè vivitur, & ex fide impetrantur à Domino, oranda monstrare, & orare solum vel sibi vel aliis debuerunt; non autem quemquam, ut ea capesseret & retineret, hortari. Cum verò & ad hæc exhortantur, ut possunt, atque exhortandos esse homines confitentur; satis utique ostendunt, nec ea prædicatione impediri exhortationes, sive ad fidem, sive ad perseverantiam usque in finem, quia & is-

ista Dei dona esse, nec à se ipso cuiquam, sed ab illo tribui prædicamus.

46. At enim vitio suo quisque deserit fidem, cum cedit tentationi atque consentit, qua cum illo agitur ut deserat fidem. Quis negat? Sed non ideo dicenda est in fide perseverantia non esse donum Dei. Hanc enim quotidie poscit, qui dicit: *Ne nos inferas in tentationem; & si exauditur, hanc accipit: ac per hoc quotidie ut perseveret petens, profectò perseverantiæ suæ spem non in se ipso, sed in Deo ponit. Ego autem nolo exaggerare meis verbis, sed illis cogitandum potius relinquo, ut videant quale sit quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis quam exhortationis afferri. Hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam non in se ipso, sed in Deo didicerit ponere: cum Propheta clamet: *Maledictus omnis qui spem habet in homine.**

47. Hæc itaque dona Dei, quæ dantur electis secundum Dei propositum vocatis, in quibus donis est & incipere credere, & in fide usque ad vitæ hujus terminum perseverare, sicut tanta rationum atque auctoritatum contestatione probavimus; hæc, inquam, Dei dona, si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur à Deo: præsciuntur autem: hæc est igitur prædestinatio quam defendimus. * UNDE aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Hic quod ait, *Præscivit*, non rectè intelligitur, nisi prædestinavit: quod circumstantia ipsius lectionis

ostendit. Loquebatur enim de reliquiis iudaorum, quæ salvæ factæ sunt, pereuntibus ceteris. Nam superius dixerat, ad Israël dixisse Prophetam: *Tota die extendi manus meas ad populum non credentem & contradicentem; & tamquam responderetur; Ubi sunt ergo factæ promissiones Dei ad Israël?*

Rom. II. I. Continuo subjunxit: *Dico ergo, numquid repulit Deus plebem suam? Absit: nam & ego Israëlita sum ex semine Abraham, tribu Benjamin; tamquam diceret: Nam & ego ex ipsa plebe sum. Deinde addidit unde nunc agimus: Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Atque ut ostenderet Dei gratia fuisse relictas reliquias, non meritis operum eorum, secutus adjunxit: *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura? Quemadmodum interpellat Deum adversus Israël, & cetera.*

Ibidem 2. *Sed quid dicit illi, inquit, responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal.* Non enim ait, relictæ sunt mihi, aut reliquerunt se mihi; sed, *reliqui mihi. Sic ergo, inquit, & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ factæ sunt.* Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Et connectens illa quæ jam supra interposui: *Quid ergo? Et huic interrogationi respondens: Quod quærebat, inquit, Israël, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est, ceteri verò excæcati sunt.* In hac ergo electione, & in his reliquiis, quæ per electionem gratiæ factæ sunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus

Ibid. 4. *3. Reg. 19. 18.*

Rom. II. 5. ^a

Ibid. 7.

^a In editis additur, *salve*. Non est hoc loco in MSS. nec in græco textu Apostoli.

Deus non repulit, quia præscivit. Hæc est illa electio, qua eos quos voluit, elegit in Christo ante constitutionem mundi, ut essent sancti & immaculati in conspectu ejus, in caritate, prædestinans eos in adoptionem filiorum. Nullus, igitur qui hæc intelligit, negare vel dubitare permittitur, ubi ait Apostolus, *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, prædestinationem significare voluisse. Præscivit enim reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse factururus. Hoc est ergo prædestinavit: sine dubio enim præscivit, si prædestinavit: sed prædestinasse, est hoc præscisse quod fuerat ipse factururus.

48. QUID ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? Magis enim fortasse voluerunt hoc verbo in ea re uti, quod & facilius intelligitur, & non repugnat, imò & congruit veritati quæ de prædestinatione gratiæ prædicatur. Hoc scio, NEMINEM CONTRA ISTAM PRÆDESTINATIONEM, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, NISI ERRANDO DISPUTARE POTUISSE. Puto tamen eis qui de hac re sententias tractatorum requirunt, sanctos & in fide atque doctrina christiana laudabiliter usquequaque diffamatos viros, Cyprianum & Ambrosium, quorum tam clara testimonia posuimus, debere sufficere, & debere ad utrumque, id est, ut & gratiam Dei gratuitam, sicut credenda atque prædicanda est, per omnia credant & per omnia prædicent; & eandem prædicationem prædicationi qua hortamur pigros, vel corripimus malos, non opinentur adversam: quia & isti viri, cum sic prædicaverunt

Eph. I. 4.

CAPUT XIX.

®

Cyprianus
lib. 3. ad
Quirinum
cap. 4.
Ambrosius
de fuga se-
culi, cap. 1.

a

Paucissi-
mis dona-
tum, ut si-
ne hominis
ullius mi-
nisterio
doctrinam
salutis ac-
ciperent.

b

carent Dei gratiam, ut unus eorum diceret: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit; alter autem: Non est in potestate nostra cor nostrum & nostræ cogitationes;* non tamen hortari & corripere destiterunt, ut fierent præcepta divina. Nec timuerunt ne diceretur eis: Quid nos hortamini? Quid & corripitis, si nihil boni a ut habeamus est nostrum, & si non est in potestate nostra cor nostrum? Hæc ne dicerentur eis, nequaquam illi sancti ea mente timere potuerunt, qua intelligebant paucissimis esse donatum, ut nullo sibi homine prædicante, per ipsum Deum vel per Angelos cælorum doctrinam salutis accipiant; multis verò id esse donatum, ut Deo per homines credant. Quolibet tamen modo dicatur homini verbum Dei, proculdubio, b quo sic audiat ut illi obediat, donum Dei est.

49. Unde supradicti tractatores excellentissimi divinorum eloquiorum, & gratiam Dei veram, sicut prædicanda est, prædicarunt, id est, quam nulla merita humana præcedunt; & ad faciendâ divina præcepta instanter hortati sunt, ut qui habent donum obedientiæ, quibus jussis obediendum esset, audirent. Si enim gratiam merita ulla nostra præcedunt, profectò aut facti alicujus, aut dicti, aut cogitationis est meritum, ubi & ipsa intelligitur voluntas bona: sed brevissimè complexus est omnium genera meritorum, qui dicit: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Qui verò ait: *Non est in nostra potestate cor nostrum, & nostræ cogitationes;* nec ip-

sa

a Editi, si nihil boni habeamus quod sit nostrum. Præ-
tulimus veterum codicum lectionem.

b Sic MSS. At editi, qui sic audit.

sa facta & dicta præterit: non enim est ul-
lum factum dictumve hominis, quod non ex
corde & cogitatione procedat. Quid autem
amplius de hac re agere Cyprianus martyr
gloriosissimus & doctor lucidissimus potuit,
quàm ubi nos in oratione Dominica etiam pro
inimicis fidei christianæ orare oportere com-
monuit? Ubi de initio fidei, quòd etiam hoc
donum Dei sit, quid sentiret ostendit: & pro
perseverantia usque in finem, quâ & ipsam
non nisi Deus eis qui perseveraverint donat,
Ecclesiam Christi quotidie orare monstravit.
Beatus quoque Ambrosius cum exponeret
quod ait Lucas Evangelista: *Visum est & mi-
hi; Potest, inquit, non soli visum esse, quod
sibi visum esse declarat. Non enim volun-
tate tantum humana visum est, sed sicut
placuit ei qui in me loquitur Christus, qui
ut id quod bonum est, nobis quoque videri
bonum possit, operatur: quem enim miseratur,
& vocat. Et ideo qui Christum sequi-
tur, potest interrogatus, cur esse voluerit
christianus, respondere: Visum est & mihi.
Quod cum dicit, non negat Deo visum; à
Deo enim præparatur voluntas hominum. Ut
enim Deus honorificetur à sancto, Dei gra-
tia est.* Itemque in eodem opere, hoc est,
in expositione ejusdem Evangelii, cum ad il-
lum venisset locum, ubi Dominum ad Je-
rusalem pergentem Samaritani recipere nolue-
runt: *Simul discite, inquit, quia recipi no-
luit à non simplici mente conversis. Nam
si voluisset, ex indevotis devotos fecisset.
Cur autem non receperint eum, Evangelista
ipse commemoravit dicens: Quia facies ejus
erat euntis in Jerusalem. Discipuli autem
recipi intra Samariam gestiebant. Sed
Deus*

Luc. 1. 3.
Ambrosius
super Lu-
cam, in ex-
positione
proemii.

Prov. 8.
sec. LXX.

Luc. 9. 53.

Ⓡ
Ambros.
1. 7. in Lu-
cam, n. 27.

Gregorius
Nazianzenus
orat.
44. in Pen-
tecosten.

a Deus a quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit. Quid evidentius, quid illustrius à verbi Dei tractatoribus quærimus, si & ab ipsis, quod in Scripturis clarum est, audire delectat? Sed his duobus, qui sufficere debuerunt, sanctum Gregorium addamus & tertium, qui & credere in Deum, & quod credimus confiteri, Dei donum esse testatur, dicens: *Unius deitatis, quæso vos, confitemini Trinitatem: si verò aliter vultis, dicitur unius esse natura; & Deus vocem dari vobis à sancto Spiritu deprecabitur;* id est, rogabitur Deus, ut permittat vobis dari vocem, qua quod creditis, confiteri possitis. *Dabit enim, certus sum; qui dedit quod primum est, dabit & quod secundum est; qui dedit credere, dabit & confiteri.*

b 50. Isti tales tantique doctores dicentes non esse aliquid, de quo tamquam de nostro, quod nobis Deus non dederit, gloriemur; nec ipsum cor nostrum & cogitationes nostras in potestate nostra esse; & totum dantes

a Aliquot MSS. quem dignatur.

b In Vaticanis codicibus omittitur Deus. Verùm sublatò hoc verbo non est integra Gregorii sententia, quæ græcè sic habet: *Μιάς θεότητος, à τριῶν, ἡ τριάδα ὁμολογῆσθαι, εἰ ἢ βυλεθε, μιάς φύσεως, καί ἢ Θεὸς φωνῆ παρὰ ἢ πνεύματος ὑμῖν αἰτήσεται. Δώσει γάρ, εἰ οἶδα, ὃ τὸ πρῶτον δεῖν, καί τὸ δεῦτερον, καὶ μάλιστα.* Id est, *Unius deitatis, ὃ viri, Trinitatem fateamini, aut, si magis placet, unius naturæ: utque hanc vocem, Deus, à Spiritu vobis precabimur. Nam qui primum dedit, dabit profectò secundum, idque potissimum.* Notant Lovanienses Augustinum, qui haud dubiè græci exemplaris copiam non habuit, non rectè legisse *deprecabitur*, pro *deprecabimur*, interpretis fortè aut codicis vitio: quodque additur sententiæ explicandæ causa, id est, *rogabitur Deus, &c. nem infra, qui dedit credere, dabit & confiteri*, exhibent italico caractere, dubitantes an sit interpretis, an Augustini.

tes Deo, atque ab ipso nos accipere confidentes, ut permansuri convertamur ad eum; ut id quod bonum est, nobis quoque videatur bonum, & velimus illud, ut honoremus Deum, & recipiamus Christum, ut ex indevotis efficiamur devoti & religiosi, ut in ipsam Trinitatem credamus, & confiteamur etiam voce quod credimus: hæc utique gratiæ Dei tribuunt, Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis, non à nobis esse testantur. Numquid autem quisquam eos dicturus est, ita confessos istam Dei gratiam, ut auderent negare ejus præscientiam, quam non solum docti, sed indocti etiam consentent? Porro si hæc ita Deum noverant dare, ut non ignorarent eum daturum se esse præscisse, & quibus daturus esset non potuisse nescire; proculdubio noverant prædestinationem, quam per Apostolos prædicatam contra novos hæreticos operosius diligentiusque defendimus. Nec tamen eis obedientiam prædicantibus, & ad eam sicut quisque poterat ferventer hortantibus, ullo modo rectè diceretur: Si non vultis obedientiam, ad quam nos accenditis, in nostro corde frigescere; nolite nobis istam Dei gratiam prædicare, qua Deum dare fatemini, quæ ut nos faciamus hortamini.

51. QUAMOBREM si & Apostoli, & CAP. XX. doctores Ecclesiæ qui eis successerunt, eosque imitati sunt, utrumque faciebant, id est, & Dei gratiam, quæ non secundum merita nostra datur, veraciter prædicabant, & piam obedientiam præceptis salubribus instruebant; quid est quod invicta conclusi violentia veritatis rectè se isti nostri dicere existimant: *Et si verum est quod dicitur de prædestinatione beneficiorum Dei, non est tamen po-* Suprà in
epistola
Prosperi,
& Hilarii.
pu-

Luc. 8. 8. *pulis prædicandum?* Prædicandum est prorsus, ut qui habet aures audiendi, audiat. Quis autem habet, si non accepit ab illo qui ait: *Baruch. 2. 31.* *Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes?* Certè qui non accepit, rejiciat: dum tamen qui capit,umat & bibat, bibat & vivat. Sicut enim prædicanda est pietas, ut ab eo qui habet aures audiendi, Deus rectè colatur; prædicanda est pudicitia, ut ab eo qui habet aures audiendi, nihil genitalibus membris illicitum perpetretur; prædicanda est caritas, ut ab eo qui habet aures audiendi, Deus & proximus diligatur: ita prædicanda est & ista prædestinatio beneficiorum Dei, ut qui habet aures audiendi, non in se ipso, sed in Domino gloriatur.

*In epistola
Hilarii, n.
8.*

52. Quod autem dicunt, non opus fuisse hujuscemodi disputationis incerto minus intelligentium tot corda turbari: quoniam non minus utiliter sine hac definitione prædestinationis per tot annos defensa est catholica fides, tum contra alios, tum maxime contra pelagianos, tot catholicorum & aliorum & nostris præcedentibus libris, multum miror eos dicere; nec adtendere, ut de aliis hinc taceam, ipsos libros nostros & antequam pelagiani apparere cœpissent, conscriptos & editos, & videre quam multis eorum locis futuram nescientes pelagianam hæresim cædebamus, prædicando gratiam, qua nos Deus liberat à malis erroribus & moribus nostris, non præcedentibus bonis meritis nostris, faciens hoc secundum gratuitam misericordiam suam. Quod plenius sapere cœpi in ea disputatione, quam scripsi ad beatæ memoriæ Sim-

a Noalliensis MS. non capit.

Simplicianum episcopum mediolanensis Ecclesiæ, in mei episcopatus exordio, quando & initium fidei donum Dei esse cognovi, & asserui.

53. Quid autem meorum opusculorum frequentius & delectabilius innotescere potuit, quam libri confessionum mearum? Cùm & ipsos ediderim antequam pelagiana hæresis extitisset; in eis certè dixi Deo nostro, & sæpè dixi: Da quod jubes, & jube quod vis. Quæ mea verba Pelagius Romæ, cùm à quodam fratre & coepiscopo meo fuissent eo præsentè commemorata, ferre non potuit; & contradicens aliquanto commotius, penè cum eo qui illa commemoraverat litigavit. Quid verò primitus & maxime Deus jubet, nisi ut credamus in eum? Et hoc ergo ipse dat, si bene illi dictum est. Da quod jubes. Et in eisdem etiam libris quod de mea conversione narraui, Deo me convertente ad eam fidem, quam miserima & furiosissima loquaclitate vastabam, nonne ita narratum esse meministis, ut ostenderem me fidelibus & quotidianis matris meæ lacrymis ne perirem fuisse concessum? Ubi utique prædicavi, non solum aversas à recta fide, sed adversas etiam rectæ fidei, Deum sua gratia ad eam convertere hominum voluntates. De proficiente porro perseverantia quemadmodum Deum rogaverim, & scitis, & potestis recensere cùm vultis. Omnia itaque Dei dona quæ in eodem opere sive optavi, sive laudavi, quis, non dicam, negare, sed dubitare saltem audeat Deum daturum se esse præscisse, & quibus daturus fuerit, numquam potuisse nescire? Hæc est prædestinatio manifesta & certa sanctorum: quam postea diligentius & oper-

*Lib. 10. c.
19. cap. 31.
& cap. 37.*

*Lib. 3. cap.
11. & 12. &
lib. 9. cap. 8.*

Hæreses
quid boni
per occa-
sionem Ec-
clesiæ af-
ferant.

rosius, cum jam contra pelagianos disputare-
mus, defendere necessitas compulit. Didici-
mus enim singulas quasque hæreses intulisse
Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas di-
ligentiùs defenderetur Scriptura divina, quàm
si nulla talis necessitas cogeret. Quid autem
coegit loca Scripturarum, quibus prædestina-
tio commendata est, copiosius & enucleatiùs
isto nostro labore defendi, nisi quod pelagiani
dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra da-
ri: quod quid est aliud quàm gratiæ omnino ne-
gatio?

CAPUT
XXI.

54. HÆC ergo ut ingrata Deo sententia
destruatur, gratuitis Dei beneficiis quibus li-
beramur inimica, & initium fidei, & in ea
usque in finem perseverantiam secundum
Scripturas, unde jam multa diximus, dona
Dei esse defendimus. Quoniam si à nobis es-
se dicimus initium fidei, ut eo cetera Dei do-
na mereamur accipere; concludunt pelagiani,
gratiam Dei secundum merita nostra dari. Quod
ita exhorruit catholica fides, ut damnari ti-
mens, hoc Pelagius ipse damnaverit. Itemque
si dicimus à nobis esse perseverantiam nos-
tram, non à Domino; respondent illi, ita
nos à nobis habere initium fidei, sicut finem;
sic argumentantes, multo magis nos habere
à nobis illud initium, si à nobis habemus per-
manere usque in finem, cum perficere quàm
inchoare sit majus: ac sic identidem conclu-
dunt, gratiam Dei secundum merita nostra
dari. Si autem utrumque Dei donum est, &
hæc Deus dona sua (quod negare quis po-
test?) daturum se esse præscivit; prædestina-
tio prædicanda est, ut possit vera Dei gratia,
hoc est, quæ non secundum merita nostra da-
tur, insuperabili munitione defendi.

-OR-

II

VL. KO. Et

55. Et ego quidem in illo libro, cujus est
titulus: *De correptione & gratia*, * qui suffi-
ficere non potuit omnibus dilectoribus nostris,
puto me ita posuisse donum Dei esse etiam
perseverare usque in finem, ut hoc antea, si
me non fallit oblivio, tam expressè atque evi-
denter, vel nusquam, vel penè nusquam scrip-
serim. Sed ita hoc nunc dixi, ut non ante
me nemo dixerit. Beatus quippe Cyprianus
in oratione Dominica, sicut jam ostendimus,
petitiones nostras ita exposuit, ut in ipsa pri-
ma petitione perseverantiam nos diceret pos-
cere, id nos orare asserens, dicendo: *Sancti-
ficetur nomen tuum*; cum jam in bap-
tismate sanctificati fuerimus; ut in eo quod es-
se cœpimus, perseveremus. Videant tamen
ii, quibus amantibus me ingratus esse non
debeo, qui præter hoc quod in quæstionem
venit, omnia mea, sicut scribitis, se profiten-
tur amplecti: videant, inquam, utrum in pri-
mi libri posterioribus partibus, eorum duo-
rum quos mei episcopatus initio, antequàm
pelagiana hæresis appareret, ad Simplicianum
mediolanensem episcopum scripsi, remanse-
rit aliquid quo vocetur in dubium, gratiam
Dei non secundum merita nostra dari: &
utrum ibi non satis egerim, etiam initium fi-
dei esse donum Dei: & utrum ex iis quæ ibi
dicta sunt, non consequenter eluceat, etsi
non sit expressum, etiam usque in finem
perseverantiam non nisi ab eo donari, qui
nos prædestinavit in suum regnum & gloriam.
Deinde ipsam epistolam, quam jam contra pe-
lagianos ad sanctum Paulinum nolanum epis-
copum feci, cui epistolæ contradicere modò
cœperunt, nonne ante annos plurimos edidi?
Eam quoque inspiciant, quam dedi ad Six-

* Cap. 6.

Matt. 6. 9.

Duo libri
ad Simpli-
cianum.

Epistola ad
Paulinum
quæ est or-
dine 186.

II 2

tum

Epistola ad
Sixtum
194.

tum romanæ Ecclesiæ presbyterum, quando adversus pelagianos acerrima conflictatione certavimus: & talem reperient, qualis illa est ad Paulinum. Unde recolant, adversus hæresim pelagianam jam ante aliquot annos ista dicta esse atque conscripta, quæ nunc eis displicere mirandum est. Quàmvis neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis in quibus me non a errasse perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrarem; sed proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen à perfectione coepisse: quandoquidem arrogantius loquor quàm verius, si vel nunc dico, me ad perfectionem sine ullo errore scribendi jam in ista ætate venisse. Sed interest quantum & in quibus rebus erretur; & quàm facile quisque corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. Bonæ quippe spei est homo, si eum sic proficientem dies ultimus vitæ hujus invenerit, ut adjiciantur ei quæ proficienti defuerunt, & perficiendus quàm puniendus potius judicetur.

Bonæ spei
homo.

UNIVERSIDAD

1. Joan. 4.

b

56. Quocirca si hominibus, qui propterea me dilexerunt, quia pervenit ad eos, antequàm me diligerent, aliqua mei laboris utilitas, nolo existere ingratus: quanto magis Deo, quem non diligeremus, nisi priùs dilexisset nos, & fecisset dilectores suos? Quoniam caritas ex ipso est: sicut dixerunt quos fecit magnos, non solum b amatores, verum etiam prædicatores suos. Quid est autem ingra-

a Sic MSS. At editi, errare.

b Er. non solum oratores.

gratius, quàm negare ipsam gratiam Dei, dicendo eam secundum merita nostra dari? Quod in pelagianis fides catholica exhorruit, quod ipsi Pelagio capitale crimen objecit, quod ipse Pelagius, non quidem amore veritatis Dei, sed tamen suæ damnationis timore damnavit. Quisquis autem dicere gratiam Dei secundum merita nostra dari, sicut catholicus fidelis exhorret; nec ipsam fidem subtrahat Dei gratiæ, a qua misericordiam consecutus est ut fidelis esset: ac per hoc gratiæ Dei tribuat perseverantiam quoque usque in finem, qua misericordiam consequitur, quam poscit quotidie, ne inferatur in tentationem. Inter initium autem fidei & perfectionem perseverantiæ, media sunt illa, quibus rectè vivimus, quæ ipsi etiam donari nobis à Deo fide impetrante consentiunt. Hæc autem omnia, initium scilicet fidei, & cetera usque in finem dona sua, Deus largiturum se vocatis suis esse præcivit. Nimis igitur contentio est, prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare.

57. QUÆ tamen non ita populis prædicanda est, ut apud imperitam vel tardioris intelligentiæ multitudinem redargui quodammodo ipsa sua prædicatione videatur: sicut redargui videtur & præscientia Dei (quam certè negare non possunt) si dicatur hominibus: *Sive curratis, sive dormiatis, quod vos præcivit qui falli non potest, hoc eritis.* Dolosi autem vel imperiti medici est, etiam utile medicamentum sic alligare, ut aut non prosit, aut obsit. Sed dicendum est: Sic cur-

CAPUT
XXII.
Prædeterminatione quomodo citra offensionem prædicanda.

1. Cor. 9. 24.

II 3

ri-

a Plerique MSS. hoc & proximo postea loco, pro qua habent, quia misericordiam.

rite, ut comprehendatis; atque ut ipso cursu vestro ita vos esse præcognitos noveritis, ut legitimè curreretis: & si quo alio modo Dei præscientia prædicari potest, ut hominis segnitia repellatur.

58. Quamvis ergo ita se habeat de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex infidelitate, accepta voluntate obediendi, convertantur ad fidem, vel perseverent in fide; ceteri verò qui in peccatorum damnabilium delectatione remorantur, si & ipsi prædestinati sunt, ideo nondum surrexerunt, quia nondum eos adiutorium gratiæ miserantis erexit: si qui enim nondum sunt vocati, quos gratia sua prædestinavit eligendos, accipient eandem gratiam, qua electi esse velint & sint: si qui autem obediunt, sed in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt: quamvis ergo hæc vera sint, non tamen isto modo dicenda sunt audientibus multis, ut sermo ad ipsos etiam convertatur, eisque dicantur illa istorum verba, quæ vestris litteris indidistis, & quæ superius interposui: *Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate, veneritis ad fidem.* Quid opus est dici, *alii ex vobis?* Si enim Ecclesiæ Dei loquimur, si credentibus loquimur, cur alios eorum ad fidem venisse dicentes, ceteris facere videamur injuriam? Cum possimus congruentius dicere: *Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut ex infide-*

Odiosa & vitanda prædicanda prædestinationis formula.

Corrigit superiorum formulam.

^a Verbum *esse* hoc loco abfuit in vetere Corbeiensi codice.

delitate veneritis ad fidem accepta voluntate obediendi, & accepta perseverantia permaneat in fide.

59. Nec illud quod sequitur, est omnino dicendum, id est: *Ceteri verò qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit;* cum bene & convenienter dici possit & debeat: Si qui autem adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite saluberrimam disciplinam: quod tamen cum feceritis, nolite extolli quasi de operibus vestris, aut gloriari quasi hoc non acceperitis; Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate: & à Domino gressus vestri diriguntur, ut ejus viam velitis: de ipso autem cursu vestro bono rectoque condiscite vos ad prædestinationem divinæ gratiæ pertinere.

Phil. 2.13.

Ps. 36.23.

60. Item quod sequitur, & dicitur: *Verumtamen si qui estis nondum vocati, quos gratia sua prædestinaverit eligendos, accipietis eandem gratiam, qua velitis & sitis electi;* durius dicitur quam dici potest, si nos non quibuslibet hominibus loqui, sed Christi Ecclesiæ cogitemus. Cur enim non potius ita dicitur: Et si qui sunt nondum vocati, pro eis ut vocentur oremus. Fortassis enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam, qua velint atque efficiantur electi. Deus enim qui omnia quæ prædestinavit implevit, ideo & pro inimicis fidei orare nos voluit, ut hinc intelligeremus, quòd ipse etiam infidelibus donet ut credant, & volentes ex nolentibus faciat.

61. Jam verò quod illis verbis connectitur,

tur, miror si ullo modo potest in populo christiano quisquam infirmus patienter audire, cum dicitur eis: *Et si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis.* Hoc enim dicere, quid videtur aliud esse, quam maledicere, aut mala quodam modo prophetare? Sed si & de iis qui non perseverant, aliquid placet dicere, vel necesse est; cur non potius ita saltem dicitur, ut paulò antè à me dictum est: primum, ut non de ipsis, qui in populo audiunt, hoc dicatur, sed de aliis ad ipsos: id est, ut non dicatur: *Si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi; sed, Si qui obediunt; & cetera per verbi personam tertiam, non per secundam.* Res enim non optabilis, sed abominabilis dicitur, & durissimè atque odiosissimè quasi in audientium frontem^a compellendo colliditur, quando qui eis loquitur, dicit: *Et si qui estis qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis.* Quid enim sententiæ deperit, si ita dicatur: Si qui autem obediunt, sed in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt. Nonne & verius eadem res & congruentius dicitur, ut non ipsis tantum malum tanquam optare videamur, sed de aliis referre, quod oderint, nec ad se existiment pertinere, sperando orandoque meliora? Illo autem modo, quo id

^a Sic Am. Er. & MSS. Editio verò Lov. compellendo: quod tamen pro compellendo non rectè substituit, monent Lovanienses in annotationibus ad hunc locum. Respicit enim, ajunt, ad elocutionem per secundam personam, quæ præsentibus compellabatur.

id dicendum putant, eadem sententia eisdem penè verbis etiam de præscientia Dei, quam certè negare non possunt, pronuntiaripotest, ut dicatur: *Et si qui obeditis, si præsciti estis rejiciendi, obedire cessabit.* Nempe hoc verissimum est: ita sanè, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum, non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis apposito.

62. Illum etiam modum, quo utendum esse in prædestinationis prædicatione nos diximus, loquenti apud populum non existimo debere sufficere, nisi hoc vel hujusmodi aliquid addat, ut dicat: Vos itaque etiam ipsam obediendi perseverantiam à Patre luminum, à quo descendit omne datum optimum & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere, non vos esse à prædestinatione populi ejus alienos; quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur. Absit autem à vobis, ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis.

Maledictus enim omnis qui spem habet in homine: & bonum est confidere in Domino quàm confidere in homine; quia beati omnes qui confidunt in eum. Hanc spem tenentes, servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: quoniam de vita æterna, quam filiis promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram: sed faciet nos perseverare in se usque in ejus vitæ finem, cui quotidie dicimus: Ne nos inferas in tentationem. Hæc atque hujusmodi cum dicuntur, sive paucis christianis sive multitudini Ecclesiæ,

Fac. I. 17.

Fer. 17. 5.

Pr. 117. 8.

Psal. 2. 13.

Ibidem 11.

De vita æterna nemo in hac vita securus.

Job. . 1.

Matt. 6.

13.

sia, cur metuimus sanctorum prædeterminationem & veram Dei gratiam, id est, quæ non secundum merita nostra datur, sicut eam sancta Scriptura prædicat, prædicare? An verò timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret, si eam in se ipso superbissimus & infelicissimus poneret?

^a
CAPUT
XXIII.
Ecclesie
totius in
ipsius ora-
tionibus
testimo-
nium.

63. ATQUE utinam tardi corde & infirmi, qui non possunt, vel nondum possunt Scripturas vel earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit & habebit Ecclesia, ab exordiis suis dorec finiat hoc sæculum. De hac enim re, quam nunc adversus novos hæreticos, non commemorare tantum, sed planè tueri & defensare compellimur, numquam tacuit in precibus suis, etsi aliquando in sermonibus exserendam nullo urgente adversario non putavit. Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis ejus ut crederent? Quando fidelis quisquam amicum, proximum, conjugem habuit infidelem, & non ei petivit à Domino mentem obedientem in christianam fidem? Quis autem sibi umquam non oravit, ut in Domino permaneret? Aut quis sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit: Da illis, Domine, in te perseverare usque in finem; non solum voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere; ac non potiùs super ejus talem benedictionem, & corde credente & ore confitente respondit, Amen: cum aliud in ipsa oratione

Do-

Benedictio
sacerdotis
super fide-
les.

^a Tres MSS. & infidelissimus.

Dominica non orent fideles, dicentes maxime illud: *Ne nos inferas in tentationem*; nisi ut in sancta obedientia perseverent? Sicut ergo in his orationibus, ita & in hac fide nata est, & crescit, & crevit Ecclesia, qua fide creditur, gratiam Dei non secundum merita accipientium dari. Quandoquidem non oraret Ecclesia ut daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet & aversas & adversas hominum ad se convertere voluntates: nec oraret Ecclesia, ut perseveraret in fide Christi, non decepta vel victa tentationibus mundi, nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum, ut bonum quod non tenemus nisi propria voluntate, non tamen teneamus nisi ipse in nobis operetur & velle. Nam si hæc ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed à se ipsa sibi dari putat; non veras, sed perfunctorias orationes habet; quod absit à nobis. Quis enim veraciter gemat, desiderans accipere quod orat à Domino, si hoc à se ipso se sumere existimet, non ab illo?

64. Præsertim, quoniam *quid oremus si- cut oportet nescimus, sed ipse Spiritus*, ait Apostolus, *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui enim scrutatur corda, scit quid sapiat Spiritus, quia secundum Deum interpellat pro sanctis. Quid est, ipse Spiritus interpellat*, nisi interpellare facit, *gemitibus inenarrabilibus*; sed veracibus, quoniam veritas est Spiritus? Ipse est enim de quo alio loco dicit: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem: Abba, Pater. Et hic quid est, clamantem, nisi clamare facientem; tropo illo quo dicimus lætum diem, qui lætos facit? Quod alibi manifestat, ubi dicit: Non enim accepistis*

Rom. 8. 26.

Spiritus
sanctus quo
sensu in-
terpellet
pro nobis
& clamet:
Abba, Pa-
ter.

Gal. 4. 6.

Rom. 8. 15.

spi-

*spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Ibi dixit, clamantem; hic verò, in quo clamamus; aperiens videlicet quomodo dixerit, clamantem, id est, sicut jam exposui, clamare facientem. Ubi intelligimus, & hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde & spiritaliter clamemus ad Deum. Adtendant ergo quomodo falluntur, qui putant esse à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus: & hoc esse dicunt, quod gratia præceditur merito nostro, ut sequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperitque pulsantibus: nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus. ^a Accipimus enim Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Quod vidit & beatus Ambrosius. Ait enim: *Et orare Deum, gratiæ spiritualis est: sicut scriptum est: Nemo dicit, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.**

65. Hæc igitur quæ poscit à Domino, & semper ex quo esse coepit, poposcit Ecclesia, ita Deus vocatis suis daturum se esse præcivit, ut in ipsa prædestinatione jam dederit quod Apostolus sine ambiguitate declarat. Scribens quippe ad Timotheum: *Collabora, inquit, Evangelio secundum virtutem Dei salvos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora æterna, manifestata autem nunc per ad-*

^a Sic MSS. At editi, *Accipimus.*

In Comment.
super
Isaiam. V.
lib. 4. Con-
tra duas
epistolas
Pelag. cap.
II.

2. Tim. I.
3. Sc.

adventum Salvatoris nostri Jesu Christi. Ille itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis hujus & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos cura diligentiore defenditur: ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audet aliquando eam non orasse, vel non veraciter orasse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles. Quæ bona si semper oravit, semper ea Dei dona esse utique credit; nec ab illo esse præcognita umquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, numquam Ecclesia Christi non habuit.

66. SED quid plura? Satis docuisse me existimo, vel potius plusquam satis, dona Dei esse, & incipere in Dominum credere, & usque in finem in Domino permanere. Cetera verò bona ad vitam piam, qua Deus rectè colitur pertinentia, etiam ipsi propter quos hæc agimus, Dei dona esse concedunt. Omnia porò dona sua, & quibus ea fuerat largiturus, Deum præcisse negare non possunt. Sicut ergo cetera prædicanda sunt, ut qui ea prædicat, obedienter audiatur; ita prædestinationis prædicanda est, ut qui obedienter hæc audit, non in homine, ac per hoc nec in se ipso, sed in Domino gloriatur: quia & hoc Dei præceptum est: & hoc præceptum obedienter audire, id est, ut qui gloriatur, in Domino gloriatur, similiter ut cetera, Dei donum est. Quod donum qui non habet, non dubito dicere, alia quæcumque habet, inaniter habet. Hoc pelagiani, optamus, ut habeant; isti autem nostri ut plenius habeant. Non itaque simus in disputationibus prompti,

CAPUT
XXIV.
Conclusio.

I. Cor. I.
31.

& in orationibus pigri. Oremus, dilectissimi, oremus, ut Deus gratiæ det etiam inimicis nostris, maximèque fratribus & dilectoribus nostris, intelligere & confiteri, post ingentem & ineffabilem ruinam, qua in uno omnes cecidimus, neminem nisi gratia Dei liberari; eamque non secundum merita accipientium tamquam debitam reddi, sed tamquam veram gratiam nullis meritis præcedentibus gratis dari.

Prædestinationis illustrissimum exemplum Christus Jesus.

* Cap. 15.

De Christi incarnatione errores manichæorum, & photinianorum.

Apollinaristarum tres sæctæ.

67. Nullum autem est illustrius prædestinationis exemplum quàm ipse Jesus: unde & in primo libro * jam disputavi, & in hujus sine commendare delegi: nullum est, inquam, illustrius prædestinationis exemplum quàm ipse Mediator. Quisquis fidelis vult eam bene intelligere, adtendat ipsum, atque in illo inveniat & se ipsum. Fidelis, inquam, qui in eo veram naturam credit & confitetur humanam, id est, nostram, quàmvis singulariter suscipiente Deo Verbo, in unicum Filium Dei sublimatam, ita ut qui suscepit & quod suscepit, una esset in Trinitate persona. Neque enim homine assumpto quaternitas facta est, sed Trinitas mansit, assumptione illa ineffabiliter faciente personæ unius in Deo & homine veritatem. Quoniam non Deum tantum dicimus Christum, sicut hæretici manichæi; nec hominem tantum, sicut hæretici photiniani; nec ita hominem, ut aliquid minus habeat quod ad humanam certum est pertinere naturam, sive animam sive in ipsa anima mentem rationalem, sive carnem, non de femina sumtam, sed factam de Verbo in carnem converso atque mutato: quæ omnia tria falsa & vana, hæreticorum apollinaristarum tres partes varias diversasque fecerunt: sed dicimus Christum Deum verum, natum de Deo

Deo Patre sine ullo initio temporis; eundemque hominem verum, natum de homine matre certa plenitudine temporis; nec ejus humanitatem, qua a minor est Patre, minuire aliquid ejus divinitati, qua æqualis est Patri. Hoc autem utrumque unus est Christus, qui & secundum Deum verissimè dixit: *Ego & Pater unum sumus*; & secundum hominem verissimè dixit: *Pater major me est*. Qui ergo hunc fecit ex semine David hominem justum, qui numquam esset injustus, sine ullo merito præcedentis voluntatis ejus; ipse ex injustis facit justos sine ullo merito præcedentis voluntatis ipsorum, ut ille caput, hi membra sint ejus. Qui ergo fecit illum hominem, sine ullis ejus præcedentibus meritis, nullum, quod ei dimitteretur, vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum; ipse nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum: qui fecit illum talem, ut numquam habuerit habiturusque sit voluntatem malam; ipse facit in membris ejus ex mala voluntate bonam. Et illum ergo & nos prædestinavit: quia & in illo ut esset caput nostrum, & in nobis ut ejus corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præcivit.

68. Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent ut eorum ille sit doctor interior, a cujus facie est scientia & intellectus. Qui verò errare se existimant, etiam atque etiam diligenter quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent. Ego autem cum per eos qui meos

Joan. 10.
30.

Joan. 14.
28.

Prov. 2.
sec. LXX.


a Omnes MSS. qua major est Pater.

meos labores legunt, non solum doctior, verum etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco: & hoc per Ecclesie doctores maxime exspecto; si & in ipsorum manus venit, dignanturque nosse quod scribo.

FULGENTIUS in fine libri de Incarnatione & gratia D. N. J.

DEUS qui hominem condidit, ipse predestinatione sua & donum illuminationis ad credendum, & donum perseverantie ad proficiendum atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, preparavit: quippe non aliter perficit in opere, quam in sua sempiterna atque incommutabili habet dispositum voluntate. Cujus PRÆDESTINATIONIS VERITATEM, qua nos ante mundi constitutionem predestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vite presentis, impietatis sue contumaciam, qua Deo vivo & vero rebellis obsistit, non abjecerit; manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit & predestinavit ad regnum. Pro quibus tamen nec oratio fidelium debet desistere, nec caritas aliquando torpere; ut Deus eis gratiam sue illuminationis donet, per quam in ipsis semen divini sermonis fructificet, qui frustra exterioribus auribus sonat, nisi Deus spiritali munere auditum hominis interioris aperiat.

FINIS TOMI QUARTI.



NUEV

BIOTEC